PERA LIBRORUM IUVENILIUM: LOCVLAMENTVM TERTIVM ; [PARS 1] : INSUNT:...

Johann Christoph Wagenseil

Digitized by Google

ed. Pr. 3914
Wagenseil
~~Lud. 1385~~
7 P

<36628076680015

<36628076680015

33 Bayer. Staatsbibliothek

R

LOCVLAMENTVM TERTIVM.

Inſunt:

Adminicula Studii Hiſtorici.

Scilicet:

Mythologia Veterum.

Præcognita Hiſtorica.

Mnemonica Hiſtorica.

Synopſis Hiſtoriæ Vniverſalis.

Nomenclator Regum, & Principum Europæ.

* * *

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

PRÆFATIO.

MAgiſter Bonæ Mentis, Æſopus, Arcum retenſum poſuerat aliquando in medio foro, juſſitq; turbam concurrentem, ut expediret, quid fecerit. Id cœptum, poſtquam diu homines illi fruſtra ſe torſerant, cum, quo valeret, intelligeret nemo, tum victor Sophus:

Cito rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris;
At, ſi laxaris, cum voles, erit utilis:
Sic luſus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

Quæ, cum in educando Filio, mihi quoque dicta putarem, haud unquam volui, ut plane libris nocte diuq; affixus adhæreret, iisque impalleſceret, ſed otium dedi, ut adſuetam fortius deinde vicem præſtaret. At, ne in otio, aut nihil, aut mala ageret, imperavi, horas, quas ſtudiis Sapientiæ ſubducit, iis impendat artibus, quas liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem: Muſicæ nimirum,

mirum, Palæſtricæ, &, quam comitem extremam deliciarum vocat Tullius, Saltationi. Nec minus illum ad Pictorem ablegavi, ut effingere ac parare aliquid diſceret, quod eſſet ſuum. Cæterum, cum apud hunc, veterum Gentilium Numina, & Poëtarum fabulas vario effigiatu vidiſſet, nec iſtorum omnium res rationesq; adhuc haberet perſpectas, cœpit me obſecrare, ut ſibi liceret diſcere id de me. Lætabar, occaſionem ſic mihi oblatam, ut ad Hiſtoriarum notitiam eum paulatim perducere poſſem: cui ego, etſi id vulgo negligitur, Fabularum enarrationem, ſive Mythologiam, præmittendam ſemper exiſtimavi. Confert iſtius doctrinæ peritia, non tantum ad Signa & Picturas, quæ crebro, imprimis vero in Italica peregrinatione, paſſim & ubiq; oculis ſeſe offerunt, cognoſcendas, ſed & in Antiquis Scriptoribus, Poëtis imprimis, quis acutum cernat, ſine hac face? Quis Numos veteres tractet, iſta ſtatera & obruſſa deſtitutus? Tum vero naturæ & temporum ordo hanc methodum depoſcunt. Quippe Varro, ut eſt apud Cenſorinum, tria diſcrimina temporum eſſe tradebat. Primum, ab hominum principio, ad cataclyſmum priorem; quod, propter ignorantiam, vocetur ἄδηλον. Secundum, a
cata-

catachyſmo priore, ad Olympiadem primam: quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominetur. Tertium, a prima Olympiade, & deinceps, ἱστορικὸν appellari: quia res in eo geſtæ, veris hiſtoriis contineantur. Ergo, ut omnis ævi geſta teneamus, a fabuloſis initio facto, ad ea, quæ proba ac certa ſunt, tranſitum facere oportet. Hanc ob cauſam, eam, quæ ſequitur, Mythologiam in uſum Filii congeſſi, multum adhibita in ea re, præter aliorum libros, *Lactantii* Placidi, ſive, ut quidam vocant, Luctatii commentatione, qua Ovidii Metamorphoſin ipſe recenſuit. Hanc enim preſſe ſequendam propoſui, ut juvenili memoriæ, figuræ æneæ, quas aliquæ editiones additas habent, lenocinarentur. Cumque iſtorum utilitatem diligenter Filio oſtendiſſem, vel maxime, imo vero unice ſibi notare ipſum volebam, illud ingens operæ pretium, quam nimirum, uti jure optimo maximo, ita lepide quoq; lauteque Tertullianus, in Apologetico, ſic probri inſimulaverit Paganos: *Volo igitur merita recenſere, an ejuſmodi ſint, ut illos in cœlum extulerint, & non potius in imum Tartarum merſerint, quem, carcerem pœnarum infernarum, cum vultis, affirmatis. Illuc enim abſtrudi ſolent impii, quiq; in parentes,*

& in ſorores inceſti, & maritarum adulteri, & virginum raptores, & puerorum contaminatores, & qui ſæviunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicunque ſimiles ſunt alicujus Dei veſtri, quem neminem integrum a crimine aut vitio probare poteritis, niſi hominem negaveritis. Atqui ut illos homines fuiſſe non poſſitis negare, etiam iſtæ notæ accedunt, quæ nec Deos poſtea factos credi permittunt. Si enim talibus vos puniendis præſidetis; ſi commercium, colloquium, convictum malorum & turpium probi quiq; reſpuitis, horum autem pares Deus ille majeſtatis ſuæ conſortio aſcivit, quid ergo damnatis, quorum collegas adoratis? Suggillatio eſt in cœlo, veſtra juſtitia. Deos facite criminoſiſſimos quosque, ut placeatis Diis veſtris. Illorum eſt honor, conſecratio coæqualium.

MYTHOLOGIA VETERVM.

De

DIIS ET EORVM STATVIS TEMPLISQVE GENERATIM.

TVrba Romanorum gentilium, *vana*, ut Apulejus loquitur, *ſanctitudinis*, *priva veræ rationis, inops religionis*, *impos veritatis, ſcrupuloſiſſimo cultu*, *inſolentiſſimo ſpiritu, tumida in ſuperſtionem*, innumeram prope Deorum *coluit multitudinem* : ita, ut omnibus humanæ vitæ miniſteriis, etiam viliſſimis, Deos præficeret. M. *Varro*, rationem ineundo, *ſex Deorum millia*, *Joves* vero *trecentos*, computaſſe dicitur. Quin adeo non tantum Numina quædam in veneratione erant, ut juvarent, ſed & alia, ne nocerent. Itaque non tantum *Jovem*, *Saturnum*, *Liberum Patrem*, *Venerem*; ſed *Véjoves* etiam, ac *Pavorem*, *Pallorem*, *Febrim*, *Scabiem*, *Tempeſtatem*, *Impudentiam*, & *Calumniam*, vice Numinum adorari conſueviſſe invenias. Præ cæteris tamen, XII. erant Majorum Gentium Numina, a quibus res inferiores adminiſtrari credebant, DII CONSENTES alias dicta, eo quod Cœleſtis Senatus Conſiliarii eſſent, quodque, ſine illorum arbitrio, nihil aut in ſummo æthere, aut in ima terra gereretur. Nempe *Mares ſex*, *totidemq; Fœminæ*. Quorum nomina laudatus Apulejus, his Ennii verſibus coarctata exhibet :

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

His accedebant DII SELECTI, qui ſic vocabantur, vel propter majores in Mundo adminiſtrationes, vel, quod populis magnis innotuiſſent, ac eximius illis cultus exhiberetur: quales fuere, *Janus*, *Saturnus*, *Cybele*, *Pluto*, *Bacchus*, *Genius*, & *Fortuna*.

Erant REGIONIBVS AC VRBIBVS DII PROPRII, ET TVTELARES, quos, advenæ primum ſalutabant. Eorum nomina efferre neutiquam licebat, ne, ab hoſtibus evocarentur. Solebant enim, qui regionem aut urbem invadebant, Deos tutelares piaculis elicere, ne in ſervitutem quaſi redigi viderentur, &, ut iis propitiatis, tanto lætior ſucceſſus evaderet. Contra, qui petebantur, Deos ſuos catenis vinciebant, ne fugam moliri poſſent.

Ex hominibus inter Deos relati heroës, SEMONES quaſi Semihomines, *Medioxumi* etiam, aut Minorum Gentium Dii, item INDIGETES appellabantur: ut Hercules, Faunus, Caſtor & Pollux, Flora &c.

HONOR RELIGIOSVS Deorum, conſiſtebat in Ceremoniis, Precibus, Supplicationibus, Feriis, Statuis, Templis, Nominibus.

Primi *Ægyptii*, Diis *Statuas*, *Templa*, *Arasq;* dicaſſe feruntur. Ab his Græci, a Græcis Romani, ſacrorum ſimulacrorumque uſum acceperunt.

STATVÆ DEORVM antiquiſſimæ, *ex ligno* fingebantur: in quem uſum præcipue *Ebenus*, *Cupreſſus*, *Cedrus*, *Quercus*, *Hedera* adhibitæ. Quippe, ceu ex Platone & Plutarcho colligitur, *Lapis* durior videbatur, quam ut Diis effingendis eſſet idoneus. *Aurum* atque *Argentum*, aliaque metalla, tanquam ſterilis & infœcundæ terræ fæcem, *Ferrum* vero ideo inſuper, quod eo homines perimerentur, rejiciebant. Cæterum *nudæ* proponebantur Deorum, imo & Principum,

pum, effigies, ut nimirum, Alexandro Aphrodiſienſi Interprete, ſignificaretur, eorum vim eſſe omnibus expoſitam, ſinceram quoque, nec ullo fuco aut adſcititio cultu infectam.

Signa Deorum, quæ publice extabant, *ſacra* omnibus erant, ita ut nemini fas eſſet, ea loco movere, aut injuria afficere. *Principum* autem *ſtatuæ* hoc amplius habebant, ut, ſi quis ad eas confugiſſet, tutus eſſet a violentia, nec invitus inde abſtrahi poſſet.

TEMPLVM, ſignificat Cœlum; item certa loca, vel in aëre, vel in terra, quæ Augures, captandorum auguriorum cauſa, definire ſolebant. Atq; quia hæc circumquaque ſepta eſſe, nec plus quam unum introitum habere oportebat, ideo factum, ut loca etiam ſepta alia, quæ in uno tantum loco patebant, *Templa* appellarentur, etiamſi ſacra non eſſent. Denique, Templa quoque vocabantur, ædificia Deo ſacrata: atque iſta, alio nomine, quoque *Ædes ſacræ* dicta, quod eſſent quaſi Ædes Deorum; prout Cœlum quoque, quia Domicilium Deorum reputabatur, Templum dictum fuit.

Templum, a profano loco diſcernebatur Conſecratione: *Parteſq;* ejus erant, *Area*, *Veſtibulum*, *Delubrum*, & *Adytum*, ſive Penetrale. *Delubrum*, ſic dictum eſt, vel, quod ſacrificaturi ibi ſe abluebant; vel, quod ibi ponebantur ſimulacra Deorum, ut, quemadmodum locus, in quo Candela figitur, Candelabrum, ſic, in quo Deus ponebatur, Delubrum appelletur.

FANVM, a fando dicitur, quod, dum Pontifex conſecrat, certa verba fatur. Quidam a *Fauno*, quod is primus Fana condiderit, dictum malunt.

ARA, nomen habet, vel ab ardendo, quod in ea victimæ incenſæ ardeant, vel, a ſimilitudine arearum.

Circa DEORVM NOMINA & COGNOMINA, admodum ſoliciti erant Gentiles, veriti, ne parum gratas appellationes illis tribuerent. Inde illud frequens in precibus Pontificum: *Jupiter Omnipotens, ſeu quo alio nomine appellari volueris.* Item: *Dis pater, Manes, ſive vos quo alio nomine fas eſt appellare.* Inde magna illa Cognominum multitudo. Scilicet, JVPITER, *Optimus Maximus, Capitolinus, Omnipotens, Divum pater atq; hominum Rex, Tonans, Fulminator, Fulgurator, Stator, Victor, Servator, Hoſpitalis, Hoſpitator, Salutaris, Opitulator, Vltor, Cuſtos,* audiebat. JVNO, *Reginæ, Lucinæ, Matronæ, Maximæ, Monetæ, Soſpitæ, Pomónæ,* nominibus invocabatur. MARS, *Gradivus, Quirinus, Vltor:* APOLLO, *Medicus, Palatinus, Conſervator, Pacifer, Tutelaris:* VENVS, *Genitrix, Alma, Placida, Victrix, Verticordia:* DIANA, *Cœleſtis, Auguſta, Tutelaris:* alii Dii, aliis Nominibus inſigniebantur.

DII CONSENTES.

JVNO.

HÆc, ſecundum Varronem, ita dicta eſt, quod una cum Jove *juvat.* *Saturni* & *Opis* hæc filia, atque ſic *Jovis ſoror* fuit. Quin & *Conjux* quoque eus facta eſt. Quippe, cum aliquando ſola ſederet, Jupiter in *Cuculum* mutatus, tempeſtatem concitavit, atque in Junonis gremium, quaſi fulgura & tonitura horreſcens, ſe recepit. Quem, cum illa veſte contexiſſet, Jupiter ſuam rurſus formam repetens, promiſſo prius conjugio, cum illa conſuevit. Singulis autem annis, in quodam Atticæ fonte lota, virginitatem recu-

recuperabat. *Simulacrum* ejus erat fœmina, pulchre comteque comata, in throno ſedens, dextra manu ſceptrum regium geſtans, & caput inter nubila condens. Ad latus *Iris*, quippe ancilla ejus: ad pedes, *Pavones* duo effingebantur. *Aëri* hæc præerat, quin & divitiis, & muliebri mundo. Quod nuptias conciliare, *Pronubæ*, quodque parturientibus obſtetricari crederetur, *Lucinæ* cognomen accepit. Vt Viris ſingulis ſui *Genii*, vitæ præſides, ita fœminis *Junones* ſemper præſto erant; unde hæ, *Junonem ſuam* jurabant.

VESTA.

Veſta, & ipſa *Saturni filia*, ex *Ope*, atque ſic Jovis Soror, *Jani* vero Conjux fuit. Alii tamen diffident, & *Rheam*, Veſtæ matrem, ipſamque Veſtam *Cœli* uxorem faciunt. Pro *Terra* accipitur; inde & nominis originem petunt: quia hæc nimirum *vi* ſua *ſtat*, & immota libratur; aut, quia variis *veſtita* eſt rebus. Quidam ἀπὸ τῆς ἑϛίας nomen derivant; ἑϛία autem Græcis *focum* ſignificat. *Numa Veſtæ templum inſtituit*, rotundum, ut terra. Id de die omnibus patebat; pernoctare vero in eo, nemini maſculo fas fuit. Negant, in hac *Æde* ſimulacrum ullum fuiſſe. Ipſius tamen Veſtæ imago, paſſim in *Numis* ac Statuis expreſſa, hodieque extat: fœmina ſcilicet ſedens, altera manu facem, altera diſcum, ſive pateram libatoriam tenens. *Seſſio* ad ſtabilitatem, *fax* ad ignem, *diſcus* ad ſacrificia, ſolenniter & perpetim oblata, pertinent. Interdum *Tympanum* manu tenet; quia terra ventos concludit. Imo olim, in omnibus ædium privatarum veſtibulis, apud Romanos Veſtæ ſimulacrum, uti apud Athenienſes Mercurii, ſtabat, ac exinde etiam *Veſti-*

bulum

bulum nominatum fuit: colebatur enim inter Penates, adeoque & *Mater* peculiari nomine dicta.

Perpetuus æternusq; Ignis in templo Veſtæ aſſervabatur: ſed in vaſculo quodam fictili ſuſpenſus, non in foco aut ara ardens. Nec credebatur, ſine portento, ultro extingui: quod factum initio Bellorum Civilium, & cum Cæſar ac Pompejus mutuis odiis diſſidere occiperent. Ignem Virgines cuſtodiebant, VESTALES dictæ, alternatim excubando, eumque alendo. Eæ paucæ erant: nam ægre parentes in hanc velut cuſtodiam, & adactam virginitatem, filias ſuas dederunt. Numa in univerſum *quatuor* inſtituit: *duas* deinde alias Servius Tullius addidit; ſive ante eum potius Tarquinius Priſcus: & ſic *ſex* ſemper fuerunt. *Lectæ* Pontificis arbitratu; qui *Genus*, *Corpus*, & *Ætatem* inſpicere ſolebat, ut omnia decentia & miniſterio eſſent apta. In *Genere*, ne ambo parentes, aut alteruter ſerviiſſent ſervitutem. In *Corpore*, ne qua lingua debili, ſenſu aurium deminuto, aliave corporis labe notaretur. *Ætas* ab anno 7. congrua reputabatur, atque tricennale tempus Veſtalem manere oportuit. Hoc ſpatio, decem annos diſcebat, decem ſacris operabatur, docebatque totidem alias. Ante, nefas excedere; poſt id vero tempus, licitum nubere, haud peſſima adhuc ætate, ad virum quærendum, eoque fruendum, 37. puta anno. Infauſtæ tamen & parum lætabiles eæ nuptiæ ſunt habitæ. Omnes *Antiſtitæ*, una earum, cæteris vetuſtior, *Maxima*, appellabantur. Quod ſi, per incuriam aut ſomnolentiam, Veſtæ extinctus ignis eſſet, virgis cædebatur a Pontifice Veſtalis; pudore virgineo tamen ſalvo, in loco obſcuro, & velo medio interpoſito. Neq; alio ex igne reparare hunc fas erat; ſed, accenſa per fomites ex *Sole* flam-

flamma, purus & cœleſtis ignis eliciebatur: quod idem, *tabulam tam diu terebrando*, quoad ſponte flammam conciperet, interdum fiebat. Vtut non extinctus, reſtaurabatur ſemper nova accenſione, novo anno, hoc eſt Kalendis Martiis.

Servabant amplius Veſtales ſecretum quippiam, *Imperii pignus* appellatum. Id vero quid monſtri aluerit, nemo habuit perſpectum. Plerique *Palladium* fuiſſe exiſtimant, quod deſcribunt Palladis effigiem minutam, cœlo delapſam, Iloque Regi traditam, quam Æneas ſecum in Italiam advexit. Habitus corporis, ingredienti ſimilis; dextræ manui haſta ſublata, ſiniſtræ, fuſus & colus inerant. Denique, cuſtodiebant quoque Veſtales interdum Civium *Teſtamenta*. Atque, Auguſtum apud Virgines Veſtales teſtamentum ſuum depoſuiſſe, autor eſt Suetonius.

Tertium Veſtalium munus fuit *Sacrificare*; quod aſſiduum pene erat, diu noctuque. *Præmia* Veſtalium non unius generis; 1. Habebant *jus teſtandi*, vivo patre. Statim enim anno ſeptimo, quo legebantur, exibant ex patria, omnique alia poteſtate, & ætatis deliquium leges benigne ſupplebant. 2. Jura iis eadem, quæ *trium liberorum* matribus. 3. Præcedebat illas deducebatque *lictor*. 4. Morte liberabant *Reum*, cui fortuito fiebant obviæ. 5. *Stipendium* illis ex publico: ut, ſolutæ aliis curis, ſacris operarentur. 6. Vtebantur *veſte* alba, limbi purpurei: Caput vitta tegebat, Sceptrum ex ære geſtabant manibus. 7. *Ludos* Scenicos, & Circenſes, ſpectabant, loco certo & honeſtiſſimo. Quod *ſi vitium paſſa eſſet* Veſtalis, viva in terram defodiebatur, ad portam Collinam, intra muros, in loco, cui ideo *Campus ſceleratus* nomen, ubi in hunc finem caverna parva ſub-

terra-

terranea: cumque caſum tota lugebat civitas, ut in clade publica, eratque is dies nefaſtus. Loris autem revincta, efferebatur in lectica. Priusquam deponeretur, Pontifex Maximus arcanas quasdam preces, manibus in cœlum ſublatis, fundebat. Tum ipſe, ſua manu eductam e lectica, in ſcalis conſtituebat, & ſic carnifici ac ſupplicii miniſtris tradebat. His geſtis, ſcalæ attrahebantur, & crypta feralis, in quam prius lectulus, lucerna, & menſa cum cibis, ne ſacratiſſimum corpus videretur fame conſumtum, illata fuerant, multa humo contegebatur, donec reliquo ſolo adæquaretur. *Supplicii cauſam* duplicem aſſignat Plutarchus: Vel, quia Romani igne mortuos cremant; igne autem funerare eam, quæ ignem parum caſte coluit, iniquum erat. Vel, quia corpus, maximis conſecratum ceremoniis, perimere, nefas putaverunt. Sub terram igitur condita, cum victu appoſito, ut quaſi ſponte exanimata videretur.

MINERVA.

Minervam Cicero, a *minuendo*, vel *minando*, quia prudentiæ & belli Dea ſit, Feſtus, quod bene *moneat*, dictam arbitrantur. Eam Jupiter, cum Junonem ſterilem videret, ne prorſus ſine prole eſſet, cerebrum ſuum pertundendo, excluſit. Prodiit autem vultu virili & truculento, oculis torvis & glaucis, galeam in capite gerens, pectus lorica munita, cum haſta prælonga, & clypeo, cui Gorgonis caput inſculptum erat, cryſtallino. Alio nomine quoque *Pallas* dicta eſt, vel a Pallante Gigante occiſo; vel, ἀπὸ τοῦ πάλλειν, quod haſtam ſuam *vibraret*. Hæc *Lanificii*, *lanas colorandi*, *domicilia conſtruendi*, *numerandiq;* artes inveniſſe; *Olei* quoque uſum prima oſtendiſſe creditur.

tur. *Vulcani* nuptias conſtantiſſime repudiavit, virginitatem intaminatam perpetuo ſervatura: unde & peculiari epitheto a Poëtis *Innupta* vocatur. Habebat cum *Mercurio* Aram communem, imo & Statuam; quæ ob id *Hermathena* dicta eſt. Cum *Cecrops Athenas*, quæ prius Cecropia vocabantur, condidiſſet, incolæ ſoliciti erant, cujus Numinis tutelæ urbem committerent. Apparuit autem derepente *Olivæ* arbor, & alio in loco erupit *Aqua*, ſive, quod a quibusdam proditum eſt, *Equus*. Prodigia iſta moverunt Regem, ut Apollinis Oraculum conſuleret, quid portenderent? Reſponſum eſt: Oleam ſignificare Minervam; Aquam vero, aut Equum, Neptunum; ac proinde eſſe in civium arbitrio, utrum ſibi velint Numen eligere. Conveniunt igitur ſexus utriusque cives, nam & fœminæ tum temporis publicorum conſiliorum erant participes. Omnes *Neptuno* mares, fœminæ omnes *Minervæ*, quam Græci Ἀθήνην vocant, ſuffragatæ ſunt: quæ, uno tantum calculo victrix, *Athenas* urbem appellavit, ſuo apud Græcos nomine. Neptunus, factam ſibi contumeliam ratus, ac proinde ira commotior, fluctibus marinis Atticam populatus eſt: cujus ut placaretur indignatio, *ſupplicio triplici* mulieres affectæ ſunt. Principio, ne qua impoſterum ſuffragia ferret: Deinde, ne maternum liberi nomen gererent: Denique, ne mulieres Ἀθηναῖαι, hoc eſt, *Athenienſes*, ſed *Atticæ* vocarentur.

CERES.

Ceres *Saturni* & *Opis* filia fuit, ac, quod ait Virgilius 1. Georg.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram

Inſti-

Inſtituit, cum jam glandes atq; arbuta ſacræ
Deficerent ſylvæ, & victum Dodona negaret.

Idem hoc, & ampliora tribuit Ovidius l. 5. Metamorph:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris;
Prima dedit leges. Cereris ſumus omnia munus.

Ex Cerere Jupiter, frater germanus, *Proſerpinam* ſuſcepit, quam, cum abſente forte matre, *Pluto* poſtea rapuiſſet, Ceres, accenſis in Ætna monte tædis, filiam toto orbe, ærumnabili labore, ſummaque induſtria perquiſivit. Sic oberrans, cum ad *Eleuſium*, in Attica Regem, perveniſſet, filium ejus *Triptólemum* alendum ſuſcepit: cumque alumnum immortalem reddere vellet, interdiu divino eum lacte alens, noctu igne obruebat. Cæterum, cum Eleuſius inſolitum pueri incrementum miraretur, nutricem obſervaturus, clam eâ in parte domus ſe abſcondebat, ubi illa puerum igne fovere conſueverat. Ergo, videns illam puerum in ignem mittere, ſubito expaveſcens, clamore ſuo ſe prodidit. Hanc curioſitatem Ceres ægre ferens, morte in hominem animadvertit, puerum autem ſerendarum frugum rationem cum edocuiſſet, vehiculo, cui alati dracones juncti erant, impoſitum, orbem obire, & frugum uſum mortalibus communicare juſſit. Ipſa poſtea, *Arethuſæ* Nymphæ indicio, certior facta, Proſerpinam apud Inferos degere, Jovem adiit, multum de Plutonis injuriis querens. Jupiter, redditurum ſe filiam ei pollicitus eſt, ſi nihil apud Inferos illa deguſtaſſet. At, *Aſcalaphi*, Acherontis filii, indicio proditum eſt, Proſerpinam, in Plutonis pomario deambulantem, malum punicum decerpſiſſe,

pſiſſe, ejusque grana aliqua comediſſe. Hinc Ceres, filia carere coacta, Aſcalaphum in *Bubonem*, avem abominandi ominis, transformavit; Apud Jovem autem cum orare & obteſtari non deſiſteret, eum perpulit, ut Proſerpinæ concederet, dimidiam anni partem apud Inferos cum Viro, reliquam apud Superos exigere. De reliquo, quia *Leges* Cereris inventum ſunt, Sacra ipſius *Theſmophoria*, hoc eſt *Legumlatio*, appellabantur. *Effingebatur Ceres* matronali habitu, redimita ſpicea corona, interdum lampadem manu tenens, alias manipulum papaveris, aut ſpicarum. Sedentem in curru dracones trahunt.

DIANA.

Numen, quod in Sylvis *Diana*, apud Inferos *Hecate*, in Cœlo *Luna*, *Phœbe*, *Delia*, *Cynthia*, vocabatur. *Jovis* filia fuit ex *Latona*, eodem cum Apolline partu edita, in *Delo* Inſula, quæ tum primum e mari emerſit, ut tutum præberet Latonæ pariendi locum, quam *Juno* ubique inſectabatur, nullum ſuffugium illi permittens. Ob *Virginitatis* amorem, hominum conſortia fugit, paucarum virginum comitatu contenta, totamque ſe *Venationi* dedit, facta ideo Montium, Sylvarum, Saltuum, Amniumque Cuſtos, & Domina. Imaginem ejus exhibet Claudianus, l. 2. de Raptu Proſerp.

-- Triviæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat, Phœbiq; genas, & lumina Phœbi
Eſſe putes, ſolusq; dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent: levibus projecerat auris
Indociles errare comas, arcuq; remiſſo,
Otia nervus agit. Pendent poſt terga ſagittæ.
Criſpatur gemino veſtis Gortynia cinctu,
Poplite fuſa tenus.

Dicta eſt *Trivia*, quod triviorum ſecuritatem præſtaret. Quin, ut Hecate, *triplex* quoque *caput* gerebat, dextrum Equinum, ſiniſtrum Caninum, & medium Suis agreſtis. Sed & *Virginum Dianæ* habitudinem nobis depingit Claudianus, l. 3. de laud. Stilic. ſic Dianam, quam Latoniam ipſe appellat, affatus:

Tu quoq; nobilibus ſpectacula noſtra laboras
Illuſtrare feris, ſummoq; in vertice rupis
Alpinæ, ſocias arcu ceſſante pudicas,
Et pharetratarum comitum inviolabile cogis
Concilium. Veniunt humeros & brachia nudæ,
Armatæq; manus jaculis, & terga ſagittis;
Incomtæ, pulchræq; tamen, ſudoribus ora
Pulverulenta rubent. Sexum nec cruda fatetur
Virginitas: ſine lege comæ. Duo cingula veſtem
Crure tenus pendere vetant.

Canis Dianæ ſacrum animal; Currum candidiſſimi *Cervi* trahunt. *Dictynnia* appellata eſt à retibus. Matronæ, cum, gravido utero, *zonam* amplius ferre non poſſent, eam in hujus Deæ templo deponebant. Toto orbe celebre fuit *Templum*, *Epheſi* in Dianæ honorem conditum, ſeptemque mundi miraculis annumeratum: cujus *Cteſiphon* architectus fuit, vixque 220. annis ædificatum eſt. In ſolo paluſtri locatum erat, ne terræ motus ſentiret, aut hiatibus abſorberetur. Rurſus, ne in lubrico atque inſtabili tantæ molis fundamenta ponerentur, primum calcati carbones, dein vellera fuere ſubſtrata. Tantum opus *Heroſtratus*, ut famam maleficio ſibi compararet, incendit, ea die, qua Alexander M. natus eſt. *Renovatum* deinde tanta ſpecie, ut prioris etiam gloriam ſuperarit: Matronæque ornatum ſuum, e locis etiam maxime diſſitis, aliasque res pretioſas, liberali manu, ſuppeditabant.

VENVS.

Venus, generationis, pulchritudinis, deliciarum, voluptatumque omnium habita eſt Dea: ſecundum Ciceronem ita dicta, quod ad omnes res *veniat*; vel, quod per eam *proveniant*. Fertur, ex *ſpuma maris*, & *Cœli teſticulis*, quos Saturnus ei exciderat & in mare projecerat, in *concha margaritarum* ferace, fuiſſe concepta; atque ex ea prognata, in illa ipſa concha in Cyprum navigaſſe. Eam *Romani* religioſe coluerunt, quod ab illa originem ducere videri volebant, fingentes, ex ipſa & Anchiſe Æneam natum fuiſſe. *Simulacrum* ejus varium fuit. Interdum effingebatur ut puella, e concha marina exiens; interdum, ut mulier, manu concham tenens, roſis cincta, pone quam *Charites*, & utrinque *Cupido*, ac *Anteros*. Qui curru vehentem repræſentabant, *Cygnos*, aut *Columbas* vectores adaptare conſueverunt.

CVPIDO, Veneris ex Marte filius, Amoris Deus habebatur. Hunc Veteres *nudum* & *alatum* finxere, ac inſuper flammis, duabusque diverſæ naturæ ſagittis, una aurea, altera plumbea, armatum: quarum illi conciliandi, huic diſpellendi amoris vis inerat.

MARS.

Mars, Belli Deus, quod *maribus* in bello præſit, nomen accepit. Poëtis *Mavors* dicitur, per epentheſin. *Jovis* & *Junonis* filius fingitur; aut ſecundum aliquos ſola Junone genitus eſt. Cum enim Juno animi angeretur, quod comperiſſet, Jovem, e cerebro, ſine fœminæ commercio, Minervam procreaſſe, *Oceanum* adire conſtituit, ſciſcitatum, quo pacto & ipſa ſine viro parere poſſet. Cæterum, itinere fatigata, ad quietem captandam, juxta fores *Floræ* Deæ, zephyro

connubio junctæ, conſedit, & de peregrinationis cauſa a Flora quæſita, eam expoſuit. Monuit igitur Junonem Flora, creſcere in campis Oleniis florem, quo tacto conceptura ſit ſine viro. Fecit periculum Juno, ſtatimque gravida facta, *Martem* peperit. Hunc ferunt poſtea Veneris conſuetudine captum fuiſſe; ambosque, in geniali lecto deprehenſos, Vulcanus laqueis, ut evadere non poſſent, irretivit, Deorumque & Dearum omnium riſui expoſuit, donec, Neptuni precibus commotus, vincula laxaret, nexusq; disſolveret. Mars Sororem habuit *Bellonam*; Equus, Lupus, Canis, & Picus, ſacra ei animalia. Servius ad 8. Æn. annotavit, moris fuiſſe apud Romanos, ut is, qui belli curam ſuſceperat, Sacrarium Martis ingresſus, primo *Ancile* commoveret, poſt haſtam ſimulacri ipſius, diceretque: *Mars vigila*. Erat autem *Ancile*, ſcutum breve, quod Numæ Pompilii temporibus de cœlo decidit; unaque edita vox, potentiſſimam futuram Civitatem, quam diu in ea manſiſſet. *Mars figurabatur* nunc Equo, nunc Currui inſidens; in ejus manibus Haſta & Flagellum. Addebatur *Gallus gallinaceus*, vigilantiæ ſymbolum.

MERCVRIVS.

Mercurius *Jove*, & *Maja*, Atlantis filia, genitus eſt. Græcis *Hermes*, ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, appellatur. Erat enim *Nuncius* Deorum, dator Facundiæ, præſes item Mercatorum, Lucri, Palæſtræ, Furum. Geometriam, Muſicam, ejusque inſtrumentum Lyram invenit; ac ex ſorore Venere ſuſcepit *Hermaphroditum*. *Repræſentabatur* ut juvenis formoſus, vultu hilari, capite & pedibus alatus, Caduceum tenens. Erat autem *Caduceus* Virga, cui Serpentes duo, mas & fœmi-

fœmina, parte media ſui voluminis, nodo, quem Herculeum vocant, invicem colligati, primiſque partibus ita reflexi, ut oſcula jungere viderentur, adhærebant. Quippe, Mercurius in Arcadiam proficiſcens, cum ſerpentes duos pugnantes reperiſſet, eos interpoſita virga ad concordiam redegit, ſuæque Virgæ adaptavit. Hac ille Virga poſtea animas ab inferis revocare, ſomnum, quibus volebat, immittere, & præcipue diſſidia ac diſcordias componere, credebatur. Hinc, quemadmodum per *Feciales* bella indicere, ſic per *Caduceatores* eadem finire, receptum erat. *Mercuriales acervi*, Ἑρμαῖοι λόφοι, dictæ lapidum ſtrues, in viis publicis & compitis, ad itinera commonſtranda congeſtæ, quas transeuntes viatores, crebro lapidum jactu, in Mercurii honorem augebant.

JOVIS ſeu JUPITER.

Jovis nomen ab Hebræo *Jehova* ortum eſſe, quorundam fert conjectura. *Saturni* & *Opis* filius fuit, eodem cum Junone partu, in Creta Inſula editus. Solebat autem *Saturnus* filios, quos Opis ei pariebat, ſimul ac in lucem editi erant, devorare, quia in fatis eſſe cognoverat, fore, ut a filio per vim regno pelleretur. Ergo Opis, Jovem in Ida monte enixa, ipſum clam *Curetibus*, qui & *Corybantes*, Idæ accolis, nutriendum dedit. Hi infantem ad Nymphas in antrum detulere, a quibus lacte *Capræ Amalthéæ*, & melle educatus eſt. Unde Jupiter deinde Amaltheam, una cum capellis ejus, inter ſidera retulit, alterum vero ejus *Cornu* Nymphis nutricibus dedit, eam adjiciens facultatem, ut, quicquid optaſſent, id optatum ex illo ferrent. Enim vero, Jupiter cum adoleviſſet, cognoviſſetque etiamnum patrem ſibi inſidiari,

regno eum pepulit, mundique imperium, cum fratribus *Neptuno*, & *Plutone*, ſorte diviſit: ipſe cœli & terræ, Neptunus maris, Pluto inferorum regimen nactus. *Effingebatur*, in throno eburneo ſedens, ſceptrum manu ſiniſtra tenens, altera fulmina mittens, Gigantes conculcans. Juxta erat *Aquila*, quæ volans *Ganymedem* raptum portabat, habentem in manu craterem, ut illum Jovi miniſtraret. Jupiter primus inter mortales *juſtitiam* docuit, omni vi atque injuria remotis. *Metamorphoſes* variæ Jovis, quas Poëtæ commenti ſunt, id ſignificant, homines, cum ſe violentiæ ac libidini permiſere, etiam naturam dediſcere, & in belluas immutari. *Jupiter Hammon*, ſub forma arietis cornuti, in Libyæ deſertis colebatur, ubi templum inſigne *Bacchus*, ab India cum exercitu rediens, ei ædificavit: quoniam, cum ſiti laboraret, obvium arietem ſecutus, fontem invenit, quo totus exercitus recreatus eſt. *Arietem* igitur illum Jovem eſſe arbitrabatur.

Erant toto Orbe celebria *Jovis Dodonæi*, & *Jovis Ammonis Oracula.*

Dodóna fuit civitas antiquiſſima *Moloſſiæ* in *Epiro*, hoc eſt, uti nunc appellatur, *Canina:* a Dodona, Nympha quadam marina, aut a Dodone Jovis & Europæ filio, vel potius a Dodane filio Javan, cujus Gen. X, 4. mentio, ſic dicta. Juxta hanc propinquum erat nemus, Jovi ſacrum, totum querneum, in quo Jovis Dodonæi templum. Nimirum, Thebis aliquando Columbæ duæ, ambæ nigræ, avolaverant, earumque una in Libyam contendit, altera in Dodonæa ſylva conſedit, humana voce prolocuta, *fata velle hic loci Jovis oraculum condi.* Modus conſulendi ac reſpondendi talis erat. *Quercus* prope fanum ſtetit, omnium

Græ-

Græciæ arborum maxime vetuſta. In cacumine, hominis ſimulacrum virgam tenens. Prope erat lebes argenteus. Accedentibus, qui conſulerent, movebatur quercus, & reſonabat. Percuſſus a ſtatua lebes, inconcinnum quendam reddebat ſonum. Fœminæ Sacerdotes, quæ ſacra miniſtrabant, ſortesque dabant rogantibus, pronunciabant illico: *Hæc dicit Jupiter*: nam ſolæ intelligebant, quid ſibi vellet incondita voce fatidicus Dæmon. A lebete illo natum proverbium, *Dodonæum æs*; de homine juſto loquaciore. Vnde Poëta:

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni.

Jovis in Dodona fons gelidus immerſas faces extinguebat, accendebat extinctas. Idem meridie ſemper deficiebat, mox increſcens, ad medium noctis exuberans.

Jovis Hammonis Oraculum, in extimo ſinu Libyæ, apud Garamantas, ultra Cyrenen, ubi nunc *Barca* deſertum, in ſolitudine vaſta torridaque extabat; quo, propter intenſos Solis æſtus, non cuivis facile acceſſus patuit. Hic confertis proceriſque arboribus denſum nemus, 40. ſtadiorum ſpatio, gratiſſima umbra leniebat fervores diurnos, & paſſim manantes fontes rigabant ſolum, ſua natura arenoſum & ſterile. Medium ſylvæ *Templum Ammonis* occupabat, & ſacer *Fons*, in quo ſolebant dona luſtrari, antequam offerebantur Deo. Id, quod pro Deo colebatur, non hominis habebat effigiem, ſed Arietis, eratque e Smaragdo & gemmis coagmentatum. Hoc, quando reſponſum petebatur, navigio aurato geſtabant Sacerdotes 80. cum multis argenteis pateris, ab utroque navigii latere pendentibus. Illac ferebant idolum,

quo ejusdem nutu agebatur. Matronarum ingens virginumque turba ſequebatur, patrio more inçonditum quoddam carmen canentium, quo propitiari Jovem credebant, ut certum ederet Oraculum. His delinitum ritibus, non voce, ſed ſolo nutu ſignisque ſubobſcuris, quæ vellet, proferebat. Signa, Antiſtites iis, qui conſultum acceſſerant, referebant ac declarabant. *Alterum* haud procul hinc aberat *Hammonis fanum*, in opaco nemore, cui *Solis fons* propinquus. In iſto, eo ſemper aqua erat frigidior, quo Sol proprior: media nocte ſumme calebat. Certum eſt, Hammonis appellationem proveniſſe a *Cham*, cujus poſteri Libyam incoluerunt: atque juvat adire Voſſium, l. 1. de Idololatr. gentil. c. 18. 19.

NEPTVNVS.

Neptuno, *Saturni* & *Opis* filio, in Orbis diviſione, Maris, ceu dictum eſt, dominium obtigit. Vxorem habuit *Amphitríten*, multarum Nympharum, & Najadum matrem. Primus *navigandi artem* invenit, & Claſſem inſtituit; nec minus *equos domandi* modum illum reperiſſe, creditum. In ejus honorem *Circenſes Ludi* celebrabantur. Veteres interdum tranquillum ſedatumque, ſæpe vultu turbato *effinxere*, uti ſolet mare nunc æſtuare, nunc placidum reddi: ſtantem in Concha, quæ ab Equis marinis, poſteriore ſui parte piſcium ſpeciem referentibus, trahitur. *Tridentem* illi in manus tradidere, proprium Imperii maritimi ſceptrum: isque vel tres mediterranei maris Sinus, vel triplicem aquarum qualitatem, quæ in fontibus dulcis, in mari ſalſa, in lacubus inſipida eſt, ſignificat.

VUL-

VULCANVS.

Vulcanus, Ignis præſes, *Jovis* & *Junonis* filius, ob deformitatem e cœlo præcipitatus, in *Lemnum* Inſulam procidit, atque ex hoc lapſu crus fregit, inde *claudus* redditus. Nutrivit autem illum *Thetis:* Atque grandior factus, *Officinam Fabrilem in Lemno* inſtituit, fabricandis Jovi fulminibus, *Cyclópes* asſumens miniſtros. Vxorem habuit *Venerem*, ſæpe conjugalis fidei violatricem. Eruditi, Vulcanum eundem eſſe, volunt cum illo, qui in literis ſacris *Tubalcain* dicitur.

APOLLO.

Apollo, Jove & *Latóna* parentibus, genitus eſt. Juno autem, cum Latonam ex Jove gravidam reſcivisſet, immiſſo adverſus illam *Pythone* ſerpente, per totum orbem pellicem perſecuta eſt, qui nullam ei quietem, aut pariendi locum conceſſit. Tandem Latóna, poſt longos errores, ad *Aſteriam* ſororem, jam tum in *Ortygiam* Inſulam commutatam, pervenit, a qua ſuſcepta, primo *Dianam* peperit, quæ a veſtigio obſtetricis officium matri præſtitit, Apollinemque, gemellum ſibi, naſcentem ſuſcepit.

Apollo adultus, ut maternam injuriam vindicaret, *Pythonem* ſerpentem jaculis interfecit, unde *Pythii* cognomen tum ei hæſit. Nec minus deinde *Cyclópas* peremit, ob fabricatum fulmen, quo, ex *Coronide* Nympha, filius ejus *Æſculapius*, ad inferos fuit detruſus. Ob hanc cauſam aliquandiu divinitate privatus, *Admeti* Theſſaliæ Regis armenta, apud Amphryſum fluvium, per novem annos pavit. Quoniam autem apud Admetum perquam humaniter erat habitus, ad referendum beneficium, a Parcis impetravit, ut, cum

illarum fuſis Admeti dies fatalis volveretur, hac ratione mortem effugeret, ſi quis reperiretur, qui illius vice hanc vellet oppetere. Cum itaque dies mortis adeſſet, neque quisquam inveniretur vicarius, recuſantibus conditionem amicis & ſubditis omnibus, *Alceſtis* uxor, ſuæ vitæ diſpendio, mariti incolumitatem redemit. Cæterum Apollini *triplex* poteſtas fuit, ut nimirum in Cœlo *Sol*, in terra *Liber Pater*, apud Inferos *Apollo* exiſteret. Hunc *Medicinæ*, Muſicæ, Eloquentiæ, & Sagittandi artium, Oraculorum item ac Vaticiniorum Inventorem ac Præſidem Veteres conſtituerunt. *Simulacrum* ejus juvenis imberbis, cujus dextræ manui Arcus cum ſagittis, ſiniſtræ Cithara inerant.

Nihil quondam famoſius erat Pythii Apollinis, quod *Delphis*, Phocidis in Achaja urbe, & quæ totius Orbis umbilicus credebatur, extabat, Oraculo; cujus hiſtoriam tenere oportet. Scilicet, in *Parnaſſi* Phocidis montis anfractu, media fere montis altitudine, planities exigua erat, atque in ea profundum terræ foramen. Ad hunc ſpecum cum circum paſcerent capræ, factum, ut una ex grege frequenter propius accederet, &, quotiescunque introſpexiſſet, toties, cum reverteretur, miris & inuſitatis geſtiret ſaltibus, vocemque ſonaret inſuetam: quæ paſtor miratus, cum accederet, & ipſe voraginem ſpectaturus, mox, eodem furore hauſto, ſimili modo tripudiare, & vaticinia fundere cœpit. Fama de ea re cum increbuiſſet, fiebat concurſus ingens ad hiatum, & quotquot ſeſe demittebant, ſtatim vatidico halitu afflati, furibundis ſimiles evadebant. Tandem, quod, ex furore, multi per præceps in hiatum deſilirent, ac perirent, interdicto cautum fuit, ne quis am-

plius

plius in imum ſe demitteret: voragini vero templum impoſitum, & excipiendi referendique Apollinis reſponſa miniſterium, *Juvenculæ* commendatum fuit. Aliquanto poſt, quod *Echecrates* quidam, Theſſalus, virginem Pythiam raptam violaſſet, annoſæ deinde mulieri, quæ quinquageſimum annum exceſſisſet, miniſterium fuit injunctum; verum ita, ut mulier etiam cultu virginali uteretur, ne in totum vetus mos interiret. *Aditus ad templum*, ob præcipitia, erat difficilis & anguſtus, ac, objecta inſuper lapidum mole, via omnis undique præcludebatur, exigua ſemita relicta, per quam conſulturi oraculum, ſine comitatu, incederent. In medio Templi exigua planities ſe offerebat, & in ea hiatus, ex quo ſpiritus acer & vehemens, terribili ſonitu, excuſſus, Vatem, tripodi inſiſtentem, per infimas corporis partes corripiebat, agitatamque & concuſſam in furorem vertebat, eaque his intemperiis acta, fundebat vaticinia. Interdum tenuis ſpiritus, & ignis, ex ore illo antri, prorumpebat, fœminam circumfundens. Non licebat autem Oraculum quovis die percontari, ſed ſtatis tantum, definitisque, utpote Idibus, vel Calendis, vel Luna augeſcente, aut deficiente. Percontanti, brevi oratione utendum fuit, verbis Græcis concepta, mactata ſimul, & ſolemni ritu conſecrata victima. His legitime peractis, Apollo ex obſeſſa Pythia, fere metris Græcis, ſcite admodum atque argute, ſed ambigue interdum, concepta reſponſa pronunciabat. Fuit hoc Delphicum, omnium Ethicorum templorum locupletiſſimum, ſtatuis ex ſolido auro argentoque conflatis, immenſi ponderis, & aliis innumeris ac pretioſiſſimis Donariis refertum. *Hippocratem* etiam ſceleton æneum, exquiſitiſſime ad figuram humani

mani ſceleti fabrefactum, eo collocaſſe, Pauſanias autor eſt.

DII SELECTI ET INDIGETES.

JANUS.

JAnus, antiquiſſimus Italiæ Rex, *Apollinis* ex *Creuſa* filius, *Saturnum*, a Jove filio e Creta fugatum, cum navi in Latii oris appuliſſet, hoſpitio excepit, agrique colendi rationem ab eo edoctus, in Regni ſocietatem admiſit. Ambo igitur, unanimi conſenſu imperantes, duo oppida condiderunt, ac ex ſeſe *Janiculum* & *Saturnium* appellarunt. *Monetam* deinde primi cuderunt, in cujus altero latere roſtrum navis; in altero, Jani imago erat expreſſa. Fingebatur autem *Janus bifrons*, quod omnium ſuæ ætatis Regum longe prudentiſſimus eſſet, ac ex præteritis futura prævideret. Interdum *Quadrifrons* fiebat, ad quatuor anni partes ſignificandas. *Extra Numos, imago Jani* Virgam & Clavem tenebat: quippe, ut pudori & ſanctimoniæ ædium conſuleretur, *Valvas*, & *Seras* excogitaverat. *In Capitolio*, Jani ſimulacrum ita efformatum erat, ut manu dextra trecentorum, ſiniſtra ſexaginta quinque numerum exhiberet, ad dies anni demonſtrandos. Primus quoque Janus, Italos *Vineas* colere docuit, ac Naves, Coronas, & Pontes tumultuarios conficere. *Templum* Romæ XII. portarum habuit, a Numa poſitum: id tempore belli patebat, pace vigente, obſeratum conſpiciebatur, ac inde ipſe Janus *Patulejus*, & *Cluſius* audiebat. Non fuit niſi *ter clauſum*, primum regnante Numa; iterum poſt bellum Punicum ſecundum; & tertio poſt bellum Actiacum, cum Auguſtus rerum potiretur. Hujus apertionis & occluſionis cauſa

cauſa redditur, quia, Romulo contra Sabinos pugnante, cum jam prope vinceretur, *calida aqua*, ex eo loco erupit, cujus æſtu Sabini in fugam dati ſunt. Ergo, pugnaturi Romani templum adaperiebant, cui divinitus præſtiti auxilii omen inerat.

SATVRNVS.

Saturnus *Cœli* & *Veſtæ* filius, *Opem* ſororem matrimonio ſibi junxit. Fratrem habuit *Titânem*, majorem natu, qui, cum parenti, ſucceſſionis lege, ſuccedere deberet, animadvertens tamen, Matrem Sororesque in Saturnum proniores eſſe, jure ſuo ceſſit, ea tamen lege, ne *Saturnus* prolem maſculam tolleret, ſed ut regnum ad ſuam ſtirpem rediret. Saturnus igitur, ex pacto cum fratre inito, liberos ſuos maſculos, ſimul ac nati erant, devorabat. Cæterum, cum Ops uno partu *Jovem* ac *Junonem* edidiſſet, Junonem quidem Saturno oſtendit, Jovem vero clam nutriendum ablegavit, adhibitis *Corybantibus*, qui cymbalorum tympanorumque pulſu obſtrepebant, ne pueri vagitus audiretur: Saturno autem, cum ille puerum ad devorandum depoſceret, Ops *lapidem* exhibuit, pannis involutum, eumque partu a ſe editum ſimulabat; quem Saturnus acceptum, ſine mora deglutivit. Verum fraude detecta, cum Titan intellexiſſet, fratri prolem maſculam ſuppetere, ſuosque ea ratione a regno depelli, una cum filiis bellum adverſus Saturnum ſuſcepit, cujus exitus is fuit, ut victoria penes Titanem eſſet. Saturnus deinde, a Jove in exilium actus, in Italiam profugit. Saturno regnante, Poëtæ *Auream Ætatem* fuiſſe fabulantur, qua terra ſua ſponte, vomeris & aratri expers, fruges edebat, poſſeſſiones vero agrorum, nullis limitibus diſtinctæ, communes erant.

erant. *Simulacrum Saturni* tale fuit: Effigiabatur ſenex, canus, prolixa barba, recurvus, triſtis & pallidus, capite tecto, qui manu dextra falcem, ſerpentemque, caudam ſuam mordentem, tenebat; manu ſiniſtra puerulum ad os applicabat, eum devoranti ſimilis.

CYBELE.

Cybele, aliis nominibus *Ops*, *Rhea*, *Veſta*, *Magna Mater*, & *Berecynthia* appellata eſt. Fertur, *Menoëm*, vetuſtiſſimum Phrygiæ Regem, ex uxore *Dindymene* filiam procreaſſe; quam exponi juſſerit in monte Cybelo: infantem, a feris enutritam, mire pulchram evaſiſſe, inventamque a muliere paſtoritia educatam pro ſua, dictamque a monte, in quo fuerat expoſita, Cybelem. Cum adoleviſſet, multas artes ingenii acumine inveniſſe, docuiſſeque mortales cantum Tibiæ, Cymbalorum & Tympanorum ſonitus, præterea medicamina adverſus pueriles morbos, quibus cum multi infantes ſanarentur, ideo *Magnam Matrem* nominatam eſſe. Dehinc adoleſcentis cujusdam illius regionis, cui *Atys* nomen, amore capta fuit, & ab eo compreſſa; quo flagitio cognito, Menoës pater de Aty ſumere juſſit ſupplicium. At Cybele, amore incenſa, ex deſiderio Atys, in furorem converſa, ſola, ſparſis crinibus, cum tympano & fiſtula, ex ædibus paternis ſe proripiens, per orbem terrarum cœpit vagari. *Deæ hujus imago* ita exprimebatur, ut capite turritam coronam geſtaret, Sceptrum una manu, altera Tympanum teneret, & Curru, quem Leones trahebant, veheretur.

GALLI, Sacerdotes Cybeles, ſic dicti a *Gallo* Phrygiæ flumine, cujus aquas cum bibiſſent, ſtatim furere

rere incipiebant, adeo, ut ſeipſos caſtrarent. Sacra facientes, furentium more, capita rotabant.

PLVTO.

Pluto, *Saturni* ex *Ope* filius minimus; in diviſione cum Jove & Neptuno, Inferos nactus eſt. Nam,

Jupiter aſtra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria, quiſq; ſuum.

Nomen ei a *divitiis*, quas Græci πλȣ́τȣς appellant, eo quod opes omnes ab inferis, hoc eſt ex intimis terræ viſceribus, eruantur. Tribuuntur illi *quatuor Equi* furvi, & *Claves* manibus geſtare fingitur; ut ſignificetur, claves mortis in ejus manu eſſe, & per *quatuor hominum* ætates currum illius volvi.

BACCHVS.

Bacchum, etiam *Liberum Patrum* dictum, ex *Semele* Jupiter ſuſcepit. Eam primum matertera *Ino*, Cadmi filia, clam nutrivit, poſtmodum Nymphis alendum dedit: habuit & *Silenum* Satyrum educatorem. Cæterum, Bacchus, peregrinationibus ad remotiſſima loca confectis, *Indias* vicit, hominesque vineas plantare, ſegetes demetere, negotiationes exercere docuit. *Fingebatur* juvenili ſpecie, corpore tenero & delicato, ita ut Virginem referret: unde Poeta:

Trahitq; Bacchus virginis tener formam:

cum quibus hodiernæ Bacchi picturæ non bene conveniunt; niſi quis nimiam corporis obeſitatem, pulchritudini adſcribat. Amplius, Bacchi caput hedera redimitum erat, thyrſum manu tenebat, & Curru vehebatur, quem Tigres & Lynces trahebant, ſequebatur bacchantium turba. Erat autem *Thyrſus* haſta,

ſive virga, pampinis aut hederæ foliis veſtita, in cujus extremitate cuſpis erat, forma coni pinei. *Aſinus* & *Caper*, Baccho ſacra animalia: & ὀυδὲν πρὸς Διόνυσον, *nihil ad Bacchum*, de nugis intempeſtivis, quæ ad propoſitum nihil faciunt, proverbio dicimus. Inter Bacchi cognomina eſt, ut *Lyæus* vocetur, παρὰ τὸ λύειν, a *ſolvendo*, quod vino mentes & curæ ſolvantur. Horat. Epod. 9.

Curam metumq; Cæſaris rerum juvat
Dulci Lyæo ſolvere.

GENIVS.

Genium Veteres appellabant *Deum naturæ*, qui omnium rerum gignendarum vim haberet. Unde & cuique rei ſuum Genium, Homini vero duos aſſignabant, *Bonum*, & *Malum*, aſſiduos obſervatores, ita, ut ne puncto quidem temporis abſcedant. Servii, ad illud Virgilii, *Quisq; ſuos patimur manes.* Æn. 6. verba ſunt: *Cum naſcimur, duos Genios ſortimur, unus eſt, qui hortatur ad bona, alter, qui depravat ad mala. Nec incongrue dicuntur Genii, quia, cum unusquisq; genitus fuerit, ei ſtatim obſervatores deputantur: quibus aſſiſtentibus, poſt mortem, aut aſſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora.* Accipitur Genius pro ipſa Natura. *Simulacrum* Genii, interdum Serpentis imagine effingebatur, interdum puerili, juvenili, ſenili forma. Coronabatur platani foliis: & ſacra illi fiebant Floribus ac Mero. In Numis quibusdam Imperatorum, Genius pateram dextra ſuper aram porrigit, ſertis ornatam; læva; flagellum propendulum geſtat.

FOR-

FORTUNA.

De hac Plinius l. 2. Nat. Hiſt. c. 7. merito ſcripſit: *Toto mundo, & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium vocibus, Fortuna ſola invocatur, una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur: ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conviciis colitur: volubilis, a plerisq; vero & cæca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, ſola utramq; paginam facit.* Ejus *Imago* erat mulier nuda, pedibus alata, & rotæ, aut pilæ inſiſtens: longi capilli e fronte dependent, calvum eſt occiput, Cornu Copiæ oſtentat.

HERCULES.

Alcmena, Electryonis & Lyſidices filia, *Amphitryoni* ea lege nupſit, ut mortem fratris, a *Telebois*, Ætoliæ populis, occiſi, ulciſceretur. In hac expeditione, dum Amphitryo verſatur, Jupiter, in Alcmenam ardens, mariti, quaſi rebus confectis, redeuntis, forma aſſumta, ad eam acceſſit, illiusque deceptæ conſuetudine, duabus noctibus, quas in unam redegit, uſus eſt. Inde gravida facta, cum & ante ex Amphitryone prægnans eſſet, gemellos peperit, *Iphiclum* ex Amphitryone, & *Herculem* ex Jove. Eo die, quo naſciturus erat Hercules, cum eſſet a Themide prædictum, infantem naſciturum, qui cæteris mortalibus imperaret, *Juno* in terram deſcendit, & Alcmenæ, partum differens, *Stheneli* uxorem, fœtum ſeptem tantum menſium edendo, præcipitare juvit, cui *Euryſthei* nomen fuit impoſitum. Sic Herculem Euryſtheo ſervire oportuit, qui Junoni, Herculem ſummo odio proſequenti, & quæ jam in cunis jacenti

angues duos, quos tamen ille manibus eliſit, immiſerat, obſequens, Herculem difficillimis laboribus periculisque objecit, ſperans fore, ut illorum magnitudine opprimeretur. Sed is, induſtria ſemper ſuperior, effecit, ut prius Euryſtheus jubendo, quam ipſe mandata exequendo, defatigaretur. Denique Hercules, ab uxore *Deianira*, Oenei Ætoliæ Regis filia, venenata veſte peremtus, poſt mortem inter Deos relatus eſt, ac *Hebes* maritus evaſit. Fuit autem Hebe, Junonis filia, ſine patre, quam poſtea Jupiter, ob formæ elegantiam, potum ſibi miniſtrare juſſit. Verum, cum, Jove apud Æthiopas cœnante, poculum exhibitura, per lubricum fallente veſtigio, cecidiſſet, ac verenda corporis nudaſſet, ab officio remotæ, *Ganymedes* ſubſtitutus fuit. Cæterum Herculis XII. ab Euryſtheo impoſitos labores, Poëta his verſibus complexus eſt:

Prima Cleonæi *tolerata ærumna* Leonis;
Proxima Lernæam *ferro & face contudit* Hydram;
Mox Erymantheum *vis tertia perculit* Aprum;
Æripedis *quarto tulit aurea cornua* Cervi;
Stymphalidas *pepulit* Volucres *diſcrimine quinto*;
Threïciam ſexto ſpoliavit Amazona baltheo;
Septima in Augiæ ſtabulis *impenſa laboris*;
Octava expulſo numeratur adorea Tauro;
In Diomedeis *victoria nona* Quadrigis;
Geryone *extincto, decimam dat Iberia palmam*;
Vndecimum, mala Heſperidum *diſtracta*, *triumphum*;
Cerberus *extremi ſuprema eſt meta laboris*.

I. Hercules, in Achajæ ſylva *Nemea*, haud procul a Cleona oppido, inuſitatæ magnitudinis *Leonem* nec ferro,

ferro, nec lapidibus vulnerabilem, clava confecit, & exuviis ejus, pro veſte ſemper uſus eſt.

II. *Lerna*, lacus in agro Argivo, *Hydram* habuit, omni vicinæ regioni infeſtiſſimam: unum illi corpus, ac capita 50. atque ex uno reciſo, duo alia ſtatim repullulabant. Hanc Hercules cum aggrederetur, ingens *Cancer*, admorſo ejus pede, Hydræ auxilium tulit. Ergo & opem ab *Iphiclo*, qui eodem, ceu dictum, ſecum partu, verum Amphitryone patre, ab Alcmena editus erat, petiit. Is, e ſylva ſuccenſa torribus arreptis, adurendo capita, prohibuit, ne ſanguis effluens nova capita generaret. Euryſtheum ferunt noluiſſe victoriam hanc, in iis quas debebat Hercules, duodecim, numerare; quoniam adhibuiſſet auxilium alienum.

III. Herculi certamen erat contra *Aprum* terribilem, *Erymanthi* Arcadiæ montis incolam, qui omnia circum loca devaſtabat. Eum vivum atque vinctum traduxit *Mycenas*, altiſſimæ nivis impedimento delaſſatum, atque captum in fruticeto. Adverſus hunc tendens Hercules, ad Centaurum divertit *Chironem*, in eo monte degentem, qui hoſpitem benigne accepit, & toſtas Herculi carnes appoſuit, ipſe crudis veſcens. Cum vero vinum deeſſet, poſcenti Herculi, Centaurorum omnium commune dolium Chiron relevit, vini generoſiſſimi. Cujus odore fragrantiſſimo excitati ejus montis *Centauri*, impetu facto, in Chironis ruebant ædes, injuria incenſi quod, publicæ rei detrimento, privatam ſibi unus captaret gratiam. At, cæſis ab Hercule plurimis, in fugam ſe reliqui dederunt. Chiron ipſe, cum *ſagittam Herculis*, Hydræ tinctam veneno, minus caute manibus tractaret,

eaque delapſa forte cecidiſſet in pedem, vulnus, quod remedium non tulit, contraxit.

IV. Contentio Herculi inſtituta de velocitate, cum *Cerva*, aureis cornibus, æreisque pedibus inſigni, Dianæ ſacra. Hanc *Oenoë* alebat in Attica: nec interficere, ſed afferre vivam oportuit, quippe Deæ dedicatam. Annua igitur venatio huic prædæ data eſt, continenti curſu. Laſſam denique, in *Artemiſio* Arcadico monte, cum Ladonem fluvium tranatura deſcenderet, ſagitta ſauciam cepit. Aliqui tamen, eam, retibus implicatam, captam fuiſſe, malunt.

V. *Stymphalum*, Arcadiæ altiſſimum montem, aves inhabitabant, *Stymphalides* dictæ, tantæ magnitudinis, ut Solis radios obumbrarent, omnemque Arcadiam popularentur. Illas Hercules ſagittis transfixit; vel, quod ab aliis proditum eſt, ænei crepitaculi ſonitu fugavit.

VI. Hercules *Amazonas* debellavit, earumq; Reginam *Hippolyten* cepit. Hujus *baltheo* Euryſtheum donavit, ipſam Theſeo ſocio connubio junxit.

VII. *Augias*, aliis *Augeas*, Rex Elidis, Solis, vel, quod aliis placet, Neptuni filius, bubile habuit, 3000. boum capax, nunquam, ante Herculis adventum, repurgatum. Cui cum Augias id purgandum locaviſſet, Hercules *Alphéum*, aut, quod ab aliis proditum eſt, *Péneum* fluvium illac immiſit, ejusque aquis 30. annorum fimum, quem egerere longum fuiſſet, uno die, nullo propemodum negotio, eluit. Quo nomine cum partam ſibi mercedem exigeret, tergiverſante Augia, *Phyleum* filium ejus arbitrum delegit. Is, cum ſecundum Herculem pronunciaſſet, pulſus a patre, in *Dulichium* Inſulam confugit. Hanc rem ægre ferens Hercules, Elidem diripuit, & , Augia interfe-

terfecto, revocatum Phyleum patris loco regno præeſſe juſſit.

VIII. *Taurum*, Inſulæ Cretæ fere toti vaſtitatem inducentem, Hercules perdomuit, eumque vinctum ad Euryſtheum perduxit. Hic poſtea Atticæ regioni illum immiſit, cui, cum plurimum damni intuliſſet, a *Theſeo*, apud Marathonem, trucidatus fuit.

IX. *Diomédem*, Thraciæ Regem, qui *Equos* ſuos, hoſpitum ad ſe venientium carnibus & ſanguine paſcebat, Hercules devicit, atque propriis equis in pabulum projecit.

X. *Geryonem*, Balearidum & Ebuſi Regem, tricorporem, bello ſuperavit Hercules, ejusque armenta in Græciam abegit.

XI. *Ægle*, *Arethuſa*, & *Heſperethuſa*, Heſperi, fratris Atlantis, filiæ, Heſperides dictæ, hortos habebant, nemore aurifero pretioſos, quos *Draco* inconnivis oculis pervigil cuſtodiebat: eum Hercules interfecit, *pomaq;* aurea ad Euryſtheum detulit.

XII. Denique ad Inferos quoque deſcendit Hercules, & *Cerberum*, Canem tricipitem, Orci cuſtodem, iter prohibentem, triplici catena vinctum, ad ſuperos traxit.

Alia, quæ inſuper Herculi tribuuntur, facinora ingentia & memorabilia.

Theſpis, ſive Theſpius, Athenienſis, Eréchthei Regis filius, e pluribus fœminis 50. *filias* genuerat, eas una nocte Hercules, ad epulas vocatus, compreſſit, ſuſcepitque 50. filios, *Theſpiades* dictos. Ii, cum *Joláo*, Iphicli, Herculis fratris filio, in Sardiniam profecti, civitates ibi plurimas condiderunt.

Achelóus, filius Oceani & Terræ, cum Hercule certamen iniverat, pro *Deianira*. Sed, videns Herculem fortiorem, ſe vertit primo in Serpentem, deinde in Taurum. Huic Hercules amputavit *Cornu*, quo Copiam, Fortunæ comitem, donavit. Sed, cum Achelous poſtea Herculi *Amalthéæ* cornu dediſſet, ſuum recepit. Tandem ab Hercule victus, ſe in ſui nominis *fluvium*, gemino fluento notabilem, occultavit.

Busíris, Neptuno, & Lybia, Epaphi filia, genitus, Ægyptiorum tyrannus crudeliſſimus, hoſpites omnes Jovi immolabat. Illum Hercules, in Ægyptum delatus, cum ſibi quoque inſidias ſtrui animadverteret, una cum *Amphidamante* filio, & ſacrorum miniſtris, ſuſtulit e medio.

Antæus, Gigas Libycus, Neptuni & Terræ filius, magno ac procero corpore, quoties membra labore eſſent defeſſa, tactu terræ, vires reſtaurabat. Hic, *Neptuno* fanum ex craniis humanis exſtructurus, obvios quosque occidit: tandem autem ab Hercule, qui, ei in altum ſublato, ſpiritum præcluſit, necatus eſt.

Calpe, mons altiſſimus, in extremis Hiſpaniæ finibus, e regione in Africa oppoſitam habet *Abylam*. Hos, quondam perpetuo jugo junctos, Hercules diremit, inter quos fretum Gaditanum.

Cum *Atlas*, jam feſſus, moli cœlorum, quam humeris ſuſtinebat, ſuccumberet, Hercules vicariam operam tantiſper præſtitit.

Cacus, prædo, Vulcani filius, ſemihomo & flammivomus, inter cætera latrocinia, quibus agrum Latinum quotidie infeſtabat, Herculis quoque boves, quos ille, occiſo *Geryone*, ex Hiſpania abduxerat, noctu e paſcuis abegit, &, ne veſtigiis furtum deprehendere-

deretur, cauda in antrum ſuum pertraxit. Hercules, evigilans, cum partem armentorum abeſſe deprehenderet, ad proximam ſpeluncam pergit: at vero veſtigia nulla in eam tendentia, omnia retrorſum deprehendens, incertus animi, ex illis oris recedere conſtituit. Sic, dum *Boves* ejus ſpeluncam prætergrediuntur, & mugitum edunt, ibi incluſæ *Vaccæ* vocem reddunt. Ergo Herculem, in Speluncam intrare volentem, cum Cacus aditu prohiberet, clava ab eo ictus occubuit.

Lacinium, latronem, extremam Italiæ oram infeſtantem, Hercules peremit, ibique *Junoni* templum conſtituit, quod Junonis Laciniæ appellatum.

Albiónem & *Bergionem*, Neptuni, ex Amphitrite, Oceani filia, gnatos, Hercules, haud longe a Rhodani oſtiis, a Jove patre imbre lapidum adjutus, profligavit.

Tyrrhenum, Eubœæ Regem, Bœotiis bellum inferentem, Hercules devicit, eumque, pullis equinis alligatum, in diverſas partes diſcerpſit.

Hesíonem, Laomedontis Trojæ Regis filiam, Hercules, ceto expoſitam, liberavit. Cum vero *Laomedon*, equos, quos in præmium pollicitus erat, denegaret, Hercules, hominis perfidiam ægre ferens, Trojam diripuit, Heſionemque, Telamóni, qui primus murum conſcenderat, uxorem dedit.

Prometheus, cum homines e luto fingeret, portiones captas e ſingulis elementis, operi ſuo admiſcuit, atque, pro ipſorum elementorum temperamentis, non ſolum vires ſingulis corporibus addidit, ſed etiam motus animorum & mores. Ejus ingenium admirata *Minerva*, ſe illi daturam promiſit, quicquid apud Superos eſſet, quod ad operis perfectionem pertineret.

tineret. Cum vero reſpondiſſet Prometheus, conjicere ſe non poſſe, quæ apud Superos eſſent operi ſuo utilia, niſi præſens ſingula eſſet intuitus, Minervæ ope in cœlum ſublatus eſt. Ibi, cum corpora omnia cœleſti igne videret animata, hunc ſuo figmento utiliſſimum fore ratus, ferulam, quam ſecum attulerat, rotis Solis admovit, eaque accenſa, ignem detulit in terras, luteumque ſuum hominem, illo animavit. Quod Promethei furtum ægre ferens Jupiter, *Pandoræ*, *Epimethei* (frater is Promethei erat) uxori, pyxidem tradidit, ad Prometheum perferendam: quod munus cum ille ſpreviſſet, ad Epimetheum contendit, qui, demto vaſculi operculo, mille morbos, aliasq; calamitates evolare ſentiens, vix ultimam, & in imo reſidentem, ſpem, occluſit, & cum ea vas illud ſervavit. Cæterum, Prometheum Mercurius, Jovis juſſu, in Caucaſo monte religavit, *Aquilamq;* adjecit, quæ jecur ejus aſſidue depaſceret: Hercules vero Prometheum vinculis ſolvit, & Aquilam interemit.

Hercules, cum *Deianira*, & *Hyllo* filio, ad Dryopes veniens, valde eſurienti puero aliquid cibi a Theodomante poſtulabat. Cum nihil impetraret, arreptum unum ex bobus *Theodamantis*, mactavit, atque coxit. Ergo, convocatis popularibus, Theodamas in Herculem impetum facit, ac pæne illum viciſſet: qui tamen, ſuperior factus, Theodamantem occidit, filiumque ejus *Hylam* ſecum abduxit, quem poſtea unice amavit, ita ut nunquam illum a ſe dimitteret. Dehinc in *Colchidem* una cum Argonautis proficiſceus Hercules, cum inter remigandum remum fregiſſet, una cum Hyla navi egreſſus eſt, ut alium in Myſiæ ſylvis quæreret. Invaleſcente autem æſtu, cum ſiti urgeretur, Hylam cum urna ad

Aſca-

Aſcanium fluvium miſit, ut inde aquam ſibi afferret. Verum, cum ripa altior eſſet, quam, ut ſtans haurire poſſet, in pectus procumbens, & nimis corpus promovens, in fluvium prolabitur: quem Nymphæ rapuerunt. Hercules, cum Hylas nusquam compareret, relictis Argonautis, *Myſiam* totam, puerum quærendo, quamvis incaſſum, pererravit.

FAVNVS.

Faunus, aliis nominibus, *Pan*, & a ſylvis, *Sylvanus* dictus eſt. Hunc, Paſtorum, Venatorumque Deum, & vniverſæ vitæ ruſticanæ Præſidem, Veteres crediderunt. Cujus filius fuerit, non ſatis conſtat. Vniverſam naturam eo ſignficari, Orpheus teſtatur. Et vero, ita *fingebatur*, ut nihil ex toto univerſo, in eo prætermiſſum videatur. Habet enim cornua, in radiorum Solis, & cornuum Lunæ ſimilitudinem. Rubet ejus facies, ad ætheris imitationem: in pectore nebridem, ſive hinnuli pellem habet ſtellatam, ad ſtellarum imaginem; pars inferior hiſpida eſt, propter arbores, virgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut oſtendat terræ ſoliditatem. Fiſtulam compoſuit, ſeptem imparibus calamis junctis, propter cœli harmoniam.

CASTOR & POLLVX.

Caſtor, & *Pollux*, Jovis ex *Leda* filii, etiam *Dioſcuri*, & *Tyndaridæ*, a Poëtis appellantur, quemadmodum & *Helenæ*, ſorori ipſorum, *Tyndaris* nomen, Tyndarus enim Ledæ maritus fuit. Hi, ubi primum adolevere, mare a piratis liberarunt, ob id *Dii maris* habiti, eosque in tempeſtate nautæ ſolebant implorare. Apparebant quoque iis, ignis ſpecie, antennæ, aut malo inſidentes: atque, ſi gemini conſpicerentur, ſalutare id

erat; triſte, ſi ſinguli. Cum *Caſtor* diem ſuum obiiſſet, ferunt, *Pollúcem*, qui, eodém quippe cum Helena ovo prognátus, cum immortalis eſſet, a Jove petiiſſe, ut ſibi cum fratre, jam vita functo, immortalitatem ſuam partiri liceret. Qua re impetrata, alternis vicibus mori dicuntur, & reviviſcere. Cum *A. Poſthumius* Dictator, adverſus *Mamilium Tuſculanum*, Tarquinii Superbi generum, quem Socer cum omni populo Latinorum exciverat, ad *Regillum* lacum pugnaret, apparuere duo primæ lanuginis juvenes, præſtantiores ſtatura & forma, quam quæ videri poſſet mortalium. Ii, præcedentes Romanum equitatum, hoſtem haſtis feriebant cominus, & in fugam cogebant. Rurſum, cum poſt fuſos fugatosque Latinos, fere jam finito prælio, in foro Romano viſi eſſent adoleſcentes duo, militari cultu, proceriſſimi, cum equis ſudore madentibus, quos ad Veſtæ Ædem lavabant, atque multis eos circumſiſtentibus, rogantibusque, ecquid ab exercitu novi afferrent, pugnam indicaſſent atque victoriam, & digreſſi, nusquam amplius, quamvis valde quæſiti, comparuiſſent, Senatusque e Poſthumio certior factus eſſet, eos etiam in prælio dimicaſſe, creditum, Caſtorem & Pollucem fuiſſe, iisque templum in foro conſtructum, ubi comparuerant, vicinusque *Fons* ſacer, dictus eſt.

FLORA.

Hanc meretricem fuiſſe ajunt, quæ, cum magnas opes corporis quæſtu paraſſet, Populum Romanum ſcripſit heredem, certamq; pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, Ludorum editione. Mos ei aliquandiu geſtus eſt: ſed, quia tractu temporis, Senatui id flagitioſum videbatur, ab ipſo nomi-

nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, *Deam* finxerunt eſſe, quæ floribus præſit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus & vitibus bene floreſcerent. Celebrabantur Ludi illi, *Floralia* dicti, omni laſcivia & inverecundia, in meretricis memoriam convenienter.

GRATIÆ.

Gratiæ a Latinis vocatæ ſunt, quas Græci *Charites* appellant. Aliorum parentum filiæ, aliis Scriptoribus creditæ ſunt. Quidam, ex *Venere* & *Jove* genitas, ſcripſere; nonnulli, ex *Venere* & *Libero*: Cicero, ex *Erebo* & *Nocte* ortas, credidit. Tres fuere, *Aglaja*, quæ & alio nomine *Paſithea*, *Thalía* & *Euphróſyne*. Tot autem confictæ, quia & benefici in alios eſſe debemus, & aliorum beneficia admittere, iis quoq;, qui erga nos liberales fuere, beneficium reddere; quæ, tres ſeparatæ ſunt actiones. A Veteribus ita *fingebantur*, ut una earum averſam faciem teneret, quaſi a nobis profecta; duæ ex adverſo tuerentur, ut, cum fœnore, & dupliciter quaſi, beneficium reddendum eſſe monerent. *Nudæ* exiſtebant, quia fuco & velamine carere debent beneficia; *ridentes*, quia hilariter dandum; item *connexæ*, quia accipiendi & reddendi beneficii commercium, perpetuum eſſe debet, & indiſſolubile.

MVSÆ.

Muſas, Poëtæ *Jovis*, id eſt Intellectus, & *Memoriæ* filias fecerunt; his enim rebus eruditio conſtat. Nomina earum, & inventa, complectitur Auſonii Epigramma ſequens:

CLIO, *geſta canens transacti temporis edit.*
MELPOMENE, *tragico proclamat mœſta boatu.*

Comi-

Comica laſcivo gaudet ſermone THALIA.
Dulciloquis calamos EVTERPE *flatibus urget.*
TERPSICHORE *affectus citharis movet, imperat, auget.*
Plectra gerens ERATO, *ſaltat pede, carmine, vultu.*
Carmina CALLIOPE *libris heroica mandat.*
VRANIE *Cœli motus ſcrutatur & Aſtra.*
Signat cuncta manu loquitur POLYHYMNIA *geſtu.*
Mentis Apollineæ vis has movet undiq; Muſas:
In medio reſidens complectitur omnia PHOEBVS.

VICTORIA.

Victoriam, *Pallantis* filiam, Lycaonis neptem fuiſſe, tradunt, una cum *Minerva* enutritam, & ab ipſa poſtea in Deorum numerum relatam. *Fingebatur* Virginis alatæ habitu, quaſi cœlitus ad eos, quos ſucceſſibus ornare vellet, devolans: vultu liberali & blando; capite lauru coronato, & manu dextra protenſa lauri ramulum exhibens, globoq; inſiſtens. *Templum* ejus Romæ antiquiſſimum in Aventino fuit, ab Arcadibus conditum. Etiam *ſimulacrum* ejus aureum cccxx. pondo, ab *Hierone* Siciliæ Rege, Romam miſſum, Capitolini Jovis templo fuit illatum. Faſtigia Templorum, communiter Victoriæ ſigno ſolebant ornari.

PENATES.

Penates, ſecundum Servium, ſunt omnes Dii, qui domi coluntur; ſic dicti, quod *penes nos nati.* Eorum *ſimulacrum*, parvæ icunculæ, quibus vino & thure priſci faciebant.

LARES.

Lares, ſunt Dii geniales & domeſtici, quorum mater *Lara*, ſive *Larunda.* Sunt autem Lares alii Publici, alii

alii Privati. *Publici*, qui, & *Compitales*, & *Viales* appellati, compitis, viisq; publicis præerant. *Privati*, cujusq; domum ac focum ſervare credebantur. Inde *Lar familiaris*. Is, *Canis* figura efformabatur, ad cuſtodiam & defenſionem ædium ſignificandam, cui canes invigilant. *Lararium*, eſt Sacrarium domeſticum, in quo Lares & Dii domeſtici colebantur. Lampridius autor eſt, *Alexandrum Severum* Imperatorem, in Larario, etiam Abrahamum & Chriſtum coluiſſe.

THEMIS.

Themis, *Cœli*, ac *Terræ* filia, oraculorum & divinationum prima inventrix fuit; nec minus eadem hominibus præcepit, ut nihil a Numinibus peterent, niſi quod fas eſſet. Habuit vetuſtiſſimum Oraculum, in *Bœotia*, ad Cephiſsum amnem.

PARCÆ.

Parcæ, Jovis, ex *Themide*, vel, quod aliis placet, *Nocte*, aut *Chao*, filiæ, Deæ fatales ſunt, humanæ vitæ ſtamina diſpenſantes. Tres illæ numero, quarum nomina, & officia, Verſus iſte deſignat:

CLOTHO *colum geſtat*, LACHESIS *net*,
& ATROPOS *occat*.

Nimirum, *Clotho*, natu minima, colum tenet: altera grandior, *Lacheſis*, nendo humanæ vitæ terminum præfinit: *Atropos*, natu maxima, filum reſecat, & vitam tempore ſtatuto abrumpit. Apulejus, Parcarum ternarium numerum, *a triplici tempore* ductum exiſtimat. Nam, quod in fuſo perfectum eſt, præteriti temporis habet ſpeciem; &, quod in digitis torquetur, momenti præſentis indicat ſpatia; &, quod nondum ex colo tractum eſt, futuri & conſequentis ſeculi poſte-

poſteriora videtur oſtendere. Vulgo Parcas *per antiphraſin* dictas volunt, quod minime parcant. Sed Voſſius, antiphraſin, nugale Grammaticorum commentum, merumq; inſcitiæ aſylum criminatur. Et ſane Scaliger l. 3. de Re Poët. Parcas ſic dici contendit, quod *parcant*: Vna enim tantum dicitur filum incidere; duæ vero, altera vitam dare, altera vitæ tractum continuare; a pluribus igitur fieri nominationem. Quin, illam quoq; parcere, ſuſtinere, enim aliarum opus, quoad fatorum juſſibus pareat. Alteram tamen opinionem probavit quoq; S. Hieronymus, in epiſtola ad Bonaſum ſcribens: *An ideo tibi bellus videris, quod fauſto vocaris nomine? Quaſi non & lucus ideo dicatur, quod minime luceat; & Parcæ, quod nequaquam parcant; Eumenides, Furiæ, quod non ſint benignæ; & vulgo Æthiopes vocentur argentei.*

TERMINVS.

Terminus, Dei loco habitus eſt, quia, poſt Saturnum exactum, lites ruſticorum, dirimendis agris componebat. *Numa Pompilius* Rex, cum publicum agrum Populo Romano, & privatum certis limitibus definiviſſet, *Sacellum*, Termino, in monte Capitolino conſtituit. Poſtea, cum *Tarquinius Superbus* ibi templum ampliſſimum Jovi exſtruere vellet, & propterea omnium aliorum Deorum Ædes exaugurarer, *Terminus* & *Juventus* loco cedere noluerunt.

ISIS.

Iſis, peregrinum ex Ægypto Numen, Romæ admiſſum fuit, eodem cultu, quo illud Ægyptii proſequebantur. Ea, *Inachi* filia fuit, *Jo* prius dicta, & prima Triticum, Hordeum, & Leges invenit, Liniq; uſum mortales docuit. Sacerdotes illius, *Iſiaci* dicti, veſtibus

bus tantum lineis amiciebantur: quin & illos, qui ad Deam ſupplicaturi accedebant, tales veſtes induere neceſſe erat. Porro, Sacerdotes, ex religionis præſcripto, abſtinebant a ſuillis & ovillis carnibus, ſaleq; cibos haud condiebant, ne caſtitatem violarent. Vinum, niſi bene dilutum, non bibebant, radebant caput, & Deæ ſimulacrum geſtabant humeris.

OSIRIS.

Oſiris qui *Jovis*, ex *Niobe*, Phoronei filia, filius fuiſſe dicitur, Iſidis maritus fuit, de quo Tibullus, l. 1. el. 7.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaq; non notis legit ab arboribus.
Hic docuit, teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam.

Tandem, a *Typhone* fratre clam occiſus, in bovem transformatus fuit: itaque etiam *Bos* pro eo cultus, cui in fronte macula alba, formæ quadratæ: in tergo effigies aquilæ, cantharus in palato, duplices in cauda pili, cætera niger. Senio confectum mactare nefas erat, ſed illum in fonte Sacerdotes ſuffocabant, cum prius alium quæſiviſſent, quem ſubſtituerent. Bos ille, Ægyptiorum lingua, *Apis* & *Serapis* dictus.

DEORVM HOMINVMQVE TRANSFIGVRATIONES.

CHAOS.

PRimum omnium rerum *Chaos* fuit, hoc eſt, rudis & inordinatæ materiæ informis quædam congeries. Poſtea, Deus diremit miſcellanea illa & confuſanea, & in *quatuor Elementa* ea diſtinxit: Atque tum *Æther*, ſummum locum, propter levitatem, apprehendit: ei ſucceſſit *Aër*: *Aqua* tertium, & *Terra*, ob gravitatem, ultimum locum ſibi vindicarunt.

PROMETHEVS.

Separata jam terra erat a cæteris elementis; ſed homo nondum natus, ipſius terræ cultor futurus. Itaq; *Promotheus*, Japeti filius, terram imbre mollivit, & ex hac *Hominem*, ad Dei ſimilitudinem, finxit, cujus vultus, non pronus, ut reliquorum animantium, ſed erectus, in cœlum ſpectaret.

Alii ſic fabulantur: Mos erat olim in ſacrificiis, hoſtias ſolidas igne abſumere. Cum vero tenuiorum pietati obſtaret magnitudo ſumtus, Prometheus, gratificaturus humano generi, cum Jove egit, ut dimidia tantum hoſtiæ pars, igni daretur in ſacris, altera dimidia cederet in uſus hominum. Annuente Jove, duos tauros immolavit: utriusque oſſa uno corio, altero, carnes operiens. Optione Jovi datâ, ut, quem vellet, eligeret, ſimplex Deus, nullum ſuſpicatus dolum, taurum cepit oſſeum; quem, proximum ei admoverat homo callidus de induſtria. Fraude cognita, *Ignis jactura* Jupiter mulctavit humanum genus, ne inanes poſſet offerre hoſtias Diis, aut ſibi carnes coquere. At Prometheus, ne damnum attuliſſe hominibus pro beneficio videretur, Ignem in ferula de cœlo ſuffuratus

eſt.

eſt. *Rurſus, ab aliis traditur, Minervam*, admiratam opus Promethei, cum homines novos ille e luto finxiſſet, pollicitam ei, ſe quicquid uſus foret præterea daturam. Cumq; ignorare ſe Prometheus diceret, quid maxime prodeſſet, a Dea ſublatus in cœlos, admota currui Solis ferula, ignem detulit, hominesque a ſe recens factos animavit. Tantam Promethei audaciam, ulturus Jupiter, ipſum ad triginta annorum millia in *Caucaſo* monte religavit, *Aquila* ejus jecur, ſubinde renaſcens, aſſidue depaſcente, quam tamen *Hercules* poſtea ſagittis interemit. Sed & reliquos mortales Jupiter Promethei temeritatem luere voluit. *Itaq;* fœminam juſſit fieri a Vulcano, quam reliqui omnes Dii aliqua dote donabant; unde *Pandoram* appellavere. Hæc, a Mercurio in terras delata, *Epimetheo*, fratri Promethei tradita eſt, una cum dolio pleno malis omnibus. Accepit Epimetheus. Cum vero fœmina dolium aperuiſſet, mala, per orbem diſperſa, evolarunt, ſola in fundo *Spe* relicta.

IV. MVNDI ÆTATES.

Ex variis Hominum moribus, *IV. Ætates* factæ, quibus Metallorum nomina fuere impoſita. Prima Ætas, *Aurea* fuit appellata, *Saturno* imperante, qua, vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna, aut coërcitionibus, quaquaverſus disperſi, agebant. Per ſe, omnes fructus terra dabat. Erant omnia communia & indiviſa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium eſſet, *Verq;* durabat perpetuum. Auream ætatem excepit *Argentea* ſub *Jove*, in qua a primæva ſimplicitate & innocentia, homines ad domos condendas, terramque colendam, animum applicuerunt. Annus in quatuor

tempeſtates diviſus eſt. Proxima fuit *Ærea*, in qua æmulatio,& habendi libido, humanum genus infeſtare cœperunt. Vltima,*Ferrea*, mala omnia,una cum diris ſceleribus, in mundum invexit, ac *Áſtræam* inde coëgit excedere.

GIGANTES.

Gigantes, Telluris filii, excelſiſſima ſtatura, & draconum pedibus præditi, Superis bellum, exſtructis in excelſum aggerem montibus, inferentes, & Jovem de cœli poſſeſſione dejiçere volentes, in Macedoniæ campis *Phlegræis*, cum Diis congreſſi, Jovis fulminibus triſulcis confixi, ceciderunt, ac quidam ſub *Ætna* monte, quidam ſub *Mycóne* & *Lípara* Inſulis, fuere ſepulti. Sanguis illorum, terræ permixtus, homines procreavit, originem ſuam indole referentes.

LYCAON.

Jupiter aliquando, cum multa de humana generis improbitate ad ſe delata eſſent, ut rem omnem certius exploraret, relicto tantiſper Cœlo, in terram deſcendit, ac,aliquot regionibus peragratis, ſub noctem, in Arcadia, ad *Lycáonis* Regis, Pelasgi filii, Regiam pervenit. Vbi, cum ſe Deum eſſe ſignificaſſet, vulgusq; ſe ad ſacrificandum accingeret, irridens ſuperſtitionem ac credulitatem eorum *Lycaon*, mox periculum ſe facturum dixit, Deumne, an hominem hoſpitio excepiſſet. Ergo, conatus eſt nocte dormientem Jovem interimere. Id vero quia fruſtra molitus fuerat, cum hac via non ſucceſſiſſet negotium, aliam ingreditur. Habebat *Obſides*, a Moloſſorum in Epiro gente ad ſe miſſos: horum unum jugulavit, partimque aſſum, partim elixum Jovi epulandum appoſuit. Ejus

Ejus extremi facinoris indignitate commotus Jupiter, Regiam tyranni immiſſo fulmine exuſſit, ipſumque, in ſylvas aufugientem, in *Lupum* immutavit.

DILVVIVM DEVCALIONIS.

Poſtquam *Jupiter* in Concilio Deorum retulit, quanta ſit hominum perverſitas & malitia, de iis perdendis decretum factum eſt, ac *Diluvium* Orbi immiſſum, quo viventia omnia perierunt. Evaſit tamen incolumis *Deucalion*, Promethei filius, cum *Pyrrha* conjuge, Epimetheo patruo genita, navicula, in *Parnaſſum* Phocidis montem, cujus cacumen aquæ non operuerunt, delatus. Fuerat is non parcus Deorum cultor, multaque templa conſtruxerat in ipſorum honorem. Cum ergo aquæ paulatim deinde ſubſiderent, conſuluere ambo *Themidis* oraculum, qua ratione genus humanum poſſet reparari. Accepere reſponſum, *Magnæ Matris oſſa poſt terga projicerent.* Quamobrem, magnam matrem, terram, oſſa, lapides interpretati, capita, ceu in ſacris fieri ſolet, obnubentes, cum religione, lecta humi ſaxa, retro jactant; quæ, protinus naturali duritie poſita, utriusque ſexus hominum formam induerunt: atq; ii, quos Deucalion projecerat, in *mares*, quos Pyrrha, in *fœminas* convertebantur.

PYTHON.

Python, Serpens miræ magnitudinis, una cum reliquis animantibus, ex putredine terræ, calore Solis fota, poſt Deucalionis diluvium, emerſerat. Hunc Juno, *Latonæ*, ex Jove gravidæ, immiſit, qui, nullam ei pariendi quietem conceſſit, donec illa ad *Aſteriem* ſororem, paulo ante in Inſulam, quæ *Delos* deinde dicta, mutatam, deferebatur. A qua ſuſcepta, eodem

 partu

partu, *Dianam* & *Apollinem* edidit. *Apollo*, grandior factus, injuriam, qua Python matrem ſuam affecerat, ad animum revocans, ſagittis eum ſuis confixit. Cujus rei memoria, ne ullo temporis lapſu obliteraretur, ſacra *Certamina* inſtituit, quæ, a nomine Serpentis, *Pythia* appellavit: quin, ipſe quoque *Pythii* cognomen aſſumſit.

DAPHNE.

Daphnem, *Penei* fluvii filiam, *Apollo* deperire cœpit. Ergo eam conſectatur, vim, ſi aliter conſequi non concederetur, illaturus. At, fugit illa Apollinis præſentiam, ac, cum aliquando forte fortuna in illum incidiſſet, & jam evadere non poſſet, implorato paterni Numinis auxilio, in *Laurum* fuit transformata.

SYRINX.

Pan, Paſtorum Deus, *Syringis*, Nymphæ Arcadicæ, unius ex Najadibus, amore captus, dum violentiam molitur, ipſa, invocatis Diis, in *Calamos paluſtres*, apud Ladonem Arcadiæ amnem, qui in Alphéum influit, mutatur. Nec mora, Pan, e calamis disparis longitudinis, ceræ compagine inter ſe junctis, *fiſtulam* ſeptemplicem ſibi confingit.

JO.

Jo, filia Inachi Argivorum Regis, a Jove (cui deinde Epaphum peperit,) amabatur, qui, illam, ne a Junone zelotypa agnoſceretur, in *juvencam candidam* convertit. Juno tamen ſuſpicata id quod res erat, vaccam a Jove dono ſibi dari poſtulavit. Hanc cum accepiſſet, appoſuit ei cuſtodem *Argum* centoculum, Agenoris filium; e cujus oculis ſemper bina tantum quietem captabant, vigilantibus cæteris. Jupiter, ut Jûs conſuetudine rurſus frui poſſit, *Mercurium* mittit,

tit, ut Argum occidat. Ergo Mercurius, oculis omnibus, fiſtulæ ſono, & ſermonis delinimento, conſopitis, Argo caput amputat, cujus oculos, avis ſuæ, hoc eſt, *Pavonis*, caudæ, Juno inſeruit. Quin & *œſtrum* pellici immiſit, cujus aculeis exagitata, in Ægyptum usq; fugit. Ibi Jo, implorato Jovis auxilio, priſtinam formam recuperavit. Cumq; Regi *Oſiridi* nupſiſſet, Ægyptiis omnibus tam chara fuit, ut poſt mortem pro Dea illam colerent, ſub *Iſidis* nomine.

PHAETON.

Phaëton Phœbum patrem, matrem Clymenen habuit. Huic cum Epaphus, Jovis & Jûs filius, aliquando objeciſſet, falſo ipſum Phœbo patre gloriari; id enim a matre ipſius excogitatum fuiſſe, ut adulterii culpam velaret; convitium ægre ferens Phaëton, ſvaſu matris, ad Regiam Phœbi contendit, qui, illius adventu lætus, muneris alicujus eligendi poteſtatem fecit, per Stygiam paludem jurans, nihil ſe illi negaturum. Tum Phaëton petiit, ut pater *Currum* ſuum, lucisque adminiſtrationem, per diem unum, ſibi concederet. Hoc poſtulatum quamvis Phœbus filio ſuo exitiale fore ominaretur, tamen, quoniam id ei disſvadere non poterat, neque item pernegare, quod perſancte jurejurando confirmaverat, monitis optimis inſtructum, currui, cui *Pyrôis*, *Æthon*, *Eous*, ac *Phlegon* juncti erant, impoſuit. Verum, cum ille, aurigandi imperitus, cœlum & terram combureret, a Jove fulmine e curru excuſſus, in *Eridanum*, ſive Padum fluvium, decidit. Interim autem vehemens æſtus, *Æthiopes atros*, Libyam aridam & ſiticuloſam reddiderat. SORORES PHAETONTIS, *Phaëtuſa*, *Lampetie*, & *Phœbe*, caſum fratris dolentes, Deo-

rum miſericordia, in *Arbores populeas*, lachrymæ illarum, in *Electrum*, fuere converſæ. CYGNUS, Stheneli filius, materno genere Phaëthonti proximus, cum, in Eridani amnis ripa, corpus Phaëtontis a ſororibus ablui vidiſſet, mœrore correptus, plus juſto deflens propinqui interitum, Deorum voluntate, in *Cygnum avem* abiit: qui, peroſus cœleſtem ignem, flumina & lacus ſectatus eſt.

CALLISTO.

Jupiter, Orbem luſtrans, ut, quæ ignis fœdaverat, priſtino nitori reſtitueret; in *Calliſtonem*, Lycaonis Arcadiæ Regis filiam, incidit, cui, ſumta *Dianæ* forma, vitium intulit. Gravida facta, dum ſimul cum *Diana* lavat, uteri tumore proditur, & a Dea faceſſere jubetur. Proinde, in ſylvam ſe recipiens, ibi *Arcadem* filium enixa eſt. Hanc Juno irata in *Urſam* convertit, quam poſtea Arcas filius transfixurus erat, niſi ambos Jupiter inter ſidera retuliſſet, ac juxta *Polum*, qui ab iis Arcticus dicitur, collocaſſet. Calliſtonem Græci *Hélicen* vocant, eaque a *Thety*, & *Oceano*, minime, ut reliqua ſidera, tingitur.

CORONIS, ſive ARSINÖE

Coronis, quæ & *Arſinöe*, Nympha, *Leucippi*, Sicyoniorum Regis, filia, cum forma eſſet non ineleganti, ab Apolline vitiata, prægnansque reddita eſt. Verum, cum poſtea *Iſchidi* cuidam, Theſſalo, mutuo ejus amore capta, ſui copiam faceret, a *Corvo* Apollini prodita eſt. Apollo, Amaſiæ perfidia cognita, telis eam confodit, puerumque, ex utero ejus exemtum, *Æſculapium* vocavit, & *Chironi* Centauro tradidit educandum. *Corvus* loquacitatis eam pœnam dedit, ut ex albo niger fieret.

Hic

Hic ex occaſione notandum, CENTAVROS membra partim humana, partim equina habuiſſe, ac, ſecundum aliquos, (nam, diverſa, ab hac ſententia, mox ſequitur) *Ixione* fuiſſe prognatos. Nimirum, *Ixion*, *Phlegyæ*, Regis Lapitharum in Theſſalia, filius, ſocerum ſuum *Deioneum* fraude peremerat. A qua cæde cum neque Dii neque homines illum luſtrare vellent, diuque incertus vagaretur, Jupiter, illius miſertus, in cœlum aſſumtum expiavit. Cumque jam purgatus apud Superos degeret, Junonem amare cœpit, ejus conſuetudine frui poſtulans. Id, cum Jupiter intellexiſſet, Nubem illi ſuppoſuit, ſub Junonis effigie, ex qua ille *Centauros* procreavit. Dejectus deinde in terram, cum paſſim gloriaretur, ſe Deorum Regina familiariter uſum eſſe, Jupiter indignatus, fulmine eum ad Inferos detruſit, curavitq;, ut ibi rotæ illigatus, perpetuo circumageretur.

ERICHTHONIVS.

Cum *Vulcanus* Diis arma procudiſſet, eique *Jupiter* optionem dediſſet, præmium, quod vellet, poſtulandi, juraſſetq; per infernam paludem, ſe nihil negaturum; tum ille *Minervæ* nuptias poſtulavit. Eas cum Jupiter, jurisjurandi religione conſtrictus, recuſare non poſſet, Minervam tamen monuit, ut repugnaret, & pudorem ſuum illibatum conſervaret. Fecit id Minerva, &, cum Vulcanus, eam adoriretur, vi ſumma ſeſe defendit. In ea lucta, genitalis humoris profluvium quia paſſus Vulcanus, editus eſt puer, *draconum* pedibus, nomine *Erichthonius*.

CHIRON.

Saturnus cum amaret *Phillyram*, Oceani filiam, ejus uſura corporis fruitus eſt. Sed, *Ope* conjuge interveniente, ſubito in *Equum* ſe convertit, ne agnoſci

poſſet. Phillyra autem, gravida facta, peperit fœtum, cujus ſuperior pars Hominem, inferior Equum referebat, eiq; *Chiron*, ſive *Centaurus*, nomen impoſuit. Cum excreviſſet, in ſylvas abiit, ibique herbarum vires ac potentiam edoctus, inſignis Medicus evaſit: ab eoq; *Centauria herba*, & *Chironium ulcus*, grave id, & Chironis operam deſiderans, appellationem acceperunt. Docuit is *Æſculapium* Medicinam, &, cum tandem *Herculis*, quem hoſpitio exceperat, ſagitta, Lernæo veneno perlita, caſu in pedem ejus decidente, lethaliter vulneratus eſſet, mori optavit, &, immortalitate, quam a parente traxerat, carere. Voti damnatus, in cœlum translatus eſt, ibiq; in Zodiacum locatus, *Sagittarius* porro audivit.

CORONIS CORONEI FILIA.

Minerva Erichthonium, quia occaſione ſuæ cum Vulcano concertationis natus erat, ſuſtulit, & comitibus ſuis *Pandróſo*, *Herſæ*, *Aglauroq;*, Cécropis filiabus, ciſtellæ incluſum, cuſtodiendum tradidit, monuitq;, ne omnino in eam introſpicerent. Transgreſſam præceptum Aglauron, Coronis, Corónei filia, jam in *Cornicem*, cum a Neptuno peteretur, mutata, Minervæ, in cujus tutela erat, prodidit: ſed haud aliam gratiam retulit, quam ut Dea illam averſaretur, & noctuæ poſtponeret. *Erichthonius*, cum adoleviſſet, ut pedum deformitatem tegeret, primus *Currus* uſum adinvenit.

NYCTIMENE.

Nyctímene, Nyctei Regis Lesbi filia, patris amore capta, inceſti pœnas dedit, in *Noctuam* mutata. Hinc lucifuga, ab avibus, interdiu ſi prodeat, inceſſitur.

OCY-

OCYROE.

Ocyroë, Chironis Centauri, & *Chariclûs* Nymphæ, filia, contemtis patriis artibus, vaticinandi ſcientiæ ſe totam dedit, atque, multum in ea proficiens, futura prædicebat. Ne vero fatorum myſteria proderet, aut *Apollinem* anteiret, in *Equam* fuit commutata.

ÆSCVLAPIVS. BATTVS.

Hippolytus, Theſei, & *Hippolytes* Amazonis, filius, cum, cælibem ducens vitam, venatu ſeſe exerceret, & conſtanti animo ſperneret mulieres, a *Phædra* noverca, abſente patre, amatus eſt: cujus turpi deſiderio cum obtemperare nollet, illa filium apud patrem detulit, tanquam ſe de ſtupro ſolicitasſet. Quamobrem, cum videret Hippolytus, patrem, novercæ dolo perſuaſum, de nece ſua cogitare, conſcenſo curru, fugam arripuit. Sed, dum *phocæ*, quæ tum forte in litus exierant, equorum & rotarum ſtrepitu fugatæ, magno impetu ſe in mare præcipitant, exterriti equi, fruſtra obluctante Hippolyto, currum per ſcopulos & ſaxa traxerunt, juvenemq; infelicem, loris implicitum, varias in partes diſcerpſerunt. Æſculapius, cum, a Diana rogatus, Hippolytum vitæ reſtituiſſet, a Jove, id inique ferente, iterum hic fulmine occiſus eſt. Contra *Apollo* in *Cyclópas*, quod Jovi adverſus Æſculapium fulmen ſuppeditaſſent, animadvertit, multis e medio ſublatis: quod tamen minime impune tulit, divinitate privatus, & *Admeti* Regis Theſſaliæ armenta, paſtorali habitu, paſcere coactus. Ei rei dum vacat, *Mercurius* boves, quæ longius forte proceſſerant, furto abactas, in ſylva occultavit, *Battoq;* cuidam, equarum cuſtodi, a quo uno viſus fuerat, mandavit, ne cuiquam furtum illud indicaret, vaccam inſuper illi

 dono

dono dans, ut tanto magis ſilentium ſervaret. Battus fidem ſuam obſtringit, & lapidem proximum celerius, quam ſe, quid indicaturum, magna aſſeveratione confirmat. Ibi Mercurius, ut hominis experiretur fidem, ſuſcepta alia figura, paulo poſt ad illum revertitur, percontans, annon vaccas aliquas transeuntes vidiſſet, ac pollicens, ipſum indicii pretium, vaccam cum tauro, relaturum. Poſtquam mercedem geminari ſenſit Battus, oſtendit Mercurio, ubi vaccæ per herbas paſcerentur: ob quam perfidiam, Mercurius eum in lapidem, qui *Index* vocatur, commutavit.

AGLAVROS.

Virgines Athenienſes ſolebant, facto agmine, quotannis *Minervæ*, in caniſtris, flores fructusq; offerre. Id dum agunt, inter eas *Herſen*, Cécropis filiam, cæteris formoſiorem, conſpicatus *Mercurius*, amore ejus captus fuit. Itaq; aggreſſus *Aglauron*, precatur, Herſen ſororem ſibi conciliaret. Hæc, cum, pro miniſterio, magni ponderis aurum popoſciſſet, *Minerva*, graviter offenſa avaritiā ejus, ſimulq; in memoriam revocans, quod ciſtulam, cui Erichthonius incluſus erat, ſororibus cuſtodiendam traditam, adverſus ſuum mandatum, aperuerat, *Invidiæ* eam, Herſes ſororis ſucceſſibus cruciandam & affligendam, commiſit; Mercurius vero, ob negatum ingreſſum in ædes, ipſam in *lapidem* convertit.

EVROPA.

Jupiter, *Europæ*, Agénoris, Phœnicum Regis filiæ, deſiderio flagrans, *Mercurio* mandat, ut ſe quamprimum in Phœniciam conferat, & armenta Regis ad litus compellat. Id cum effectum dediſſet, Jupiter, in *taurum* converſus, ſe juvencis Regis Agenoris immiſcuit;

miſcuit: cujus dorſum, poſt multas blanditias, cum Europa aſcendere auſa fuiſſet, eam per mare in *Cretam* Inſulam avexit, ibique amori ſuo indulſit.

CADMUS.

Agénor, rapta Europa, *Cadmum* filium, ad requirendam ſororem, ablegavit, interminatus, ne ad ſe rediret, illa non inventa. Cadmus, cum diu fruſtra oberraſſet; ac inanis ad patrem reverti non ſuſtineret, *Phœbi oraculum* conſuluit, quæ terra ſibi habitanda ſit? Reſpondit Phœbus, *Vaccam* ei occurſuram, nullum paſſam jugum, & Lunæ ſigno in latere notabilem, hanc ducem illum ſequi debere, atque eo in loco, ubi feſſa procubuiſſet, urbem ſtatuere. Incidit mox in Vaccam ſignificatam: hæc in regionem, quæ deinde ab illa *Bœótiæ* nomen accepit, prævivit, ibique ſe quieti dedit. Iſtic cum ſocios ſuos ad *Fontem Martis* aquatum miſiſſet Cadmus, & nullus reverteretur, ipſe illuc ivit, viditq; ſocios *a Dracone* peremtos. Ergo grave cum iſto certamen init, in quo cum poſtremo victor evaſisſet, *Palladis* monitu, *Draconis dentes* humo ſparſit, ex quibus *armatorum multitudo* prognata, mutuo in ſe ruens, ſeque conficiens. Soli *quinq;* ſuperſtites manſere: ii Cadmo, in condenda *Thebarum urbe*, auxilio fuere, Thebanoque populo dedere originem.

ACTÆON.

Actæon, *Ariſtæi* ex *Autonoë* filius, Cadmi nepos, dum venationi indulget, forte fortuna, in valle *Gargaphiæ* incidit in *Dianam*, ibi, una cum Nymphis ſuis, ad leniendum æſtivos æſtus, ſeſe lavantem. Nymphæ, circumfuſæ Dianam, eam corporibus ſuis tegunt. Sed ipſa, manibus aquam hauriens, illa Actæonem perfun-

dit,

dit: unde is, in *Cervum* converſus, pro fera a propriis canibus fuit dilaceratus. Nempe, ne jactare poſſet, Dianam nudam a ſe fuiſſe conſpectam.

SEMELE.

Juno, Sémelem Cadmi & *Hermionæ* filiam, quod ex Jove gravida eſſet, odio habens, illius nutricis, *Béroës* formam induta, perſuadet ei, ut a Jove petat, talis tantusque ad ſe veniat, qualis quantusque eſſe ſolet, cum Junonem amplectitur. Morem gerit illa, & cum a Jove munus ſine nomine rogaſſet, ac ipſe omnia ſe conceſſurum per Stygem juraſſet, preces concipit, prout fuerat edocta. Ergo, cum Jupiter, fulminibus tonitribusq; ſuis inſtructus, domum Semeles ingreſſus eſſet, ipſa igne æthereo conſumta periit: fœtum tamen ex utero gravidæ Jupiter eripuit, ac femori indidit ſuo, unde completis menſibus, editus, *Liberq;* dictus, primo a matertera *Ino*, deinde *a Nymphis* educatus eſt.

TIRESIAS.

Jovem inter, & *Junonem* jocantes liticula exorta fuerat, Virorumne, an Mulierum, in amore magis ſincera voluptas eſſet? Cumq; convenire non poſſent, & Jupiter pro mulieribus, Juno pro viris pugnaret, cauſam ad *Tireſiam* judicem deferendam cenſuerunt. Scilicet, Tireſias utramq; naturam expertus fuerat, maris & fœminæ. Quodam enim tempore, cum *Serpentes duos*, mutuo complexu cohærentes, baculo percusſiſſet, in mulierem verſus fuerat: ac rurſus, proximo vere, ſerpentes eosdem rurſus implicitos offendens, ſimili contactu, in virum fuerat reverſus. Tireſias, cum Jovis ſententiam comprobaſſet, Juno luſum in iracundiam convertit, ac Tireſiam luminibus orbavit,

bavit: cui Jupiter, in ſolatium amiſſi viſus, *vaticinandi* peritiam conceſſit.

ECHO.

Liríope, Nympha, ex amne *Cephíso*, peperit *Narciſſum*. Illum cum *Echo* diligeret, neque viam potiundi inveniret, quod ipſe eam odiſſet, illa vero fugientem aſſidue conſectaretur, & noviſſima ejus verba iteraret; tandem, ex deſiderii impatientia, contabuit; ſolaque vox manſit, oſſa lapidis figuram traxerunt. Hoc accidit ei *Junonis* ira: quia garrulitate ſua ipſam ſæpe erat morata, ne Jovem, in montibus Nymphas perſequentem, in ipſo facto deprehendere poſſet.

NARCISSVS.

Narciſſum; quia tam ſævum immitemque Echo experta fuerat, *Nemeſis*, ſive *Rhamnuſia* Dea, Jove & Nocte genita, quæ cuiq; pro meritis præmia, aut pœnas rependit, in *ſui ipſius amorem* impulit. Hinc, cum aliquando, ex venatione fatigatus, ſecundum fontem in opaco procubuiſſet, &, hauriens aquam, ſuam conſpexiſſet imaginem, adeo illius aſpectu captus fuit, ut ad mentis exitium in eam raperetur, & vitam deniq; ipſam, ex appetitionis nimietate, amitteret. Ex reliquiis *Flos* prognatus, quem Najades ſorores, fratris caſum flentes, Narciſſum vocarunt.

PENTHEVS.

Pentheus, Echíonis ex *Agáve*, Cadmi filia, gnatus, *Liberi Patris ſacra*, quæ *Orgia* vocant, contemnebat. Ira igitur Numinis, a matre & ſorore, quibus furore correptis *aper* videbatur, in partes diſcerptus, ac dilaniatus eſt.

NAV-

NAVTÆ TYRRHENI.

Bacchus, Naxon petens, in Tyrrhenos nautas inciderat. Ab his, propter eximiam pulchritudinem, captus, impoſitusque navigio, ut vidit in aliam ſe duci regionem, funes navis in hederas convertit, & tigridum, lyncum, ac pantherarum ſimulacra *Nautis* objecit. His illi exterriti, dum in pelagus ſe præcipitare poſtulant, in *Delphinos* mutantur.

PYRAMVS & THISBE.

Pyramus, adoleſcens Babylonius, *Thisben* Virginem amabat, ejusque amore in vicem gaudebat. Verum, cum tantopere a parentibus ambo obſervarentur, ut una agere non poſſent, per rimam in contiguis ædibus diductam, verba miſcentes, convenere, extra urbem in loco conſtituto, ad buſta nimirum Nini, conveniendi. Illac cum prior perveniſſet Thisbe, a *leæna*, fontem ibi vicinum petente, perterrita, in antrum confugit, eique velum de capite decidit, quod leæna repertum ore ſuo cruentavit. *Pyramus*, deinde adveniens, quia velum agnitum ſanguine infectum animadverterat, Thisben a feris (nam & leænæ pedum veſtigia in arena comparebant) diſcerptam ſuſpicans, gladio ſuo incumbit. *Thisbe*, ex antro egreſſa, cum Pyramum vulnere confectum vidiſſet, ſuſpicata id quod res erat, illum ſui cauſa mortem oppetiiſſe, eodem gladio ſe confodit. Amborum corpora uno ſepulchro condita ſunt, & *Mori* arboris, quæ illa inumbraverat, candidi antea fructus, ex ſanguine, atrum colorem contraxere.

LEVCOTHEA. CLYTIE.

Leucothea, Orchami Babyloniorum Regis filia erat: cujus amore captus *Apollo*, in *Eurynomes* (Leucotheæ

theæ hæc mater fuit) figuram ſe transformavit, &, tanquam ſecreto aliquid cum filia colloqui vellet, famulas, quibus comitata erat, ſecedere juſſit. Deinde priſtinæ formæ reſtitutus, profeſſus, quis eſſet, poſt multas blanditias, non admodum reluctanti vim intulit. Quod cum reſciviſſet *Clytie*, quæ mutuo Apollinis amore tenebatur, zelotypiæ ſtimulis exagitata, *Orchamo* Regi filiæ amores enunciavit, qui, ut erat natura crudelis, filiam vivam defodit. Cujus mortem ægerrime ferens Apollo, cum vitæ illam reddere non poſſet, in *thuris arborem* commutavit. Clytie Nympha, ab Apolline ob proditionem derelicta, cum novem dies ſine ullo cibo ac potu exegiſſet, tandem, Deorum miſeratione, in plantam *Heliotropium* converſa fuit: quæ nunc quoque, priſtini amoris retinentisſima, continuo florem Soli obvertit.

HERMAPHRODITVS. SALMACIS.

Hermaphroditus, Mercurii & Veneris filius, egregius forma, cum, vagabundus in Caria, ad limpidisſimum fontem, quem *Sálmacis* Nympha incolebat, perveniſſet, illa ejus amore correpta, cum neque blanditiis, neque precibus, ipſum ſibi obſequentem reddere poſſet, ſimulato diſceſſu, ſeſe poſt vepres occultavit. Mox, cum vidiſſet, illum, qui ſolum ſe exiſtimabat, poſitis veſtibus, fontem ingreſſum eſſe, ſubito accurrens, medium arctiſſime amplectitur. Sed, cum ne ſic quidem obſtinatum juvenis animum exorare poſſet, a Superis petiit, ut duo eorundem corpora in unum redigerentur. Ratas habuere Dii preces, & ambo nexu non metuente ſolvi coaluerunt; ita tamen, ut ſexus integer ſalvusque maneret.

Id

Id cum animadvertiſſet Hermaphroditus, a Numinibus petiit, ea fonti natura maneret, ut, quisquis vir eum intraret, *androgynus* exiret.

MINYEIDES.

Minyëides, Thebanæ ſorores, Minervæ lanificiò addictæ, *Liberum Patrem*, ejusque ſacra, haud magni faciebant. Illarum vero telæ & inſtrumenta in *hederam ac vites*, ipſæ in *Veſpertiliones* repente abierunt.

INO. ATHAMAS.

Ino, Cadmi & Harmoniæ filia, Semeles ſoror, Bacchi matertera & nutrix, cum qua *Athamas* Thebanorum Rex, poſtquàm *Nephelen* amiſerat, ſecundas contraxit nuptias, odium Junonis meruit, quod ubique Bacchi virtutes viresque extollebat. Hanc igitur Juno ut affligeret, ad Inferos deſcendens, *Tiſiphonen*, unam ex furiis, cui pro crinibus angues erant, excitavit, quæ Athamanta in tantum furorem conjecit, ut, cum Ino ad ſe accedentem aſpiceret, hanc quidem *leænam*, filios autem ſuos *catulos* ejus eſſe arbitraretur. Ergo, raptum *Learchum*, alterum ex filiis, ſaxo allidit, grave quoque exemplum in uxorem editurus, niſi illa, arrepto *Melicerte*, filio altero, una cum illo, in mare ſe abjeciſſet. Sed, Veneris precibus permotus Neptunus, ambos excepit: & Ino, in *Leucotheam* Deam, quam Latini *Matutam* vocant, Melicerta in *Palæmonem*, alio nomine *Portunum* dictum, immutantur. *Matronæ Thebanæ*, Ino fugientem ſequutæ, cum ex veſtigiis cognoſcerent, illam ſe in mare præcipitaſſe, ac eapropter Junoni convicium dicerent, hujus ultrice vindicta, pars in *Saxa*, pars in *Aves* fuere converſæ.

CADMVS.

Cadmus, Agenoris filius, poſtquam multas, & proprias, &, in filiabus ac nepotibus alienas quidem, ſed & illas vehementer ipſum tangentes, calamitates, expertus fuerat; peroſus Thebarum civitatem, cum *Harmonia* uxore, Martis & Veneris filia, in *Illyrios* ſe recipit; Deosq; rogat, ut ſe *Serpentem* (unde ſibi principium & cauſa malorum) faciant. Damnatus eſt voti, eademq; ſors, conjugem quoq; manſit.

DANAE.

Acriſius, Argivorum Rex, ex *Eurydice*, Danaën filiam ſuſcepit. Eâ natâ, conſuluit oraculum, an marem filium poſtea habiturus eſſet? Reſpondit Oraculum, nullum ei naſciturum filium, illius vero, quem filia paritura, manibus moriturum. Quamobrem, ad effugiendam prænunciatam mortem, filiam cum nutrice includit turri aheneæ. Sed, *Jupiter*, in *aureum imbrem* converſus, in Danaës gremium pluit, fucumq; fecit mulieri. Natus hinc *Perſeus*, quem Acriſius, una cum matre, ciſtæ ligneæ incluſit, &, in mare abjici præcepit. Repertam, juxta *Seriphum* Inſulam, arcam, *Dictys* piſcator, ad Regem *Polydecten* detulit, qui, Danaën uxorem duxit; Perſeum educavit pro ſuo. *Acriſius*, cum filiam & nepotem apud Polydecten morari comperiſſet, illos repetitum profectus eſt. Cum vero Polydectes pro iis intercederet, atque Perſeus avo fidem dediſſet, ſe nunquam illum interfecturum, acquievit is, cumq; tempeſtate retineretur, Polydectes interim moritur, cui cum funebres ludi fierent, a Perſeo miſſum *diſcum*, ventus in caput Acriſii contorſit, unde ille exanimatus fuit: atque ita, quod Perſeus ſua voluntate peragere noluit, Deorum providentia effectum eſt.

PERSEVS.

Phorcus, ſive *Phorcys*, Neptuni e Nympha quadam filius, *Gorgonas* filias genuit: genuit etiam ex monſtro marino *Serpentem*, qui, mala Heſperidum tuebatur. Cæterum, Gorgones tres erant, *Meduſa*, *Euryale* & *Stheno*, eæq;, *Dorcadas* Inſulas, in Oceano Æthiopico, contra Heſperidum hortos, habitabant. Illarum maxima, Meduſa, præter alias formæ inſignis dotes, capillos habebat proxime ad auri colorem accedentes; quorum ſplendore captus *Neptunus*, in Minervæ templo, cum Meduſa conſuevit, unde *Pegaſus*, equus alatus, natus eſt. Sed *Minerva*, ob templi pollutam religionem, Meduſæ crines, quibus maxime amatori ſuo placuerat, in *angues* mutavit, effecitque, ut omnes in eam intuentes, in lapides verterentur. Cum ergo nemo, ſine noxa, horribilem vultum ſpectare poſſet, miſſus a Polydecte *Perſeus* eſt, qui illum auferret. Perſeus, Mercurii talaribus, & Palladis falcato enſe, item Scuto, ut in ære repercuſſam Meduſæ effigiem illæſus aſpiceret, acceptis, ex improviſo, cum & ipſa, & angues ſopiti eſſent, illam adoritur, unoque ictu caput ei amputat. Id, cum ſecum absportaret, contigit, ut guttæ ſanguinis, per Africæ deſerta decidentes, in Serpentes mutarentur.

ATLAS.

Atlas, *Japeti* & *Clymenes* filius, a *Themide* reſponſum accepit, ne quem ex progenie Jovis hoſpitio exciperet, ſi vellet hortum, in quo poma aurea erant, cuſtoditum habere. Eam ob cauſam, neminem admittebat, atq; ſic quoq; Perſeum, ex longo itinere feſſum, & apud ſe quieſcere volentem, abegit. *Perſeus*, indigne ferens ſe excludi, Atlanti Meduſæ caput ſpectan-

dum

dum objecit, unde illico in *montem* præaltum converſus eſt, cui, in ultimis Africæ oris, cœlum incubat.

ANDROMEDA.

Cum *Caſſiope*, *Cephei*, Æthiopum Regis, uxor, ſe Nereidibus longe pulchriorem eſſe jactaret, precibus ipſarum motus *Neptunus*, Æthiopiæ *belluam marinam* immiſit, quæ omnem regionem vaſtaret. Conſultus Jupiter Hammonius, qua ratione Nereides placari poſſent, reſpondit, Cephei Caſſiopesque progeniem, monſtro eſſe objiciendam. Ergo filia eorundem Andromeda, draconi in prædam, ſaxo alligata fuit. Commodum tum per Æthiopiam iter faciebat *Perſeus*, cumque Andromedam in tam miſero ſtatu deprehendiſſet, captus ſpecie ejus, a parentibus pactus eſt, ut ſibi illam matrimonio jungerent, ſi beſtiam, interemiſſet. Adjutus favore Numinum, beſtiam trucidat, ac dein membra quieti dans, ne caput Meduſæ læderet, *virgulta* ſubjecit, quæ, in *Corallium* induruerunt, & Nympharum ſtudio fuere propagata.

PHINEVS.

Perſeus, cum deſtinata, in liberanda Andromeda, perfeciſſet, *a Cepheo* petiit, promiſſa ſervaret ſua, ac filiam ſibi uxorem concederet. Nulla mora in eo fuit, nuptiisq; dictus eſt dies. Is, cum adveniſſet, atq; jam omnes genio indulgerent, irrumpit *Phineus*, Cephei frater, cui Andromeda pridem deſponſata fuerat, cum ſociorum armata manu, & hilaria turbat, Andromedam præripere poſtulans. Gravi ſævoq; oborto certamine, cum multi ex utraq; parte cecidiſſent, Cephei enim familiares, Perſeo opem ferebant, hic noviſſime pertimeſcens hoſtium multitudinem, ſuis diſcedere

juſſis, caput Meduſæ protulit, quo viſo, Phineus, ejusq; auxiliatores, diriguere in ſaxum.

PEGASVS. BELLEROPHON.

Pegaſus, equus alatus, Meduſa matre procreatus, cum in *Helicona* evolaſſet, ſaxum ungula feriens, fontem aperuit, qui, ex eo, *Hippocréne*, ſive *Fons Caballinus* eſt appellatus. *Bellerophon*, Glauci, Ephyræ, ſive Corinthi Regis, filius fuit. Ejus forma capta *Sthenobæa*, *Prœti*, Argivorum Regis, uxor, concubitum illius petiit. Cum vero ſe fruſtra eſſe cerneret, ægre id ferens, innocentem hoſpitem apud virum detulit, quaſi vim ſibi inferre voluiſſet. Dictis fidem adhibens Prœtus, injuriam tam magnam ulciſcendam ratus, hoſpitii tamen religionem temerare nolens, domi illum ſuæ interficere non ſuſtinuit. Ergo eum in *Lyciam*, ad *Jobatem* ſocerum, cum codicillis mittit, quibus rogabatur, ut in adoleſcentem ſupremo ſupplicio animadverteret. Jobates, cum & ipſe egregii juvenis ſanguine lares polluere verèretur, ipſum, adverſus *Solymos*, cum quibus bellum gerebat, modico cum præſidio miſit, ſperans futurum, ut a gente ferociſſima interficeretur. Cæterum, cum & Solymos facile viciſſet Bellerophon, &, aliis periculis objectus, ſemper victor rediiſſet, poſtremo, ad interficiendam *Chimæram* ablegatus eſt. Erat autem Chimæra, monſtrum ignivomum *Lyciæ*, cui caput & pectus leonis, venter capræ, & cauda draconis. Hanc quoq;, cum, Neptuni beneficio Pegaſum nactus, ſuperaſſet Bellerophon, Jobates ejus virtutem miratus, alteram ei filiarum, cum Regni parte, uxorem dedit. De his certior reddita Sthenobæa, ſibi ipſi mortem conſcivit. Bellerophon autem, felici rerum ſucceſſu elatus, cum cœlum, Pegaſi præſidio, petere conāretur, immiſſo

a Jove

a Jove œſtro, inde excuſſus, cecidit in præceps. Pegaſum, Jupiter inter ſidera retulit.

MVSÆ.

Pyrenéus, Thraciæ tyrannus, *Daulida*, Phocidis urbem, occupaverat: ubi, cum quodam die pluvioſo, *Muſas* ad Parnaſſum euntes vidiſſet, ut tecta ſua ſubirent, dum pluvia ceſſaret, eas invitavit. Cum vero jam imber ceſſaſſet, Muſæque diſcedere vellent, ipſe, pulchritudine illarum illectus, claudi regiam jubet, vim eis inferre poſtulans. Sed Muſæ, in *aves* converſæ, evolaverunt, quas, cum perſequi Pyreneus vellet, ex ſumma arce decidens, caput terræ alliſit, & animam exhalavit.

CYANE.

Venus, indignata, quod Jovis ac Cereris filia *Proſerpina*, Numen ſuum, & tædas jugales aſpernaretur, *Plutonem* in amorem illius impulit; unde is eam, circa *Ætnam* flores legentem, rapit, & currui impoſitam, equis citatis ad inferos abducere feſtinat. Cum vero *Cyane* Nympha, in agro Syracuſano ſeſe objiciens, hanc fugam moraretur, a Plutone in *fontem* fuit immutata.

CERES.

Ceres, ſuccenſis in Ætna facibus, *Proſerpinam* filiam toto orbe quærit; cumque feſſa, multum ſiti laboraret, anum quandam rogat, ſibi aquam ad bibendum porrigeret. Anus, pro aqua, muſtum polenta mixtum, exhibet; id, cum Dea, paulo avidius bibiſſet, *puer* quidam, eam, tanquam gulæ deditam, irridere auſus eſt. Quare indignata Ceres, in faciem ejus muſtum cum polenta exſpuit, atq; ſic ipſum in *Stellionem*, animal variis maculis infectum, transformavit.

SIRENES.

Sirenes tres, *Achelói* fluvii, & *Calliopes* Muſæ filiæ, ac *Proſerpinæ* fidæ comites, cum & ipſæ, æque ac Ceres mater, hanc, a raptu illius, per orbem terrarum fruſtra diu multumque quæſiviſſent, Deos rogarunt, ut alatæ efficerentur, quo commodius Proſerpinam, etiam ſuper aquas, perquirere poſſent. Quare, ita in aves fuere converſæ, ut facies tamen virginea, voxque humana illis remaneret. Eæ, juxta fretum Siculum, Inſulas *Sirenuſas* habitantes, nautas illac transeuntes, cantu mirifico ita demulcent, ut ſui obliti, recedendi omnem curam abjiciant.

ARETHVSA.

Arethuſam, Achaidum Nympharum formoſiſſimam, cum amore ejus captus *Alphéus*, Elidis fluvius, perſequeretur, ipſa, impetum illius effugere cupiens, invocavit *Dianam*, cujus comes fuerat, auxilium miſeræ ſibi ferre dignaretur. Nec mora, adfuit Dea, ac Arethuſam, primum in *Nubem*, deinde in limpidum *Fontem* immutavit. Ejus aquas, quia cum ſuis miſcere volebat Alpheus, illa, a terra abſorpta, in *Ortygiam* Inſulam, ac porro in *Siciliam*, delata eſt. Alpheus autem, cum propter mare ſequi non poſſet, per *cuniculos ſubterraneos* in Siciliam evaſit, ibique ſociatis ſibi Arethuſæ aquis, in *mare Siculum* ſe exonerat.

LYNCVS.

Ceres, recepta filia, Athenas ſe confert, currumque, cui dracones alati juncti, *Triptólemo*, Celei, Eleuſini Regis, filio, donat, ut eo per orbem terrarum circumvectus, frumenti uſum & agriculturam, mortales doceret. Is vero, cum in Scythiam usque pene-

penetraſſet, a *Lynco*, Scytharum Rege, hoſpitio exceptus, poſtquam adventus ſui cauſam enarraverat, parum abfuit, quin ſomno ſopitus occideretur, quo ſic ipſe, inventi illius gloriam, in ſe transferret. Sed, Cereris ira, ac, quæ hanc ſequuta eſt, vindicta, ita Lyncum manſit, ut in *Lyncem*, feram, transformaretur.

PIERIDES.

Pierus, Macedo quidam prædives, ex *Euripe* uxore, novem ſuſceperat filias, *Pieridas* dictas. Eæ, cum canendi artis peritiſſimæ eſſent, ipſas *Muſas*, in certamen cantus, provocare auſæ ſunt. Superatæ, in totidem *Picas*, garrulas aves, fuere mutatæ, ac *Muſæ, earum cognomen*, victoriæ ſignum, uſurpare cœperunt.

ARACHNE.

Arachne, puella Lydia, *Idmonis* filia, lanificii peritiſſima, *Retia*, ejusque filius *Cloſter*, *Fuſum*, invenerunt. Tanta vero penes Arachnen artis ſuæ fiducia erat, ut cum ipſa *Minerva*, a qua tamen edocta fuerat, de palma contendere ſuſtineret. Victa, laqueo gulam ſibi fregit, quam, Minerva deinde in *Araneam* commutavit.

LATONA.

Latóna, Cœi Titanis, filia, a Jove (cui deinde *Dianam & Apollinem* peperit,) compreſſa, fugiens *Junonem*, in Lyciam delata, cum ex ardore æſtus, ac longitudine viæ, defecta viribus, in lacu ſitim ſedare vellet, ab *agreſtibus*, qui ulvam & juncum legebant, prohibita eſt propius accedere. Quamobrem, ne unquam ex lacu ſuo diſcederent, iis imprecata, effecit, ut a Diis, in *Ranas* transfigurarentur.

NIOBE.

Niobe, *Tantali* filia, cum, *Amphione* marito, Thebanorum Rege, ſeptem filiorum, ac totidem filiarum mater facta eſſet, ſe potius, quam Latonam tantum gemelliparam, cultu religioſo proſequendam, contendebat, prohibens, ne quis in ſuo regno Latonæ ſacra faceret. Id graviter admodum ferens *Dea*, *Apollinem* ac *Dianam* liberos, obteſtata eſt, ne ſe tanta injuria affici paterentur. Illi igitur, ſumtis arcubus & ſagittis, omnes *Niobes filios* interimunt. Cumque hæc, in iram verſa, Diis maledixiſſet, *filias* inſuper, ſagittis confixas vidit: ac ipſa poſtmodum, in *Saxum*, lacrymas perpetuo ſtillans, fuit converſa.

MARSYAS.

Pallas, conſpecta in Tritonide palude, oris ſui deformitate, dum tibias a ſe inventas, inflat, indignata, eas abjecit. Reperit has *Marſyas Satyrus*, &, illarum ſono in tantum ſibi placuit, ut ipſum *Apollinem* in muſicæ certamen provocaret. Superatum, Apollo *excoriavit*. E cujus corpore, tantum defluxit *Sanguinis*, ut a terra exceptus, in fluvium Phrygiæ fuerit commutatus, qui *Marſyæ* nomen retinens, in Mæandrum labitur.

TANTALVS.

Tantalus, Jovis, ex *Plote* Nympha, filius, cum Deos convivio excepiſſet, ut eorum divinitatem experiretur, *Pelopem*, filium nothum, membratim diſcerptum coctumque, iis appoſuit comedendum. [illegible] a nefandis epulis abſtinuere omnes, præter [illegible]rem, quæ, filiam *Proſerpinam* raptam, [illegible]nentis exitium lugens, inconſulte *hume*[illegible] [illegible]ſumpſit. Tum Dii reliqui, Pelopis miſerti,

cum

eum rurſus jecerunt in lebetem, ac recoctum, vitæ reſtituerunt. Cumque humerus deeſſet, *eburneum* ſubſtituerunt, qui, omnium poſtea Pelopidarum ſignum fuit. Tantalus, ad Inferos detruſus eſt, ubi perpetua fame & ſiti torquetur, &, *aquis mento tenus immerſus*, in iis natantia poma, ore nequicquam captare ſtudet.

PROGNE. PHILOMELA.

Tereus, Rex Thracum, cum Athenas obſidione liberaſſet, accepta in uxorem, *Pandionis*, Athenienſium Regis, filia, in Thraciam redit; ubi, cum jam filium ſuſcepiſſet, rogatus ab uxore, ut aut ſe Athenas deduceret, aut ſaltem *Philomelæ* ſororis videndi copiam *ſibi faceret*, profectus ipſe, Philomelam a patre accepit. Sed, cum in Thraciam perveniſſet, non ſolum *vim ei intulit*, ſed etiam *linguam*, ne vulgare ſcelus poſſet, præcidit, arctiſſimæ illam cuſtodiæ includens. Cæterum, illa, uti erat lanificii peritisſima, rem omnem, quo geſta erat ordine, *in tela depinxit*, eamque miſit ad ſororem. Progne, quamvis ſororis miſeria graviſſime commota, ultionem tamen in *Orgiorum*, ſive quo Bacchi ſacra celebrabantur, tempus, diſtulit. Tum, magna mulierum caterva comitata, ſororem carceri eripit, & thyrſis, pampinis, pellibusq; tectam, clam in Regiam perducit, ac in cubiculo occultat. Ibi; communicato cum Philomela conſilio, Itym filium ſuum jugulat, patriq; epulandum apponit. Cum vero Tereus, Itym filium, inter coenandum frequenter requireret, Philomela prodiens, caput filii ac pedes, ante Tereum abjicit. Is, cum ſtricto enſe, Philomelam Conjugemq; perſequeretur, ipſe quidem in *Upupam*, criſtam militarem in capite gerentem, Itys, in *Phaſianum*, Progne, in cruentu...

pectus habentem *Hirundinem*, Philomela, in *Luſciniam*, aſſidue, in ſolis locis, de Terei injuria ſuaviſſimi modis conquerentem, converſi fuere.

AQVILO.

Aquilo, cum *Orithyiam*, *Erichthei*, Athenarum Regis filiam, deperiret; nec ullis precibus a puellæ parentibus impetrare poſſet, ut ſe generum reciperent viribus uſus ſuis, puellam raptam in Thraciam defert, ibique ex ea gemellos procreavit, *Zethum* & *Calaim*: quorum poſtea humeris, *alæ volucrum* increverunt, ut tanto magis parentis imaginem referrent.

PHRYXVS. HELLE.

Phryxus, *Athamantis*, Æoli filii, Thebarum Regis, & *Nepheles* filius fuit, qui, una cum ſorore *Helle*, cum, defuncta matre, *Inûs* novercæ inſidias timerent, conſcenſo *aurei velleris Ariete*, quem antea a matre acceperant, *Pontum*, ea parte, qua anguſtior eſt, transfretare cœperunt. Sed Helle, undarum ſtrepitu, in Pontum decidit, & ſubmerſa eſt, a qua deinde, pars illa maris, *Helleſpontus* dicta eſt. Phryxus, incolumis in *Colchidem*, ad *Æetam* Regem pervenit, ubi *Arietem* Marti immolavit, vellusque illud aureum in templo ſuſpendit.

JASON. MEDEA.

Jaſon, *Æſonis*, Theſſaliæ Regis, filius, *Peliam* patruum, qui partem Theſſaliæ tenebat, adire volens, in itinere, forte in ripa *Anauri*, offendit *Junonem*, vetulæ ſimilem, quam, humeris ſuſcipiens, in ulteriorem ripam tranſtulit, altero calceo, ſub torrentis cœno relicto, atque ſic deinde Peliam adiit. Cæterum, Pelias, pridem acceperat Oraculi ſortem, ſe illius manibus

nibus moriturum, quem, *altero pede nudo* ad ſe venientem vidiſſet, conſpecto Jasóne, Oraculi memor, cogitare cœpit, quo pacto illum e medio tolleret. Non erat ea tempeſtate res majoris periculi, quam *ablatio Velleris Aurei*, quod in templo Martis ſuſpenſum, a tauris ignivomis, & pervigili dracone cuſtodiebatur. Hanc ergo expeditionem Pelias Jaſóni ſuadet, auxilium opesque ſuas pollicitus: ſperans interim, aliquá ratione periturum. Fabricata itaque navi, quæ, ab Architecti nomine dicta eſt *Argo*, Jaſon, cum Græciæ juventutis flore, mari ſe commiſit: cumque ad *Colchos* perveniſſet, *Medea*, *Æetæ*, Colchorum Regis, filia, forma ejus capta, cum *nuptias prius* ſibi pacta eſſet, e certiſſimo illum eripuit *exitio*. Quippe, ipſius ope, & veneficii præſidio, *tauros* ignivomos domuit, *draconem* vigilem cuſtodem trucidavit, ejusque *dentes* cum ſeminaſſet, natam inde armatorum ſegetem, jactato ſilice, coëgit inter ſe dimicare, ac ſeſe mutuis vulneribus conficere. Sic Jaſon *Aureum Vellus* ſuſtulit, & clam cum Sociis & Medea fugam arripiens, navi conſcenſa, ad *Iſtri oſtium* pervenit, adverſoque flumine ſubiens, cum illuc delatus eſſet, ubi Danubius Liburniæ montibus proximus eſt, navim, qua vectus erat, ſuis, Sociorumque humeris, per plana & montes, in mare Adriaticum deportavit, tandemque ſoſpes in patriam reverſus, duos ex Medea filios ſuſcepit.

ÆSON.

Jaſon, cum *Medea* a Colchis reverſus, *Æſonem* patrem ſenio confectum offendens, uxorem Medeam rogavit, ut ſibi ademtos annos, patri apponeret. Medea, majus quam petebatur, pollicita, variis

riis undique herbis collectis, unaque coctis, Æſonem jam decrepitum, ad XL. annorum ætatem revocavit.

PELIAS.

Medea, cum Peliam, *Jaſoni* inimicum eſſe cognoſceret, quo facilius eum perdere poſſet, ſimulans, ſe quoq; Jaſonem averſari, Peliæ filias ſibi conciliavit. Quæ, cum vidiſſent, *Arietem vetulum* a Medea in *Agnum* converti, impenſe ab ea petierunt, ut Peliam parentem ætati juvenili reſtitueret. Medea, ſimulans ſe morem iis gerere velle, perſuaſit Peliæ filiabus, *parentem interficerent*, ac, in vaſe aquæ pleno, coquendum igni exponerent. Quod, cum perpetraſſent, Pelias manſit exanimis, Medea, a draconibus in altum ſublata, aufugit, *Corinthumq;* pervenit.

CREVSA.

Medea, poſtremo a Jaſone repudiata eſt, cum aliam uxorem, *Creuſam* puta, *Creontis*, Corinthiorum Regis, filiam duxiſſet. Id Medea ægre ferens, *Ignem*, in ſcriniolo, muneris loco Creuſæ miſit, quo, ipſa cum tota Regia exuſta eſt. *Jaſon* iratus, cum de Medea ſupplicium ſumere vellet, hæc, *filios* quos ex eo pepererat, in illius conſpectu jugulavit, ac veneficiis in altum ſublata, *Athenas* venit, ubi *Ægeo* Regi, Neptuni filio, nupſit jam ſeneſcenti, peperitque filium, quem, de ſuo nomine *Medum* appellavit.

ÆGEVS.

Ægeus, Athenarum Rex, ante Medeam, *Æthram*, Trœzeniorum Regis filiam, cum apud illum ageret, duxit, a Neptuno vitiatam. Diſceſſurus, uxorem jam gravidam, ſolam ad *ſaxum* ducit, huicque *calceos* & *gladium* ſubjicit, mandans, ut ſi maſculum pareret, eum ad ſe non ante mitteret, quam adultus ipſe, per ſe

revo-

revoluto ſaxo, Gladium & calceos tollere, & ſecum auferre poſſet. Hinc enim ſe cogniturum ſperabat, an is, quem Æthra foret paritura, ſuus filius eſſet. Peperit deinde Æthra *Theſeum*, qui, revera quidem Neptuno genitus eſt, ſed Ægei filius putabatur. Is vero, cum adoleviſſet, *ſaxum*, quod mater indicabat, revolvit, & Gladium ac Calceos ſuſtulit, Athenasque proficiſcens, multos *latrones*, Iſthmum obſidentes, interfecit, illumque pater, Gladii indicio agnovit.

ARNE.

Arne, cum hoſti Athenas oppugnanti, *Sithon* Inſulam, in qua ipſa genita erat, auri cupidine vendidisſet, ne, *pro* meritis ſupplicia penderet, in *Monedulam* volucrem eſt transformata, quæ, etiamnum *auri* fulgore capitur.

ÆACVS.

Æacus, *Jovis*, ex *Europa* filius, *Æginæ* Inſulæ imperabat. Ejus incolæ, cum ob *Junonis* iram, peſtilentia eſſent abſumti, Æacus Jovem patrem rogavit, ut aut ſibi populum ſuum reſtitueret, aut ſe quoq; vita privaret. Cum autem magnam *Formicarum* multitudinem in vetuſta quercu vidiſſet, Jovem rogavit, ut ſibi tot cives, quot illæ Formicæ numero erant, concederet. Jupiter, Æaci precibus motus, *Formicas*, quæ in quercu erant, in homines commutavit, quibus Æacus agros diſtribuit.

PROCRIS.

Procris, *Erechtei*, Athenienſium Regis, filia fuit, quam, *Cephalus*, uxorem ductam, perpetuo charam habuit, ita, ut *Auroram*, quæ illum in ſuos amplexus invitabat, aſpernaretur. Aurora, diſſimulata ira, conjugis fidem apud Cephalum in dubium vocat, eique

per-

perſvadet, ut in forma alieni viri, ipſius pudicitiam pertentet. Morem geſſit Auroræ Cephalus, &, mercatorem ſimulans, ingentibus muneribus oblatis, Procrin eo perducit, ut voluntati illius ſe obſecundaturam polliceretur. Ibi, Cephalus, quis ſit indicat, ac tum Procris aufugiens, ſylvas petit, *Dianæq;* comes effecta, poſt diuturnum temporis intervallum, tandem Cephalo placatur, in illiusque domum reverſa, *Canem* ei, nomine *Lælapa*, & *Jaculum* miræ pulchritudinis, quodque inevitabile fuit, dono dat. Iis muneribus inſtructus Cephalus, in ſylvis venando aſſidue ſe oblectabat. Cæterum, Procris, ſuſpicata maritum *Nymphæ* alicujus amore teneri, clam eum ſequuta, poſt virgulta latens, ab illo pro fera habita, telo, quod ab ipſa munus acceperat, fuit trajecta.

MINOS. THESEVS.

Minos, *Jovis* & *Europæ* filius, ab Athenienſibus & Megarenſibus, quod filium ſuum *Androgeon*, ex mera invidia, quia nimirum omnes in palæſtra ſuperaverat, occidiſſent, pœnas ſumturus, bellum iis intulit. Ergo *Mégaram* obſidet, in qua tum *Niſus* regnabat. Cæterum, *Scylla*, Niſi filia, ſæpe murum aſcendens, ut, *vocali* ibi *lapide*, qui, Apollinis citharæ ſonum, quæ in eo requieverat, calculis pulſus edebat, ſe oblectaret, videt ſimul, *Minóën*, forma pulcherrimum, belli munia obire, & inter milites facienda diſpenſare. Inde, amore in eum ardens, deſperatisque rebus, modo ut illo potiretur, ipſum victorem reddere conſtituit. Ergo, Patri dormienti, *crinem purpureum*, quo fata patriæ continebantur, abſcindit, eumque ad Minóëm perfert. Ille, impium facinus averſatus, cum urbem in poteſtatem redegiſſet, vela ventis dat, Scylla

poſt

poſt ſe relicta. Hujus pater, jam ante in avem, quam Græci *Alieton* dicunt, immutatus fuerat, isque, dum filiam perſequitur, hæc quoque, in volucrem *Cirim* abiit. Poſt hæc, Minos, *Athenienſium quoq; victor*, iis tale tributum impoſuit, ut nono quoq; anno, XIV. *Nobilium liberi*, ſeptem videlicet pueri, & totidem virgines, ſorte ducti, mitterentur in Cretam, *Tauro*, qui, ex illo *Minotaurus* dicebatur, objiciendi. Erat Minotaurus monſtrum biforme, ſuperne hominis, inferne tauri ſpeciem referens, ex *Paſiphaë*, uxore Minois, quæ opera Dædali, vaccæ ligneæ indita, cum tauro ſe miſcuerat, natum. Meris humanis carnibus alebatur, *Labyrintho* ſinuoſo, quem & ipſum Dædalus conſtruxerat, concluſum. Igitur, cum ſors *Theſeum* quoque, Ægei Regis Athenienſium filium, deſignaſſet, ipſe, in Cretam profectus, *Ariadnæ*, Minois Regis filiæ, amore ſuo captæ, auxilio, ſervatus eſt. Ea enim, quomodo Minotaurum interficeret, monſtravit, *filumq;* illi dedit, cujus ad januam Labyrinthi fixi, ope, inde rurſus egredi poſſet. Theſeus, occiſo Minotauro, *Ariadnen*, una cum *Phædra* ſorore abducens, in *Naxum* Inſulam enavigavit. Hic loci, Ariadne, a Theſeo ingrato relicta, cum ſuam calamitatem quereretur, opemque Deorum invocaret, *Libero Patri* ita placuit, ut eam ſibi deſponderet; isque, *Coronam* ejus, cœli ſideribus intulit.

DÆDALVS.

Dædalus, Athenienſis, *Eupolami* filius, artificum omnium ſuæ ætatis longe erat ingenioſiſſimus: quippe, qui primus, *Serram*, *Aſciam*, *Perpendiculum*, *Terebram*, *Glutinum*, & *Lithocollam* inveniſſe, *Velaq;* & *Antennas* navibus adaptaſſe dicitur. *Statuis*

quo-

quoque oculos induxit, & abditis quibusdam nervis effecit, ut hac atque illac moverentur, & viventium imaginem præberent. Cum vero *Talus*, ſorore ejus genitus, *Circinum*, & *Rotam figulinam* excogitaſſet, timens, ne ab hoc vinceretur; de feneſtra ipſum præcipitavit ad necem. Hujus innocentiam miſerati Superi, illum, in *Perdicem* avem, mutarunt; quæ etiam nunc, caſus ex alto memor, vitat ſublimia, & juxta terram volans, humi nidum conſtruit. Cæterum, Dædalus, cum Judices vereretur, in Cretam aufugit, atque ibi *Labyrinthum* fecit, & *Paſiphaën*, ut cum amato tauro, *Ariadnen*, ut cum Theſeo deſiderium explere poſſent, adjuvit. Minos, de his poſtremis ſceleribus certior redditus, Dædalum, una cum *Icaro* filio, in Labyrinthum conjecit. Is vero, ſibi filioq; *alas*, e pennis, cera connexis, affingit, quarum remigio, ambo e Creta evolarunt. Ac Dædalus quidem, quo voluit, ſoſpes pervenit ac incolumis, Icarus vero, patris mandatorum contemtor, cum altius quam juſſus fuerat, contenderet, ob reſolutam, calore Solis, ceram, in mare cecidit, quod, ab illo, *Icarium* fuit dictum.

MELEAGER.

Meleager, *Oenei*, Calydoniæ, ſive Ætoliæ Regis, ex *Althæa*, filius erat. Eo recenter nato, viſa ſibi eſt mater, tres *Parcas* igni aſſidentes videre, manuque ſtipitem tenentes, æqualem puero cum ſtipite vitam aſſignare. Recedentibus itaque Parcis, Althæa extinctum ſtipitem diligentiſſime aſſervavit. Adulto deinde Meleagro, contigit, ut Pater ejus, ex collectis frugibus, omnibus Diis ſacrificaret, ſola *Diana* neglecta. Hæc, contemtum haud æquo animo ferens, *Aprum* Calydoniæ immiſit, totius regionis agros

agros devaſtantem. Ad eum conficiendum, Meleager, collecta robuſtiſſimorum juvenum manu, ſe accinxit, atque iis *Atalanta*, Jaſii, Argivorum Regis filia, comes acceſſit, quæ, & ipſa, Aprum prima vulneravit. Cujus virtutem formamq; miratus Meleager, Apro interemto, *caput* ei, velut partem ſpolii, conceſſit, eamq; duxit uxorem. Permovit ea res *Plexippum* & *Toxeum*, Althææ fratres, ita, ut Atalantæ caput auferre conarentur. Quamobrem, Meleager irritatus, eos obtruncavit, Althæa vero, de ea re certior facta, in furorem verſa, *fatalem illum ſtipitem* in ignem conjecit, quo exuſto, Meleager etiam, conſumtis inteſtinis, contabuit. Quem caſum flentes ſorores, in aves *Meleagrides* fuere converſæ.

ACHELOUS.

Theſeus, cum aliquando Athenas iter affectaret, forte *Achelous* fluvius, Ætoliam ab Acarnania diſterminans, ſic intumuerat, ut tutus tranſitus non videretur. Invitatus igitur Theſeus, a fluminis Deo Acheloo, domum illius intravit, tantisper illic futurus, dum tuto tranſire poſſet. Cum vero poſt cœnam, Theſeus in mare proſpiciens, vidiſſet *Inſulas* quasdam, Acheloum rogavit, quot illæ eſſent, ac quo nomine appellarentur? Ei Achelous reſpondit, *Najades quinq;* fuiſſe illorum locorum accolas, quæ, cum aliis Diis, ſe ſpreto, ſacrificaſſent, eas, ſe iratum, in mare provolviſſe, indeque emerſiſſe *Echinadas* Inſulas.

PERIMELE.

Perimele, *Hippodamantis* filia, ab *Acheloo* vim paſſa, e ſaxo a patre in mare fuit præcipitata. Achelous vero, de amicæ ſalute admodum ſolicitus, *Neptunum* rogavit, ne illam ſubmergi pateretur, ſed ei

aut locum præberet, aut ipſam locum efficeret. Precibus igitur Acheloi motus Neptunus, eam in *Inſulam*, haud longe ab Echinadibus diſtantem, transformavit.

CÆNIS.

Cænis, Theſſalica puella, a *Neptuno* per vim compreſſa, ab eo muneris loco impetravit, ut in virum transformaretur, nullisque unquam vulneribus poſſet ſauciari. Mutato itaque ſexu, etiam nomen mutavit, & *Cæneus* audire cœpit: atque, cum *Lapithis*, Theſſaliæ populis, Pindum & Othryn montes incolentibus, adverſus Centauros pugnans, cum nullo lethi genere poſſet violari, magna arborum mole congeſta, vivus obrutus eſt, ac in *Avem* abiit.

PHILEMON. BAUCIS.

Jovem & *Mercurium*, in hominum figuras verſos, regionemque Phrygiæ peragrantes, in quodam oppido nemo hoſpitio excipere dignabatur, præter *Philémonem* ruſticum, cui *Baucis* conjux: qui, pauperes quidem, tamen, quod poterant, præſtitere, advenasq; tractarunt liberaliter. Quamobrem Jupiter, cum oppidum, ob inhoſpitalitatem, hiatu terræ perdere decreviſſet, Philemonem & Baucidem monuit, ſi ſalvi eſſe vellent, ſeſe ut ſequerentur: atque hi, præcepto promti obtemperarunt. Cæterum, ad vicini montis culmen cum perveniſſent, forte reſpicientes, oppidum palude hauſtum vident, ſola *ſua caſa* excepta, quæ, ipſis intuentibus, in templum fuit transformata. Juſſi deinde, pro hoſpitii munere, petere quod vellent, nihil aliud ſe optare reſpondebant, quam ut novi templi ſacerdotio præficerentur, nec alter alterum ad ſepulturam ferret, ſed eodem temporis momento, ex-

tre-

tremum vitæ diem ſimul ambo clauderent. Annuens Jupiter, ad ſua eos remiſit, ubi, quod reliquum erat vitæ, in Deorum miniſterio peregerunt, extremam vero ſenectutis lineam poſtquam attigere, *Philemon*, *Ilicis*; *Baucis*, *Tiliæ*, formam induerunt.

ERISICHTHON.

Eriſichthon, Theſſalus fuit, Deorum contemtor. Qui, cum Cereri nemus conſecratum, ac in eo *Quercum*, in qua Nympha habitabat, ſuccidiſſet, *Hamadryades*, illorum montium incolæ, *Cererem* convenerunt, obteſtantes, ne tantam impietatem inultam abire pateretur. Ceres, & ſua cauſa, &, Hamadryadum precibus permota, in Eriſichthonem famem immiſit, quæ, illum nocte dieq; cruciavit citra ullam intermiſſionem, ita, ut denique præ eſurie, in propria membra ſævire cogeretur.

PROTEVS.

Proteus, *Neptuni* filius, modo in *juvenem*, modo in *leonem*, interdum in *aprum*, alias in *anguem* ſe convertebat, ut inſidiantes poſſet eludere.

HERCVLES. DEIANIRA.

Cum Deianiram, *Oenei*, *Ætoliæ* Regis filiam, multi, atq; in his *Hercules* & *Achelous* petiiſſent, Virginis pater ſtatuit, ut is illam haberet, qui in luctæ certamine ſuperior futurus erat. Aliis cedentibus, Hercules atque Achelous ineunt pugnam, in qua, cum Hercules prævaleret, Achelous, ad ſuas confugiens artes, primum in *Anguem*, deinde in *Taurum* ſe immutavit; verum incaſſum: eique victo, Hercules alterum cornu extorſit. Id, *Nymphæ* ſuſcipientes, omni fructuum genere repleverunt, & Cornu Copiæ appellarunt, *Fertilitatis Deæ* illud dicantes. Poſt hæc,

victor Hercules, tranſiturus Evenum, Ætoliæ fluvium, qui tunc temporis maxime excreverat, *Neſſus* Centaurus ſeipſum ultro obtulit, ad transvehendam *Deianiram*. Hanc, cum Hercules illi commiſiſſet, ipſe interim fluvium primus tranavit. At Neſſus, qui, in altera ripa permanſerat, novæ nuptæ vim inferre pertentat. Cum igitur Deianira Herculis fidem opemque imploraret, ipſe, ſagitta, Hydræ ſanguine infecta, Centaurum transfixit. Qui, moriturum ſe ſentiens, ut necem ſibi illatam ulciſceretur, *veſtem*, proprio ſuo ſanguine perfuſam, Deianiræ donavit, aſſerens, ei vim, animos hominum conciliandi ineſſe, maritumq; illius, ſi eam induat, ab aliarum mulierum amore avocatum iri. Mulier nimis credula, munus accepit, cumq; audiſſet, maritum ſuum in Eubœa, amore *Joles*, Euryli filiæ, detineri, veſtem Nesſi ſanguine imbutam, *Lichæ* famulo tradidit, domino perferendam. Hercules, nihil mali ſuſpicans, Jovi ſacrificaturus, eam induit, quæ mox flammam concepit, & corpori ejus tam arcte adhæſit, ut inde avelli non poſſet: unde ſummis cruciatibus affectus, inque furorem verſus, Licham rotatum, in mare Eubœum projicit, quem tamen, quod culpa vacaret, *Tethys*, in ſcopulum, conchis muricibusq; veſtitum, convertit. Ipſe, *Philoctetæ*, Pæantis filio, arcu & ſagittis commiſſis, ſe in ardentem pyram, in *Oeta*, Theſſaliæ monte, conſtructam, conjicit. Deianira ea de re certior reddita, mariti *clava*, ex doloris impatientia, ſe interfecit; e cujus ſanguine, planta, *Nymphæa*, & *Heracleon* dicta, prodiit. Hercules, a Jove genitore, in cœlum receptus eſt, & placata Junone, filiam ejus *Heben* conjugem accepit.

GA-

GALANTHIS.

Alcmena, cum *Herculem*, quem ex Jove conceperat, parere non poſſet, diu fruſtra partus cum doloribus *luctata*, *Lucinam* Deam, puerperii præſidem, invocat, opem ferre dignaretur. Ac venit quidem Lucina, ſed, ut *Junonis* in gratiam, partum impediret. Ergo, in vetulæ formam converſa, ante Alcmenæ fores ita ſedet, ut manus, digitis cancellatim junctis, ſuper genua repoſitas haberet, ſecretum quid tacita voce murmurans. Forte *Galanthis*, Alcmenæ famula, ſuſpicata quod res eſt, illam anum, hoc geſtu, dominæ, in pariendo eſſe impedimento, lætitiam ingentem vultu ſimulans, falſo nunciat, Alcmenam partu levatam eſſe. Qua re intellecta, Lucina admiratione ſimul & dolore concita, remiſſis manibus ſurgit, atq; mox Alcmena Herculem peperit. Cæterum, Dea indignata, ſibi a Galanthide data eſſe verba, illam, in animal ſui nominis, γαλῆν, ſive *Muſtelam*, convertit, hac addita pœna, ut ore, quo mentita fuerat, pareret.

DRYOPE.

Dryope, *Eúrythi* filia, ſoror *Jóles*, *Andræmonis* conjux, quam ante dilexerat *Apollo*, cum ad *lacum* ſacratum Nymphis, dona ferens veniſſet, & ex arbore *Loto* (in quam Loto, fugiens Priápum tranſierat,) ramum decerpſiſſet, quo, parvum filium, nomine *Amphiſſon*, quem ſecum tulerat, oblectaret, quia ſacræ arboris extiterat violatrix, *trunco* hæſit infixa.

CALLIRHOE.

Callirhoë, *Acheloi* amnis filia, *Alcmæoni* nupſit, eique filios duos peperit. Cum vero maritus, *Phegei*, cujus ante filiam in matrimonio habuerat, frau-

dibus periiſſet, petiit Callirhoë a Jove, ut liberis ſuis, quo necem paternam ulciſci poſſent, annos adjiceret. Damnata eſt voti, atq; filii, ex pueris, *adoleſcentes* evaſerunt.

BYBLIS.

Byblis, *Mileti*, & *Cyanes* filia, *Caunum* fratrem miſere deperibat, atq; veſaniam cupiditatis jam amplius compeſcere non valens, per literas eam aperit. Caunus, abhorrens a nefando amore, patriam mavult deſerere, & aliquo gentium commigrare, ubi nec ſororis nomen nec facta audiat. Inſequitur Byblis fugientem, multasq; gentes permenſa, noviſſime in *Cariam* venit, ibi, aſſiduo mœrore & fletu fatigata, cum concidiſſet, *Nympharum* miſericordia, exſpirantis lacrymæ, in fontem converſæ ſunt, quem *Byblida* indigenæ nominant.

IPHIS.

Ligdus, iter moliens, cum *Telethuſam* uxorem gravidam eſſe animadverteret, in mandatis ei reliquit, ut filiam pariens, eam necaret, puerum autem in lucem ſi edidiſſet, ſervaret incolumem. Digreſſo marito, Telethuſa enititur filiam. Ergo anxia, cum neq; mariti juſſa auderet violare, nec propriam ſobolem e medio tollere, mediam deniq; viam eligit, marem ſe pepeꝛiſſe ſimulat, ac puellam, pro puero educat, *Iphidis* nomine, quod quidem utriq; ſexui commune eſt, illi impoſito. Verum, cum jam adoleviſſet, paterque puellam *Janthen* ei deſpondiſſet, Telethuſa animadvertens, rem diutius celari non poſſe, *Iſidis* opem imploravit, quæ, precibus ejus exauditis, Iphidem in marem commutavit.

ORPHEUS.

Orpheus, *Calliopes* & *Apollinis* filius, a patre *Lyram* accepit, eaque tantum valuit, ut illius cantu, ſylvæ & ſaxa moverentur, & feræ mitiores fierent. *Eurydicen* uxorem habuit, quæ, *Ariſtæum*, Bacchi filium, Arcadiæ Regem, vim ſibi inferre volentem, fugiens, a ſerpente occiſa eſt. Ejus mortem ægre ferens Orpheus, ſumta Lyra, ad Inferos deſcendit, *Plutonemq;* & *Proſerpinam* ſuis modulationibus tantopere demulſit, ut Eurydicen ſibi reſtituerent, ea tamen lege, ne illam, antequam ad Superos perveniſſet, intueretur. Hanc legem, cum violaſſet Orpheus, Eurydice ad Inferos retracta eſt. Orpheus vero, quia deſperabat, ſe illa iterum potiri poſſe, omnes aſpernatus mulieres, mares tantum ſectari cœpit. Id ægre ferentes *Thraciæ mulieres*, ſacra Bacchi celebrantes, illum, Lyram pulſantem, diſcerpſerunt. Ejus membra, paſſim per agros ſparſa, *Muſæ* collegerunt, ac ſepulturæ dederunt; *Lyra* vero, & Caput, in Hebrum dejecta, ad *Lesbum* Inſulam delata ſunt, ubi *Caput*, ab incolis ſepulturæ mandatum, *Lyra* autem in cœlum aſſumta, a novem Muſis, totidem ſtellis exornata. *Thraciæ mulieres*, a Baccho, cædem Orphei ægre ferente, in *arbores* fuere converſæ.

CYPARISSUS.

Cypariſſus, *Telephi* filius, puer formoſiſſimus, ex *Cea* Inſula, ab *Apolline* in deliciis habitus: qui, cum *Cervum* manſuetum, ſibi imprimis charum, imprudens jaculo occidiſſet, doloris impatientia manus violentas ſibi intulit, Dei amatoris miſeratione, in *Cupreſſum* arborem commutatus.

HYACINTHUS.

Hyacinthus, *Amyclæ* Regis filius, eodem tempore, ab *Apolline* & *Zephyro* amatus eſt. Verum, cum in Apollinis amorem propenſior eſſet, Zephyrus, amore in odium converſo, dum Hyacinthus *diſco* ſe cum Apolline exercet, vehementius flare cœpit, diſcumq; ab Apolline emiſſum, flatu ſuo, in caput Hyacinthi vibravit, unde ille letho datus eſt. Cujus mortem, cum admodum dolenter ferret Apollo, *Tellus*, in amatoris Dei ſolatium, cruorem ejus commutavit in *florem* ſui nominis.

PYGMALION.

Pygmalion, *Cilicis* filius, offenſus *Propœtidum* flagitiis, vitam cælibem agere decreverat, ſed, ex ebore *virginis ſimulacrum* tam affabre finxit, ut, perinde atq; ſi viva eſſet, illius amore caperetur. Quamobrem, a Venere, aſſiduis precibus petiit, talem ſibi uxorem concederet. Venus propitia, plus, quam petebatur, effecit, eiq;, quam in lecto collocaverat, ſtatuæ, animam inſpiravit, ex qua Pygmalion *Paphum* ſuſtulit.

MYRRHA.

Cinyras, Cypri Rex, *Myrrham* genuit, quæ, nefando patris amore capta, nutricis opera, cum eo inſcio concubuit, *Adonimq;* concepit. Id, cum reſciviſſet pater, ſtricto enſe filiam perſequitur: illa vero fugiens, in *Arabiam* usque penetravit, ubi longo errore feſſa, Deorum miſeratione, in *arborem* ſui nominis, fuit mutata.

ADONIS.

Adonis, ex inceſta, Cinyræ patris, ac Myrrhæ filiæ, conſuetudine natus, in tantam crevit pulchritudinem, ut amore ejus *Venus* caperetur, quo cum, ut diutius agere

agere poſſet, una cum illo *venationibus* indulgebat, ſed animalium minime efferatorum, atq; ab his Adonim quoque ſibi cavere jubebat. Ille vero, gloriæ cupiditate motus, abſente Venere, *Aprum* excipere auſus, ab eo fuit interfectus, quem, Venus, in *Anemonem* florem convertit.

ATALANTA.

Atalanta, *Schœnei*, Regis in *Scyro* Inſula, filia, cum pedum agilitate præſtaret, curſu, cum procis, certabat ea lege, ut ei, a quo vinceretur, nuberet, victos autem occideret. Multis ſuperatis, *Hippomenes* Martis filius, cum ea in certamen venit, acceptis tamen prius a Venere, tribus *aureis pomis*, in Heſperidum horto natis. Hæc, inter currendum, ſenſim projecit in terram; quibus colligendis illa retardata, victa ſuccubuit, Hippomeniq; nupſit. Cum vero in templo Cybeles, neglecta religione, ambo amori indulgerent, Dea offenſa, eos in *Leones* commutavit, currumque ſuum ſubire coëgit.

MIDAS.

Midas, *Gordii* bubulci filius, Phrygiæ Rex, cum *Silenum* (Satyrus is eſt, qui ſemper aſino inſidens, & ebrius fingitur,) a ruſticis captum, ſibique traditum, *Baccho*, qui illum nutritium habuerat, reddidiſſet, juſſus eſt a Deo petere, quod animo ejus eſſet collibitum. Ille petiit, ut quicquid corpore ſuo tangeret, *aurum* fieret. Conceſſit id Bacchus, quamvis ægre, probe gnarus, id inutile ei futurum. Nec multo poſt, ipſum Midam, voti ſtolidi pœnituit, cum panis quoque, ac vinum, quibus frui volebat, in aurum converterentur, atque ipſe fame ſitiq; torqueretur. Ergo Bacchum rogat, imprudentiæ veniam daret, & munus

datum revocare dignaretur. Bacchus exoratus, mandat, ad fontem *Pactóli* pergeret, ſeque totum in eo ablueret. Quod, cum feciſſet, vis illa, aurum contactu efficiendi, in fluvium tranſiit, unde *arena* ejus aurea eſſe prædicatur. Cæterum Midas, poſt hæc opes cultioremque vitam peroſus, in ſylvis habitabat, erga *Pana*, paſtorum Deum præcipue religioſus. Iſte, cum *fiſtula* inventa, multum Nymphis placere videretur, auſus eſt *Apollinem* in Muſicæ certamen provocare, *Tmolo* montis Deo, judice conſtituto, qui ſecundum Apollinem pronunciavit. Ea ſententia, cum omnibus placeret, ſolus Midas, naturali ſtultitia ductus, illam, ut injuſtam, improbavit. Quare Apollo ſuccenſens, *aures* ipſius in aſininas produxit, ut ejus ſtupiditas manifeſta fieret: longiores enim aures, vecordiæ ſunt indicium. Enim vero Midas, *tiaris* purpureis, aures ſuas tam ſcite occultabat, ut nemo præter ſolum *Tonſorem*, earum haberet notitiam. At Tonſor, cum rem miram tacere non poſſet, in locum deſertum ſeceſſit, ibique, foveæ factæ, immurmuravit, Midam Regem aſininis auribus præditum eſſe; ac poſtea foveam, terra replevit. Temporis proceſſu, eo in loco *arundines* creverunt, quæ, commotæ, vocem, *Aures aſininas Rex habet Midas*, quam tonſor infoderat, divulgarunt.

LAOMEDON. HESIONE.

Laomedon, *Ili* filius, quintus Trojanorum Rex, cum, de conſtruendis Trojæ mœnibus, ſolicitus esſet, *Apollo* & *Neptunus*, in humanam figuram converſi, mercedem pacti, opus illud brevi tempore ſe effectum reddituros, promiſerunt. *Mœnibus* perfectis, cum mercedem, quam, jurejurando interpoſito, pollicitus fuerat Laomedon, operarii requirerent, juravit

ravit ipſe, nihil ſe promiſiſſe, ac proinde nec quicquam pro labore dependere velle. Dii indignati, novam urbem duplici mactant calamitate, quippe Neptunus, *inundatione*, Apollo, *peſte*, eam afflixerunt. Laomedon, cum Oraculum conſuluiſſet, quæ medela iis malis adhibenda ſit, reſponſum eſt, alia ratione Deos placari non poſſe, quam, ſi quotannis *virgo Trojana*, quam ſors declaraſſet, *Ceto* dilaceranda exponeretur. Tetigit, ex intervallo, ſors, Laomedontis filiam *Heſionem*, jamq; ſcopulo alligata, monſtrum marinum miſera præſtolabatur. Tum *Hercules*, illac forte iter faciens, liberandam Heſionem ea conditione recepit, ut *Equos*, divino ſemine procreatos, quos habere Laomedontem conſtabat, in præmium referret: nec mora, interfecta bellua, Virginem liberavit. Sed, cum Laomedon pollicitis minime ſtaret, Hercules collecto undiquaque exercitu, *Ilium* expugnavit, Laomedontem occidit, & Heſionem, *Telamoni*, qui primus murum conſcenderat, dedit uxorem.

THETIS. PELEVS.

Thetim, *Oceani* filiam, *Jupiter*, pulchritudine ejus captus, amare cœpit, uxoremque ducere decreverat. Sed, monuit illum *Proteus*, ita eſſe in fatis, ut quicunque ex ea naſceretur, patre major futurus ſit; unde a nuptiis his abſtinuit, *Peleo* autem, *Æaci* & *Æginæ* filio, nepoti ſuo, mandavit, ut illam connubio ſibi jungeret. Peleus, Thetidis amorem ſibi conciliaturus, eam in ſpelunca jacentem amplectitur, ſed fruſtra. Modo enim in volucrem, modo in arborem, ac deniq; in tigridem, ſe Dea transformavit, unde Peleus, ſibi metuens, eam dimiſit. Svaſit autem illi, fidem opemque ſuam imploranti Proteus, ut *Thetim dormientem* vinculis ligaret, & quamvis in mille varias figu-

figuras convertatur, haud abire ſinat, ſed tam diu detineat, quoad redeat ad priſtinam formam. Morem geſſit Peleus, & ſic, Thetide potitus eſt, ſolusque ex hominibus, Deam uxorem ducere meruit, e quo conjugio, *Achilles* natus eſt.

DÆDALION.

Dædalion, *Luciferi* filius, *Ceycis* frater, filiam *Chionem* habuit, quæ, cum una nocte, ex *Mercurio*, *Autolycum*, & *Apolline*, *Philemonem* conceptos, deinde peperiſſet, *Dianâ* ſe formoſiorem eſſe jactabat. Hanc ignominiam, cum Dea ferre non poſſet, ſagittis illam confecit. Ejus morte, Dædalion tantum concepit dolorem, ut ex Parnaſſi vertice, ſe in mare præcipitaret; quem, Apollo, amoris erga filiam memor, antequam in mare delaberetur, in *Accipitrem* convertit.

CEYX.

Ceyx, Rex Trachiniæ, cum ob fratris *Dædalionis* caſum, ad *Clarium* Oraculum conſulendum ire vellet, diu ab *Halcyone* uxore detentus fuit. Cum vero illi promiſiſſet, ſe intra duos menſes rediturum, abeundi veniam accepit. At, in Ægeo mari tempeſtate deprehenſus, *naufragium* fecit, & una cum ſociis ſubmerſus periit. Vxor, cum quotidie, pro mariti ſalute, Diis omnibus, Junoniq; imprimis, vota ſolveret, hujus opera, per ſomnium monita eſt, maritum in mari vitam finiviſſe. Quare, expergefacta, ad litus, unde maritus ſolverat, ſe confert, & dum infortunia ſua queritur, cadaver adnatare conſpicit. Quod, cum mariti eſſe cognoviſſet, ac per undas, ad illud exſilire vellet, Deorum miſeratione, in *Halcyonem* converſa, ad os mariti advolavit, ac ſimul & ipſe, in ejusdem gene-

generis avem transfiguratus eſt. Ab iis, XIV. dies, quibus mare quietum eſt, *Halcyonii* dicuntur.

ÆSACVS.

Æſacus, *Priami* filius, ex *Alyxothoë* Nympha, cum amore *Eperies* Nymphæ captus, eam fugientem perſequeretur, in cauſa fuit, ut illa periret: quippe, inter fugiendum, a *ſerpente* icta, exſpiravit. Hanc mortem, tam dolenter is tulit, ut e ſcopulo in mare ſe præcipitem daret. Illius Thetis miſerata, in *Mergum* ipſum convertit, qui, indignatus, quod ſibi mori non fuerat conceſſum, ſe mergere nunquam deſiſtit.

CALCHAS.

Cum mille Græcorum, Helenam repetentium, naves, ad *Aulidem*, Bœotiæ regiunculam, conveniſſent, ac Jovi ſacrificare Græci vellent, ecce *Serpens*, platanum, aræ imminentem, aſcendit, ac primum *Volucris*, quæ ibi nidum fecerat, pullos octo, qui aderant, deinde advolantem matrem, devoravit. Id, cum omnes mirarentur, *Calchas*, Græcus augur, Theſtoris filius, cujus conſilio multa in illa expeditione geſta ſunt, ex eo collegit, bellum novem annos duraturum, ac decimo demum anno Trojam captum iri. Cæterum, *ſerpens* ille, ad perpetuam rei memoriam, in *ſaxum* a Diis fuit commutatus.

IPHIGENIA.

Agamemnon, Mycenarum & Argivorum Rex, omnium Græcorum conſenſu, Dux expeditionis adverſus Trojanos electus eſt. Is, cum in Aulide claſſis hæreret, *Cervum*, Dianæ ſacrum, imprudens occidit: unde Dea, ira correpta, contrariis flatibus Græcorum navigationem morabatur. Conſulti harioli, quomodo expiari facinus poſſet, reſpondebant, non ante

claſ-

claſſem poſſe moveri, niſi *Iphigenia*, Agamemnonis filia, Dianæ immolaretur. Ergo miſſus *Vlyſſes*, Iphigeniam aſtu a matre abduxit, ſimulans, Achilli eam nupturam. Cum vero mactanda eſſet, Dea, illius miſerta, *Cervam* pro ea ſuppoſuit, Virginem autem tranſtulit in Tauricam Cherſoneſum, ubi a *Thoante*, ſacris Dianæ præfecta eſt, quæ humano ſanguine fieri ſolebant. Venit huc poſtea *Oreſtes* frater, ob ſcelera (*Pyrrhum* enim, *Macárei* Sacerdotis ope, in templo Apollinis interfecerat, eo quod *Hermíonem*, Menelai filiam, ſibi prius deſponſatam rapuerat) furiis agitatus: quippe, prædictum fuit, non poſſe eum aliter, quam ad aram Dianæ Tauricæ expiari, unde *Pylades* illum in has oras deduxit. Deſtinabatur jam novus hoſpes, ex more, Dianæ ſacrificio, ſed, a ſorore agnitus, liberatus eſt, ac cum ea non multo poſt, occiſo Thoante Rege, aufugit, ablato ſecum *Dianæ ſimulacro*, quod, Italiam petentes, ibi in *Aricino* nemore collocarunt.

CYGNVS.

Cum Græcorum Claſſis in Troade appuliſſet, poſt alios peremtos, *Hector*, *Cygnum*, Neptuni filium, aggreſſus eſt; quem, cum fruſtra jaculis appetiiſſet, erat enim invulnerabilis, tandem, re intellecta, humi illum proſtravit, genibusque collo innixus, animam eliſit. Cum vero cadaver ſpoliare vellet, arma vacua invenit, Cygnumq; in ſui nominis *avem* vidit commutatum.

ACHILLES.

Achilles, *Pelei* & *Thetidis* filius fuit; eum, adhuc infantem, mater Stygiis undis immerſit, unde corpus impervium telis factum eſt, præterquam ea pedis parte, qua comprehenſus ab ipſa fuerat, dum ablue-

batur.

batur. Traditus eſt educandus *Chironi* Theſſalo, ut ab eo, Bellicis Muſicæque artibus erudiretur. Cum vero mater, ex Oraculo didiciſſet, in expeditione Trojana periturum, ſi eo cum cæteris Ducibus proficiſceretur, jam adultum, inter *Lycomedis*, Scyri Inſulæ Regis, filias, furtim occuluit, &, ne proderetur, muliebri habitu eum induit. Ibi, cum aliquandiu delituiſſet, *Deidamiæ*, Regis filiæ, vitium intulit; ex qua *Pyrrhus* natus eſt. Cum vero, ſine Achille, Troja capi non poſſet, nec ipſe uſquam inveniretur, *Vlyſſes*, id, quod erat, ſuſpicatus, mercibus, quibus fœminæ capiuntur, gladium, ſcutumque, ac galeam immiſcens, ad Lycomedem ſe contulit: ubi, mercibus illis expoſitis, Achilles gladium ac ſcutum, alia negligens, tractare cœpit. Ex quo agnitus, ad bellum Trojanum fuit deductus, cum prius *Vulcanus*, Thetidis rogatu, *arma* ei fabricaſſet, quæ, nulla humana vis penetrare poterat. In eo bello, poſt multas res præclare geſtas, adeo, ob ereptam ſibi ab Agamemnone *Briſeida* (*Lyrneſſia* hæc puella fuit, vero nomine *Hippodamia* vocabatur, &, capta Lyrneſſo, Phrygiæ urbe, Achilli in ſortem victoriæ ceſſerat) indignatus eſt, ut aliquandiu bello abſtineret, nec ullis precibus reduci poſſet. At, *Patrocli*, amici conjunctiſſimi, morte permotus, denuo ad bellum profectus, *Hectorem* interfecit, quem, mortuum, &, (ut Patroclum ulciſceretur) curru alligatum, ter circum urbis muros raptavit, ac demum Priamo corpus vendidit. Cæterum, cum in Trojæ mœnibus, aliquando *Polyxenam*, Priami, ex *Hecuba*, filiam, conſpexiſſet, ejus amore flagrans, illam ſibi uxorem petiit. Annuit *Priamus*, placuitque, ut in Thymbræi Apollinis templo, convenirent, pacis nuptiarumque fœdera inituri. Quod, cum reſciviſſet

Paris,

Paris, poſt Apollinis ſimulacrum ſe occultavit, Achillemque ſagitta, talum ejus, ſolum in corpore mortale membrum, ipſo Apolline ictum dirigente, feriens, interfecit. Capta deinde Troja, cum Polyxena viva in hoſtium manus perveniſſet, *Achillis umbra* Græcorum Proceribus in ſomnis apparuit, præcipiens, ut Polyxena, cujus nuptiarum prætextu erat interfectus, ſuis Manibus ſacraretur, quod etiam Pyrrhus, Achillis filius, præſtitit.

AJAX.

Achille, ſagitta Paridis interemto, magna inter Ajacem, *Telamonis*, Salaminis Inſulæ Regis, ex *Heſione*, Laomedone genita, filium, & *Vlyſſem*, de illius armis, utri deberentur, contentio fuit. *Agamemnon* autem, ne in alterutrius odium incideret, illius controverſiæ judicium, ad Græcorum Principes rejecit. Juſſo igitur utroque, in conſeſſu Principum, cauſam ſuam agere, non virtute aut meritis, quibus utique Ajaci inferior erat, ſed eloquentia, qua plurimum valebat, Vlyſſes effecit, ut ſibi arma adjudicarentur. Hanc repulſam Ajax tam ægre tulit, ut primum præ furore ſui compos non eſſet: deinde, cum reſipuiſſet, gladio proprio incumbens, ſeipſum interfecit, a Diisq; in *Hyacinthum* florem commutatus eſt, in cujus foliis, literæ A I. & Hyacinthi pueri querelas, & nomen Ajacis oſtendunt.

HECVBA.

Hecuba, *Priami* uxor, cum Troja capta, *Polyxenam* filiam, immolari vidiſſet, & dein filii ſui *Polydori* a *Polymneſtore* Thraciæ Rege interemti, corpus in mare abjectum agnoviſſet, accerſitum ad ſe Polymneſtora, ſub ſpecie theſauri indicandi, oculis privavit. Quare

Quare, cum *Thraces fœminæ* ipſam lapidibus inſectarentur, voluntate Deorum, in *Canem* converſa, iis oblatrare cœpit.

MEMNON.

Memnon, *Tithoni*, atq; *Auroræ* filius, cum in bello Trojano, ab *Achille* fuiſſet interfectus, mater Jovem rogavit, aliquo illum honore afficeret. Ergo Jupiter, *favillas* rogi ipſius congregatas, ejusque *Socios*, in *Aves* commutavit, quibus *Memnonides* nomen inditum. Eæ, ſingulis annis, ad *ſepulchrum Memnonis*, acriter inter ſe pugnantes, illius Manibus parentare videntur.

ACIS. GALATEA.

Acis, *Fauni*, *Simethidisq;* Nymphæ filius, Galateam, *Nerei & Doridis* filiam, cum diligeret, nec minus ipſe ab ea peteretur, *Cyclops*, qui ſimiliter Galateam amabat, furore incenſus, per ſylvas, ſpelunca relicta, vagando, cum conſpexiſſet Galateam, in gremio Acidis reſidentem, avulſum ſcopulum *Ætnæ* in eos conjecit. Sed *Galatea*, impetum tempeſtive adhuc effugiens, in *mari merſa* fuit, *Acis*, ſaxo obrutus eſt, cujus cruor, in *flumen*, ſui nominis, tranſiit, quod, ex Ætna monte oriens, Galateæ quaſi cupidum, in mare Siculum defertur.

GLAUCUS.

Glaucus, *Polybi* filius, piſcator cum eſſet, forte *piſces* captos in prato expoſuit. Qui, cum in mare reſilivisſent, ut cauſam hujus rei cognoſceret, dentibus cœpit illas herbas mandere, in quibus piſces jacuerant. Tum vero, mutata natura, ſe in mare præcipitavit, quem, Numina miſerata, in *Deum marinum* transformarunt.

SCYLLA.

Glaucus, cum a Scylla, quam deperibat, fuiſſet ſpretus, ad *Circen*, herbis carminibusque potentiſſimam, ſe contulit, rogans, opem ſibi ferret, efficeretque carminibus, ut a Scylla in vicem amaretur. Sed Circe, illius ſtatim amore capta, ipſum in ſuos amplexus pellicere tentavit: a quo ſpreta cum fuiſſet, omnem indignationem in Scyllam convertit, *ac Sinum* quendam, in quem deſcendere Scylla conſueverat, *venenis infecit*, unde hæc, pubetenus in *varia monſtra* converſa, cum ſibimetipſi diſpliceret, in fretum Siculum deſiluit, poſtmodum in *lapidem* abiens; is, freto imminet, in parte ſuperiore, humanam effigiem, in inferiore vero, plures habet cavernas, quibus undæ refractæ, latratus canum, & luporum ululatus, referre videntur.

CERCOPES.

Pithecuſa Inſula, Campano litori adjacens, a multitudine *ſimiarum* ſic dicta eſt, nam, Simia, Græce πίθηκος vocatur. Eam, Cercopes, homines perfidi ſceleratique inhabitabant, quorum impietatem puniturus Jupiter, eos in Simias convertit.

SIBYLLA.

Sibyllam virginem, *Apollo* in delicijs habuit, juſſitque, ut quicquid vellet, peteret. Ergo petiit, ut tot annos ſibi vivere concederetur, quot in manu *arenas* tenebat, oblita adjicere, ne unquam ſeneſceret. Quare, cum Apollini morem gerere nollet, ad tantam ſenectam pervenit, ut a corpore derelicta, tota in *vocem* commutaretur.

PICVS,

PICVS.

Picus, Rex Latinorum, *Saturni* filius, *Fauni* pater, *Latini* avus, auguriorum peritisſimus, a Circe adamatus, cum ſpreto ejus conjugio, *Canentem* Nympham duxiſſet uxorem, ab irata Dea virga percuſſus, in *avem* ſui nominis abijt. At, Canens, cum virum nusquam inveniret, ita ſe lacrymis dedit, ut paulatim, juxta Tiberim, in auras reſolveretur, isque locus, nomen ejus ſervat, ut *Canens* dicatur.

HELENA.

Leda, Jovis filia, *Tyndari* Laconiæ Regis uxor, a *Jove*, in Cygni formam transmutato, compreſſa, duo peperit *ova*, e quorum altero, *Helena* & *Pollux*, ex altero, *Caſtor* & *Clytemneſtra* excluſi fuerunt. Ex his, Helena, cum cæteris ſuæ ætatis fœminis, formæ elegantia præſtaret, a *Theſeo* rapta eſt adhuc virguncula, non multo tamen poſt, Caſtori & Polluci fratribus, eam repetentibus, citra injuriam reſtituta eſt, & *Menelao*, Spartanorum Regi, Agamemnonis fratri, uxor tradita, cui & *Hermionem* filiam peperit. Poſt hæc, *Paris*, Priami & Hecubæ filius, fama pulchritudinis ejus illectus, in Græciam ſe contulit, ubi a Menelao hoſpitio exceptus, clam ſe in amorem Helenæ inſinuavit, tandemque, abſente marito, eam rapuit, & ſecum abduxit. Hac injuria commoti *Græcorum Principes*, in *Aulide* Bœotiæ conjurarunt, ac in Aſiam navigantes, *Ilium* obſederunt. Quo in bello, cum Paris occubuiſſet, Helena, *Deiphobo* fratri ejus nupſit. Verum, capta Vrbe, Helena, quæ, cum Græcis clam colludere cœperat, Menelaum, in *Deiphobi cubiculum* introduxit, eoque interfecto, cum priore illo marito in gratiam rediit.

POMONA.

Pomona, Nympha Latialis, *Hortorum Dea*, a *Vertumno* miſere amabatur, unde, ut ejus aſpectu frui poſſet, in alias atque alias formas ſeſe immutabat. Tandem, in anum converſus, multis ei argumentis perſuadere nititur, ut Vertumno nubat. Verum, cum nihil aliud, quam operam ſe ludere animadverteret, priſtina reſumta forma, in ſui amorem eam pellexit, nuptiisque ejus potitus eſt.

ANAXARETES.

Anaxaretes, puella Cypria, ex Salamine oppido, & regia ſtirpe, & forma conſpicua erat. Eam, cum *Iphis*, infimæ ſortis juvenis, perditisſime adamaret, & ab eo ludibrio haberetur, doloris impatientia ſe ad fores ejus ſuſpendit. Cujus funus, cum Anaxaretes, ſiccis immotisque oculis intueretur, in *ſaxum* eſt converſa.

ROMVLVS.

Romulus, cum ad *Capræ* paludem exercitum luſtraret, deſæviente tempeſtate, nusquam comparuit. At, *Julius Proculus*, Vir Nobilis, pro concione jurejurando confirmavit, Romulum a ſe, in colle, qui poſtea Quirinalis dictus, viſum, auguſtiore forma, ad Deos abeuntem. Hinc pro Deo cultus, & *Quirinus*, ut ipſe mandaverat, appellatus eſt. *Herſilia* vero, Romuli Conjux, poſt datam ei a Junone immortalitatem, *Ora* dicta fuit, quorum templa, a Populo Romano, in Colle Quirinali conſtituta ſunt.

MICYLVS.

Micylus, *Alcmonis* filius, Argis procreatus, cum quieti ſe dediſſet, *Hercules* viſus eſt eum monere, ut patriam relinqueret, & ſecundum *Æſarem* amnem con-

conſideret. Quod, cum facere extimeſceret, quia lex vetabat deſerere patriam, Hercules juſſionem iteravit. Tandem, diſcedere volens, in judicium publicum evocatus eſt, &, cum partem populi pro ſe, partem contrariam haberet, ſententiam laturis *calculi albi & nigri* dati ſunt, ut his damnarent, illis abſolverent. Micylus, periculum capitis pertimeſcens, Herculem invocavit, laboranti ſibi auxilium ut ferret. Nec defuit ipſe in extremo conſtituto diſcrimine; cum enim calculi in urnam effunderentur, omnes albi apparuere. Sic Micylus liberatus, per Jonium pelagus, in Italiam navigans, ad Æſarem amnem urbem ſtatuit, quam, a proximo tumulo, quo *Taras* Neptuni filius conditus erat, *Tarentum* nominavit.

HIPPOLYTUS.

Hippolytus, *Theſei*, & *Hippolytes* Amazonis filius, a mulieribus abhorrens, & venatione ſeſe oblectans, a *Phædra* noverca, abſente patre, amatus eſt. Cujus turpi deſiderio cum obtemperare nollet, illa, filium apud patrem accuſavit, quaſi pudori ſuo inſidiaretur. Quamobrē cum animadverteret Hippolytus, patrem, novercæ dolo perſuaſū, de nece ſua cogitare, conſcenſo curru fugam arripit. Sed, cum *phocæ*, quæ tum forte in litus exierant, equorum, & rotarum ſtrepitu perterritæ, magno impetu ſe in mare præcipitarent, exterriti equi, fruſtra obluctante Hippolyto, currum per ſcopulos & ſaxa traxerunt, juvenemque infelicem, loris implicitum, varias in partes diſcerpſerunt. Illum, *Æſculapius*, Dianæ voluntate, cujus initio comes fuerat, revocavit ab inferis, & priſtinæ incolumitati reſtituit: qui, poſtea, relicta Attica, in Italiam ſe contulit, & *Virbium* ſe appellare juſſit, quod bis vir

fuiſſet, ubi & uxorem, *Ariciam* nomine, duxit, urbemque condidit, conjugis nomine illi indito.

TRAGES.

Cum in Thuſcia, quidam arator terram verteret, preſſo vomere, glebam, ponderis ſolito majoris, eruit, quam, dum miratur, animadvertit, eam in puerum transmutatam, qui, Hetruſcorum lingua, *Trages* vocatus, futurorum ſcientiam invenit.

ORION.

Jupiter, *Neptunus*, atque *Mercurius*, cum aliquando terras peragrarent, ſuperveniente nocte, apud pauperem quendam, *Hyrcum* nomine, diverterunt. Is, hoſpitio illos benigne excepit, bovemque, quem habebat unicum, in eorum gratiam mactavit. Jupiter, hominis probitatem miratus, optionem ei fecit petendi quicquid vellet. Cum ille reſpondiſſet, ſe nihil æque cupere ac *filium*, uxorem tamen ducere nolle, quod defunctæ conjugi fidem dediſſet, cælibem ſe in poſterum vitam acturum, Dii, hoſpitis ſui votis obſequentes, in bovis, paulo ante mactati, corium, veſicas exonerarunt, jubentes, ut id terra obrueret, nec ante novem menſes retegeret. Sic, decimo poſt menſe, cum corium effoderetur, puer exinde prodiit, quem pater, ex re, *Vrionem* vocavit, unde poſtea *Orion* factum eſt. Cæterum, Orion, cum adoleviſſet, venatione captus, *Dianam* ſectari cœpit, cumq; corporis robori nimium fidens, jactaret, nullam eſſe feram, quam jaculis conficere non poſſet, *Tellus*, ejus jactantiam non ferens, *Scorpionem* peperit, cujus ictu, Orion neci datus eſt. Is vero, Dianæ miſeratione, inter *ſidera*, juxta Tauri aſtrum, collocatus fuit.

PRÆCOGNITA
HISTORICA.

PRÆCOGNITA HISTORICA.

HISTORIA, ſecundum *Platonem in Cratylo*, ſic dicitur, ὅτι ἵστησι τὸν ῥοῦν, quod *fluxum*, ſive memoriam, quæ fluxa eſt, ſiſtit, & confirmat.

Hiſtoria, eſt plena & vera rerum geſtarum narratio. Ea, *Privatim*, excitat ad virtutem, deterret a vitiis, oſtendit fortunæ varietates, & horrendos impiorum caſus. *Publice*, prodeſt Hiſtoria, tum in Politia, tum in Eccleſia. *In Politia*, juvat captare conſilia circa adminiſtrationem Reip. & illius mutationes ac converſiones cavere. *In Eccleſia* ſalutaris eſt Hiſtoria, quia nos, quo pacto divina Providentia orbem ſemper rexerit, & in eo, doctrinam Verbi ſui propagaverit, admonet.

Hiſtoria, incredibilem parit *oblectationem*, & jucunditatem. *Ferdinandus*, Siciliæ Rex, e Livii, *Alphonſus*, Hiſpaniæ Rex, e Curtij lectione, a morbo convaluerunt. *Laurentium Mediceum*, hiſtoria de fœminis Winsbergenſibus ſanitati reſtituit. *Selimus*, Turcarum Imperator, cujus Majores, ab hiſtoriis, tanquam a fabulis, abhorruerant, primus, geſta Julii Cæſaris, in vernaculam transferri curavit, atque ejus imitatione, brevi, magnam Aſiæ minoris & Africæ partem, cum Imperio avito conjunxit. Ipſum *Julium Cæſarem*, ad virtutem impulit æmulatio Alexandri M. cujus victorias cum legeret, lachrymas profudit, quod ea ætate, qua ille orbem terrarum

domue-

domuerat, nihil dum geſſiſſet. *Alexandrum*, virtus Achillis, ab Homero decantata, ad gloriæ ſtudium accendit. *Carolus V.* Cæſar, fertur, *Ludovici XI.* Galliarum Regis, a Philippo Cominæo deſcriptam hiſtoriam, diligenter legiſſe, &, ſecundum eam, actiones ſuas compoſuiſſe.

Hiſtoria, eſt vel Sacra, vel Profana; itemque, vel Vniverſalis, vel Particularis. *Hiſtoria Sacra* eſt, quæ res Eccleſiæ, *Hiſtoria Profana* eſt, quæ res politicas commemorat. *Hiſtoria Vniverſalis* eſt, quæ multorum ſeculorum, & diverſarum nationum res geſtas, ordine temporum ſervato, ediſſerit. *Hiſtoria Particularis* eſt, quæ unius alicujus Nationis, aut Perſonæ, res geſtas perſequitur.

CHRONICA dicuntur, in quibus res geſtæ, per temporum ordinem, diſtincte & copioſe enarrantur.

CHRONOLOGIÆ ſunt, in quibus res geſtæ, per temporum ordinem, breviter, ſummatimq; recenſentur.

ANNALES, ſunt libri, in quibus ſine ullo ornamento, & accurata diſpoſitione, cujusque anni res geſtæ deſcribuntur.

EPHEMERIDES, ſeu Diaria, ſingulorum dierum acta continent.

FASTI, Magiſtratuum Romanorum annuam deſcriptionem, cum eorum rebus geſtis, complectuntur.

VITÆ, ſunt ſingulorum hominum, & rerum ab iis geſtarum, deſcriptiones.

SYNCHRONISMVS, eſt congruentia in rebus, a diverſis populis, aut hominibus, eodem tempore geſtis.

TEMPVS, eſt duratio rerum. Vel, eſt certa dimenſio, quæ, ex cœli converſione deſumitur: pendetque imprimis a Solis & Lunæ curſu, quæ duo Luminaria, Dies & Noctes, Menſes, & Annos diſtinguunt. *Differentiæ* Temporis, tres ſunt: *Præteritum*, quod jam fuit: *Præſens*, quo partes præteriti & futuri copulantur. *Futurum*, quod aliquando erit. *Partes* Temporis, ſunt Annus, Menſis, Hebdomas, Dies, Hora, Minutum.

Ex Solis atque Lunæ circuitu, duplex conſurgit ANNUS, quorum alter ad Solis, alter ad Lunæ curſum deſcribitur.

Annus Solaris, eſt tempus, quo Sol, totum Zodiacum peragrat, hoc eſt, a primo puncto Arietis, per reliqua Signa progreſſus, ad idem punctum redit, &, priori anno confecto, novum inchoat, eſtque 365. Dierum, & 6. Horarum. Dicitur *Annus Vertens*, ſeu *Vulgaris*, ad differentiam *Anni Magni*, ſive *Platonici*, quem ajunt eſſe ſpatium, quo Sidera omnia ad eundem locum redeunt, eumque, quadraginta novem vertentium annorum millibus, definiunt.

Annus Lunaris, eſt ſyſtema 12. lunationum, & abſolvitur diebus 354. horiſque 8.

Annus Civilis eſt, cujus uſus in Eccleſiaſticis & Politicis negotiis obtinet, atque in eo ordinando, plerunque ad curſum Solis aut Lunæ, reſpectus habetur.

Anni Climacterici, ſeu *Scanſiles* ſunt. qui ex ſeptenariis & novenariis numeris colligantur. Vti: 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63. 70. Itemque 9. 18. 27. 36. 45. 54. 63. 72. 81. 90.

MENSIS, eſt certum temporis ſpatium, quo, annum, communiter, in XII. interdum etiam XIII. partes dividere ſolemus.

Menſes, ſunt Aſtronomici, vel Civiles. *Aſtronomicorum* quantitas, a motu Solis & Lunæ dependet, unde alii Solares, alii Lunares exiſtunt.

Menſis Solaris, vocatur temporis ſpatium, quo Sol integrum Zodiaci Signum, motu proprio, ab Occaſu in Ortum abſolvit: atque menſis hujus magna eſt inæqualitas, ſolſtitialis enim æſtivus, eſt 31. ſolſtitialis hibernus, 29. dierum, cum minutis aliquot utrobique.

Menſis Lunaris, vocatur temporis ſpatium, quo Luna a Sole digreſſa, curſu ſuo confecto, ad eundem redit: id quod fit 30. diebus, & horis 10. cum dimidia.

Menſis Civilis, eſt ſyſtema dierum, quod, in uſu civili, variæ gentes diverſimode, & nonnunquam pro arbitrio obſervant.

Epactæ, ſunt dies intercepti inter annum Julianum communem, nempe 364. dierum, & Lunarem, dierum 354. unde Epactæ annuæ dicuntur eſſe 11. dierum, excepto quovis anno decimo nono, quo, in orbem redeunt, &, in quo, ad dies 12. conſurgunt.

Vſus Epactarum, ut monſtrent ſitu ſuo, ætatem Lunæ, & imprimis Plenilunii Paſchalis: atque ſic valent etiam, ad invenienda feſta mobilia, & ad lunationes internoſcendas.

Menſes nobis ſunt XII. *Januarius*, a Jano Bifronte nomen habet, qua appellatione, anni tranſacti finem, & ſequentis initium, reſpiciendum eſſe, ſignificatur. *Februarius*, a februo, quod luſtrare, vel purgare ſignificat, nomen habet, quia olim hoc tempore, Populus Romanus, per integros 12. dies, ſacrificiis, tanquam purgamentis, pro impetranda mortuorum animabus quiete, intentus erat. *Martium*,

tium, a Marte, Romulus appellavit, qui, hunc quoque menſem, primum eſſe voluit. *Aprilis*, ab aperiendo, quia terram, quæ, per hyemis frigora, conſtricta erat, denuo aperit, ſic dictus eſt. *Majus*, a Maja, Atlantis filia, Mercurii matre; *Junius*, a Junone, nomen habent. *Julius*, qui, primo *Quintilis*, quod quintus a Martio eſſet, nominatus fuit, in honorem Julii Cæſaris, ſic vocari cœpit, quia illo menſe in lucem editus eſt. *Auguſtus*, antea *Sextilis* dictus, ab Auguſto appellationem habet. *September*, *October*, *November*, & *December*, ideo, quod ſeptimus, octavus, nonus, & decimus a Martio eſſent, ſic dicti fuerunt.

Julius, Aprilis, September, *itemq;* November,
Vsque dies ter habent denos: reliqui magis unum,
Sit niſi Bis ſextus, viginti Februus *octo*.
At, ſi Bis ſextus *fuerit, ſuperadditur unus;*
Et tunc bis ſexto Marti conſcribe Calendas.

Poteſt cognoſci *numerus dierum cujusq; menſis*, ſi in ſiniſtra manu digiti alternis eleventur, & deprimantur. Sic vero elevationis initium a pollice faciendo, ſimiliter erecti evadunt, *tertius*, ac *auricularis*; *Index*, cum *Annulari*, deprimuntur. Jam, ſi Menſes, inde a Martio, per orbem computentur, illi, qui dies 31. habent, in digitos erectos, ii, qui 30. abſolvuntur, in depreſſos cadunt; niſi quod Februarius, in anno communi 28. in biſſextili 29. dies agnoſcit.

Menſis Philoſophicus, eſt ſpatium 40. dierum, atque is menſis, rerum naturæ conveniens eſt, ac quadrageſimo die, vim illa notabilem exerere ſolet. Scilicet, Febris, niſi quadrageſimo die deſinat, aut niſi tum ægrotus moriatur, morbus evadit chronicus. Similiter Podagra, Chiragra, Dyſenteria, & alii mor-

morbi ejusmodi, quadrageſimo die terminantur. Haud aliunde ortum, quod peregre adventantes, ſi ſuſpicio ſit, venire illos ex locis aëris vitio infectis, in limitaneis 40. dies ſubſiſtere coguntur, quod, *la Quarantaine* vulgo nominant: nam, interea temporis, ſi quam labem venenatam corpus contraxit, ea, in apricum prodeat neceſſe eſt. Cauſa horum, mutationes, quæ intra 40. dies, tum circa lunam & reliqua ſidera, tum in corpore humano accidunt. Cum enim natura quidvis faciat, ut ſe a morbo liberet, & in iſto conatu proportio quædam obtineat, ubi primis diebus criticis fine potiri nequit, ſequentibus, & mora longiore, officium facit. Intra 40. vero dierum intervallum, fieri aliter non poteſt, quam ut ipſa robur ſumat novum, atque ſic morbi vires decreſcant, aut, ut vi ægritudinis oppreſſa, denique ſuccumbat.

CALENDÆ, a calando, hoc eſt vocando, quia tum populus convocabatur, appellationem nactæ ſunt. *Nonæ* dicuntur, quia nonum menſis diem præcedunt. *Idus*, ab iduando, id eſt dividendo, quia Nonas a Calendis ſeparant, ſic vocari, opinio eſt.

Prima dies, Menſis cujusque, eſt dicta Calendæ,
Sex Nonas *Majus, October, Julius, & Mars.*
Quattuor at reliqui. Dabit Idus *quilibet octo.*
Inde, dies alios omnes, dic eſſe Calendas,
Quas, retro numerans, dices a Menſe ſequente.

HEBDOMAS, vel Septimana, eſt ſpatium ſeptem dierum civilium; qui vulgo a Planetis denominantur: antiquis Patribus, Feria prima, ſecunda, &c. dicti ſunt.

DIES, eſt vel Naturalis vel Civilis. *Naturalis Dies*, eſt tempus, quo Sol, ab oriente, ad occidentem

tem revolutus, ſupra terram lucet. A Recentioribus, male, vocatur Dies Artificialis. *Civilis Dies*, qui & *Plenus* vocatur: eſt tempus 24. horarum æqualium, & lucem ac tenebras complectitur, atque obſervatur in negotiis civilibus, uti induciis, ſolutionibus debitorum, aliisque ejusmodi negotiis. Hunc nos diem *a media nocte* ordimur, ſed Aſtronomi eum a meridie incipiunt. Babylonii, quondam, *ab Ortu Solis* diem inchoabant, quos, plerique Orientales imitati ſunt; idemque Baleares fecerunt. *Italis*, principium diei, eſt *Solis Occaſus*; ceu, & olim, atque etiamnum Hebræis. Extant quoque, de diverſa ratione initii dierum, verſus:

Atticus, Occaſum ſpectat, Babylonius Ortum;
Nox media Auſoniis, media at lux perplacet Vmbris.

Diei partes ſunt quinque. 1. *Mane*, id eſt diei principium. 2. *Ortus*, ſeu tempus antemeridianum. 3. *Meridies*, ſeu medium diei. 4. *Pomeridianum tempus*, cum ſol, a faſtigio cœli, ad occaſum fertur. 5. *Suprema tempeſtas*, ſeu diei noviſſimum tempus, cum ſol occaſui appropinquat.

Noctis, ſeu temporis ab occaſu ſolis, ſeptem ſunt partes: 1. *Veſper*, & *Crepuſculum*, cum ſol jam occidit, oriturque ſtella, quam, Græci Heſperum, Latini, Veſperuginem appellant. 2. *Prima Fax*, tenebris jam ingruentibus. 3. *Nox concubia & intempeſta*, cum homines quieti ſe tradunt, nec tempus ad res gerendas idoneum aut tempeſtivum eſt. 4. *Media nox*, cum alta quiete omnia tenentur. 5. *Conticinium*, cum pleraque omnia tacere ſolent. 6. *Gallicinium*, ibi tum nox in diem inclinat. 7. *Diluculum*, aut *Lucifer*, *ſive Aurora*, paulatim illuceſcente die.

VIGI-

VIGILIA, eſt certum temporis ſpatium, quo, antiquitus, dies naturalis, eidemque oppoſita nox, in certas partes, a vigilum ſeu Cuſtodum viciſſitudine, denominatas, dividebatur. Fueruntque aliæ *Diurnæ*, aliæ *Nocturnæ*.

HORÆ duplices ſunt, Æquales, & Inæquales. *Hora Æqualis*, eſt viceſima quarta pars diei civilis: atque hæ horæ, ſunt ſemper æquales. *Hora Inæqualis*, eſt duodecima pars, ſive Diei, ſive Noctis naturalis. Nam, ſive brevis, ſive longior ſit dies, aut nox, ſemper tamen 12. horis conſtat. At, ſi dies ſit longior, horæ quoque longius extenduntur; ſi vero brevior fuerit, eædem contrahuntur.

Umbræ Solares, Horis matutinis & veſpertinis ſunt longiſſimæ, ipſo meridie, breviſſimæ: &, quo magis umbra horis antemeridianis decreſcit, eo meridiana hora eſt vicinior: & contra, quo magis a meridie umbra accreſcit, eo veſpera eſt proximior. Utrumque, homo in ſtatura erecta ſui corporis, vel bacillo perpendiculariter in planitie erecto, animadvertet. Cum enim umbra corpore vel bacillo erecto brevior eſt, meridiei tempus ſignificat.

De *Horis Canonicis*, notandi ſunt verſus:

Hæc ſunt, ſeptenis, *propter quæ pſallimus, Horis.*
Matutina, *ligat Chriſtum, qui crimina purgat.*
Prima, *replet ſputis, cauſam dat* Tertia *mortis.*
Sexta, *cruci nectit, latus ejus* Nona *bipertit.*
Veſpera *deponit: tumulo* Completa *reponit.*

Dies Feriati, ſeu *Nefaſti*, vocantur, quibus a negotiis civilibus abſtinere oportet, ob Numinis cultum. *Dies non feriati*, ſive *Profeſti*, item *Faſti* appe-

appellantur, quibus nulla ſolemnia officia Numini præſtantur.

Initio facto numerandi Hebdomadas, a Nativitate Chriſti.

Sex *ſunt ad* Puri: *bis ſex ſunt usque* Philippi:
Ad Jacob totidem: novem *ſunt ad* Michaëlem:
Sex *ad* Martini: Sex *ad Natalia Chriſti*:
Adde dies octo, *totus complebitur* Annus.

MINUTUM, eſt pars ſexageſima horæ, in ſexaginta alias partes diviſibile, & ſic porro: unde vel primum, vel ſecundum, vel tertium, &c. vocatur.

Quatuor Anni tempora his deſignantur verſibus:

Dat Clemens Hyemem; *dat Petrus* Ver *Cathedratus.*
Æſtuat *Vrbanus*: Autumnat *Bartholomæus.*

Item:

Zodiaci caput eſt Aries, *& Veris, & Anni,*
Æſtatis Cancer: *Autumni pendula* Libra.
Incipit ex imo pluvialis hyems Capricorno.

ÆQVINOCTIVM, eſt ſumma diei noctisq; æqualitas. Eſtque duplex: Vernum, & Autumnale. *Vernum* dicitur, quando Sol ingreditur Arietem, quod fit die 11. Martii. *Autumnale* dicitur, quando Sol ingreditur Libram, quod fit, die 13. Septembris.

SOLSTITIVM, eſt maxima diei noctisque inæqualitas; eſtque duplex: Æſtivum, & Hibernum. *Æſtivum Solſtitium* eſt, quando Sol ingreditur Cancrum, quod fit die 12. Junij. *Hibernum Solſtitium* eſt,

eſt, quando Sol ingreditur Capriconum, quod fit die 12. Decembris.

Lampert, Gregori, *nox eſt æquata diei*,
Vitus, Lucia, *ſunt duo Solſtitia.*

Item:

Solſtitium Æſtivum *dat Junius: ipſe December*
Hibernum: hic longa eſt Nox, ibi longa Dies.

Tempus ab uno Novilunio ad alterum, eſt dierum fere 30.

NOVILUNIUM, fit die 15. poſt Plenilunium: dicitur etiam *Luna ſilens*, *Interlunium*, nec non *Conjunctio*: ſiquidem tum, Luna & Sol, in uno Zodiaci ſigno conjunguntur. Illius character eſt orbiculus plane niger, vel circellus, cum extenſa lineolâ ☌ Atq; Novilunium, Hemiſphærium ſuperius tota die occupat, atque ſic, Sole lucente, Luna nobis eſt inviſibilis; tota vero nocte, ſub inferiori Hemiſphærio delitеſcit.

Creſcit Luna, ſtatim a Novilunio, & tum oritur quidem interdiu, ſed poſt occaſum demũ Solis lucet, atque cornua ſua, ſive concavam partem, projicit verſus Ortum. Itaque ejus nota eſt dimidius orbiculus niger, convexam partem ad dextram, & cuſpidem verſus ſiniſtram extendens.

PLENILUNIUM, quod a Novilunio diſtat intervallo 15. dierum, eſt, quando Luna, in oppoſitione Solis, tota nocte illuſtrat terram, & tota die eſt infra eandem. Ejus character, eſt ruber orbiculus, vel duo circelli, linea conjuncti. ☍ Oritur Plenilunium, veſperi, in plaga Orientali, cum Sol ex adverſo, in plaga Occidentali, infra horizontem deſcendit, ita, ut ſimul ambo, eodem tempore conſpiciantur.

Decreſcit Luna, mox a Plenilunio, & cornua ſua, a Sole, verſus occaſum projicit. Ejus nota, eſt dimidius ruber orbiculus, ventrem ad ſiniſtram, & cornua ad dextram protendens.

Nota : Quamdiu Luna lucet prioribus horis noctis, & veſpertina eſt, augetur lumine. Quando vero noctu exoritur, ac poſterioribus horis nocturnis lucet, ac matutina dicitur, Seneſcens eſt, tantoque propior eſt Novilunio, quanto paucioribus horis, luce ſua, nocturnas tenebras diſpellit. At, in Plenilunio, tota nocte refulget.

ÆVUM, interdum vocatur illud ſpatium temporis, quod *unius hominis ætati eſt* proportionatum, interdum, quod *fine caret*.

SECVLVM, eſt ſpatium *centum annorum*.

Ex Varrone, & Dioſcoride, lepidum commentum affert Cenſorinus. Scilicet, Alexandriæ, ab iis, qui mortuos ſolebant conſervare, obſervatum eſſe, plus centum annis hominem vivere non poſſe. Id, cor humanum declarare eorum, qui integri, ſine corporis tabe pereunt, eo quod id, multis annis pendendo, omnis ætatis incrementa & diminutiones obſervarint: &, anniculi, pendere *duas drachmas*; bimi, *quatuor*; & ſic ſingulis, uſque ad *quinquaginta*, accedere binas. Ab iis *centum drachmis*, atque anno quinquageſimo item, decedere ſingulis annis, in quoque homine, drachmas binas. Ex quo perſpicuum ſit, centum annos natum, redire ad anni primi pondus, nec longius vitam poſſe produci.

LVSTRVM, eſt certum temporis ſpatium, in uſum civilem olim conſtitutum, quod 5. *annis* terminabatur. Nam, autore Feſto, in Luſtri ſpatium,

Vete-

Veteres locabant prædia; item, vectigalia olim, abſoluto luſtro, ſolvebantur.

OLYMPIAS, eſt *quatuor annorum* Græcorum inæqualium ſpatium, quo elapſo, Jovis Olympii agones & ludi, in *Olympia* Theſſaliæ urbe, inter Olympum & Oſſam montes ſita, in orbem redibant. Primus autor horum Ludorum fuit *Piſus*, de quo, præter nomen, nihil conſtat. Reſtauravit eos *Pelops*, & ex intervallo *Atreus*, atque *Hercules*. Rurſus intermiſſos, revocavit *Iphitus*, Rex Elidis, a quo tempore, deinceps continuati ſunt, unde, anni Olympiaci; *Iphitæi* quoque vocari ſolent. Præbebant hi Ludi catalogum certiſſimum Annalium apud Græcos, atq; creditur prima Olympias incidiſſe in Annum Mundi 3174. ante Chriſtum natum 774.

CYCLVS & PERIODVS, dicuntur temporum ſpatia, quæ *in orbem* redeunt.

CYCLVS SABBATICVS, eſt 7. annorum Lunæ-Solarium, ſyſtema, perpetuo in orbem recurrens; a Deo ob id inſtitutum, ut terra, & homines, viciſſitudines haberent.

CYCLVS JOBELÆVS, eſt ſeptem Cyclorum Sabbaticorum, ſeu 49. anorum Lunæ-Solarium, ſyſtema, perpetuo in orbem recurrens; divinitus ordinatum, ne in Repub. Judaica, paucorum opulentia, cæteros opprimere poſſet, ſed ut bona Tribuum immobilia, manerent perpetua, atque ſervitutum eſſet viciſſitudo.

CYCLVS SOLIS, eſt temporis certum ſyſtema, 28. annis definitum, quo elapſo; idem tam Biſſextorum, quam Literarum Dominicalium ordo, in orbem redit. Sunt vero *Literæ Dominicales*; 7. primores literæ,

ſed, quæ ordine retrogrado adhibentur, ſecundum verſum Bedæ:

Grandia, Frendet, Equus, Dum Cernit Belliger Arma.

CYCLUS LUNÆ, ſeu AUREUS NUMERUS, ob utilitatem ſic dictus, eſt 19. annorum, tam Lunæ-Solarium, quam Solarium Julianorum Syſtema, quibus elapſis, Novilunia ad eundem diem Julianum redire creduntur. Oſtendit etiam Feſta Mobilia.

CYCLUS INDICTIONIS, eſt 15. annorum Julianorum ſyſtema, perpetuo in orbem recurrens; ad id olim ordinatum, ut penſionum certarũ tempora, ſubditis Romanis innoteſcerent, unde vox *Indictio*, ad vocem *tributi* videtur referenda. Veriſimile eſt, hunc Cyclum tum primum innotuiſſe, cum Conſtantinus M. Imp. ad ſolvenda militibus ſtipendia, & inſtaurandam aciem adverſus Maxentium, pecunia opus haberet, atque ſic tributum indixiſſet: ſolemniorem vero hanc Indictionum Æram ex eo factam, quod Chriſtianis ea viſa fuerit initium quaſi ſuæ libertatis. Indictio triplex eſt: Una *Cæſarea*, quia Cæſares non tantum in ſolvendis tributis, ſed & ſignandis Inſtrumentis, ejus rationem haberi voluerunt, eamque in rem videnda Nov. 47. Ejus initium connectitur cum *8. Kal. Octobr.* ſeu *d. 24. Septembris:* Autumnale enim tempus, meſſe peracta, tributis perſolvendis aptiſſimum viſum eſt. Altera Indictionum Æra, vocatur *Conſtantinopolitana*, qua Orientales, Faſtos olim ſignarunt, & etiamnum ſignant; incipitque a Kalendis Septembris. Tertia Indictionum Æra, vocatur *Pontificia*, item *Romana*, cujus initium connectitur cum Kalendis Januarii.

EPO-

EPOCHA, eſt certum atque illuſtre principium temporis, a quo reliqui anni numerantur, vel in conſequentia, vel in antecedentia, vel in utraque Secula. Appellatur etiam *Æra*, quæ vox ab Hiſpanis primum uſurpata eſt, qui temporum computationes, ab anno 16. Auguſti, quo dominium Hiſpaniæ ipſe obtinuit, ordiri ſolebant: ſic v. c. annotantes: *Hæc ſunt acta Cordubæ Kal. Auguſti* A. ER. A. LXX. quæ, capita vocum, imperiti tabelliones, poſtea in unum verbum contraxerunt. Hanc tamen vulgatam ſententiam, Scaliger l. 5. de Em. temp. rejicit, quia inſolitum, Annum per A. niſi præcedat *Vixit*; *Erat*, per *Er.* item Auguſtus, hac notione, per A. exprimere. Proinde, aliis, Æra, ab Ære dicitur, quia univerſus Orbis Romanus, cogente Cæſare Auguſto, cum primum cenſum ipſe inſtituit, æs exſolvit. Hinc Iſidor. l. 5. Etymol. c. 36. *Auguſtus Cæſar, univerſum Orbem deſcribens, ad primum Cenſum Æram inſtituit.* Iſaacus Voſſius, Æræ appellationem, a Judæis Hiſpanis natam cenſuit, in honorem Herodis M. quem, pro Meſſia habuerint, & הגר *Hager* proſelytum vocaverint, unde *Hagera*, & *Hæra*, *Æra*, litera G. extrita.

Periodus Juliana, non eſt Epocha Hiſtorica, ſed tantum technica, ſeu artificialis, a Joſepho Scaligero, in uſum verarum Epocharum, excogitata, & dicitur *Juliana*, ex annis Julianis, e quibus hoc temporis ſyſtema conſtat. Nimirum, Scaliger animadvertens, admodum intricatum eſſe calculum, quo, Annis Mundi, vel annis ante Chriſtum natum, vel alia quacunque Epocha utimur, cum quis ſæpe intelligere nequeat, quem hic, vel ille Scriptor, annum innuat,

de remedio, huic dubiæ annorum numerationi adhibendo, cogitavit. Cum ergo videret, nullam fere Epocham eſſe, cujus initium indubitatum penes Chronologos, nova ratione rem aggreſſus eſt. Tres enim Cyclos, Solis, & Lunæ, & Indictionis invicem duxit, & eam, quæ exinde provenit, annorum ſummam, *Periodum Julianam* vocavit, evitans hac ratione, maxima incommoda, quæ ex vario annorum computo oriri ſolent. Eſt igitur Periodus Juliana, 7980. annorum ſyſtema, e multiplicatione Cyclorum Solis, Lunæ, Indictionis, ſive 28. 19. 15. emergens, cujus annus primus, habet characteres Cycli Solis 1. Lunæ 1. Indictionis 1. a meridie Kal. Januarii.

Epocha Conditi Mundi, ex collatione Hiſtoriæ Sacræ & Profanæ, vulgo ita conſtituitur, ut dicatur, præceſſiſſe illius creatio, natalem Chriſti Servatoris, annis vulgaris *Æræ* 3949. *Sinenſes* quidem, ut aliorum erroneas computationes taceamus, ultra *octingenties octagies quater mille* & 800. annos, ab Orbe condito ſupputant, ſed ex dubiis admodum teſtibus, ac nugacibus. Vnde certos eorum Annales, ſuam hiſtoriam, aliquot infra Diluvium Moſaïcum, ſeculis ordiri, ſtatuit non modo *Iſaacus Voſſius*, ſed & optime cum Moſaica Chronologia componi Sinenſium illam, *Martinus Martinius* l. 1. Hiſt. Sinenſis, *Trigautius Jeſuita*, aliique aſſerunt, commentitio annorum calculo exploſo.

Epocha Diluvii, ſi Scripturam ducem ſequamur, incidit in Annum Mundi 1656. Ab hoc autem computo nimis recedunt LXX. Interpretes, quorum calculo, anni 2242. ad Diluvium numerantur. Eum errorem, *Euſebius*, *Sulpitius Severus*, aliique, ſuum fecerunt. Sed, præter Scripturæ autoritatem, eam nume-

numerationem etiam illud incommodum premit, quod ſic Mathuſalem annis 14. Diluvii tempus ſupeраſſet, qui tamen in arca non fuit ſervatus, atque ſic poſt cataclyſmum vitam agere non potuit. Originem erroris, ex depravato Codice, quo LXX. uſi ſint, manaſſe, communiter exiſtimant. Auguſtinus l. 15. de C. D. c. 12. data opera illos numeros depravaſſe arbitratus eſt, quod, *annos pro menſibus intelligi, & fidem apud Gentiles tanto facilius impetrari poſſe, putarent.* Alia in hanc rem, in ipſa Synopſi Hiſtoriæ monebuntur.

Epocha *Nabonazarea*, profanis ſcriptoribus uſitatiſſima eſt, & imprimis Ptolemæus ad hanc Epocham, tum Synchroniſmos varios, tum obſervationes aſtrorum annotat: atq; ſupereſt illius ordo Regum Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Ægyptiorum, & Romanorum, quo anni Regum, cum annis Epochæ Nabonazareæ, componuntur. Cœpit hæc Epocha A. M. 3179 etſi de origine & occaſione non conſtat. Vix tamen dubium eſſe poteſt, vel a regni initio, vel ab inſigni aliqua victoria, hunc annorum computum deducendum eſſe. *Petavius* exiſtimat, poſt Aſſyrios, aliquanto ſpatio defeciſſe a Medis Babylonios, ac privatum ſibi ſtatuiſſe Regnum, Duce Nabonaſſare. Quod Regnum, ab initio tenue, & Aſſyriis obnoxium, a Nabopalaſſare, ejusque filio Nabuchodonoſore, amplificatum fuerit, ut & Medos ipſos, Aſſyriosque ſibi ſubjiceret.

Epocha Vrbis, ſive *Romæ Conditæ*, incidit in annum primum Olympiadis VII. ſive Mundi 3198. ante C. N. 750. diem 21. Aprilis.

Epocha Seleucidarum, ab Aſiaticis populis imprimis uſurpata, a Seleuco Nicanore nomen habet, & deducenda ab eo tempore eſt, quo is Babylonem occupavit, Mediamque, ac Suſianam regiones in poteſtatem redegit. Vocatur alias hæc *Æra Alexandræa*, & *Contractuum*, ejusque initium incidit in A. M. 3638.

Æra Chriſti primum adhibita eſt An. Chr. 527. quando poſt Juſtinianum Imperatorem, Faſti Conſulares defecerunt; primusque fuit *Dionyſius Exiguus*, qui privatim *Incarnationem Domini* Epocham conſtituit, ac ſecundum eam, annos numerare orſus eſt. Cum vero is primum annum nominaſſet eum, in quo Chriſtus conceptus in utero erat, ii, qui Dionyſium ſequuti ſunt, obſervantes, hominum vitam non a conceptione, ſed ab ortu vulgo putari, prætereaque videntes, Nativitatem Chriſti non longe abeſſe a fine Anni Juliani, & Circumciſionem, ipſis Kalendis Januarii celebrari, communi conſenſu conſtituerunt, ut primus Chriſti annus, ab ejus nativitate duceret exordium. Quamobrem, factum poſtea, ut *Æra communis* invaluerit, uno anno Dionyſii Æra inferior.

Æra Diocletiani, cujus uſus inter Chriſtianos frequens erat, ante Chriſti Æram, ab eo tempore deducebatur, quo, poſt Cari & Numeriani obitum, *Diocletianus* Imperator dictus. Vocatur alias *Æra Martyrum*, item *Æra Chriſtianorum*.

Epocha Judaica, incipit a Mundo condito, ac menſe autumnali Tiſri, hujusque Epochæ, Anni, ſunt Lunæ-Solares, plurimum 12. interdum etiam 13. menſium. Ab initio hujus Epochæ, usque ad Æram Dionyſianam, elapſi ſunt anni 3760. & men-

menſes 4. Annis Judaicis לפ"ק hoc eſt, omiſſis millenariis, prout communiter numerantur, ſi quis addat annos 240. tum congruit computus ad Annos Chriſti.

Epocha Muhammedanorum, dicitur *Hegira*, quæ vox, *Fugam* ſignificat. Quia enim omnia proſpere ſucceſſerunt Muhammedi, poſtquam ex Medinat Talnabi Meccam profugit, ſuum calculum Arabes, ab hac fuga exorſi ſunt. Subduxerat autem Muhammedes ſeſe clam, ne pœnas daret veſanæ doctrinæ, quam diſſeminare cœperat: quod factum, A. M. 4571. Anno Æræ Chriſtianæ 622. die Ven. 16. Julij.

Perſarum Æra, alias Jezdagirdica, familiaris Orientis Scriptoribus, a Jezdagirdo, poſtremo Perſarum Rege, ante Saracenorum invaſionem, ſic appellata, ducenda eſt ab anno 1. Imperii Jezdagirdi, & quidem a Neomenia menſis Perſici *Ferurdin*, concurritque cum anno periodi Julianæ 5345.

Hiſpanorum Æra, quæ frequenter in Conciliis Hiſpanicis occurrit, tum orta, quando Julio Cæſare, qui Hiſpaniam omnẽ receperat, interfecto, Cæſar Octavianus, M. Antonius & M. Æmilius Lepidus, ſummam Imperii ad ſe pertraxerunt. Jd factum A. M. 3912. ante C.N. 36. Poſtea, abrogata hac Æra, anni Chriſti in Inſtrumentis publicis cœperunt adhiberi, non tamen ſimul & ſemel. Nam, in Aragonia, id factum A. C. 1359. in Caſtella, ſub Johanne I. Rege, qui tum Segoviæ Curiam habuit, A. C. 1383. denique A. C. 1415. in Luſitania.

Franci, ſupputationem annorum, a Chriſti nativitate A. C. 750. vix videntur uſurpaſſe. Deinceps vero, illa ſub Pipino & Carolo M. invaluit. Auſpica-

bantur autem olim annum, a *Kalendis Martiis*. Veteres Scriptores, annos a *Paſſione Domini* numeraſſe videntur. Sed & a *Tranſitu*, ſeu *Morte S. Martini*, non ſemel computat Gregorius Tur. quem, A.C.400. mortuum eſſe aſſerit. Sub altera Regum Francorum, hoc eſt Carolingorum ſtirpe, annos, *a Chriſti nativitate*, ordiuntur Scriptores fere omnes. At, ſub tertia Capetingorum, *a Domini Incarnatione*, hoc eſt, die 25. Martii initium faciunt. Labentibus poſtea ſeculis, obtinuit, ut a *Paſchate* anni numerari inceperint; quod inde manaſſe quibusdam viſum eſt, quia Cereo Paſchali tabella appendebatur, in qua annus currens deſcribebatur, *Kalendæ tamen Januarii* nihilo ſecius pro initio anni habebantur. Tandem, edicto Caroli IX. A. C. 1564. cautum eſt, ut in publicis privatisque tabulis, a Kalendis Januariis, annorum initium repeteretur.

Angli, tempore Guilielmi Nothi, & antea, menſes ſuos, juxta Lunæ curſum computantes, annum orſi ſunt ab VIII. Kal. Januarii, die, quo *Natalis Domini* celebratur. Poſt Guilielmi vero tempora, vix ulla, in Anglicis diplomatibus, annorum nota reperitur; cum Regia, regni annos, cætera, nullos fere præferant.

Romulus, diebus 304. Menſibus 10. annum comprehendit:

Seu, quia tot digiti per quos numerare ſolemus;
Seu, quia bis quino fœmina menſe parit.
Seu, quod adusq; decem numero creſcente venimus,
Principium ſpatiis ſumitur inde novis:

ceu canit Ovid. l.3. Faſtor. Erat igitur Romuli annus, rudis prorſus, & mere politicus, quia nec ad Lunæ, nec ad

ad Solis curſum, attemperatus, primumq; inter menſes, *Martius*, locum obtinebat, *Numa* dein, duos menſes addidit, annumque diebus 354. circumſcripſit, etſi id quidam Tarquinio Priſco tribuunt. Mandato deinde *Julii Cæſaris* A. V. C. 708. a *Soſigene* Mathematico, ex Alexandria adducto, impenſius correcti fuere Faſti, & fibula impoſita priorum Pontificum intercalandi licentiæ. Ii enim, ut citius vel tardius abirent Magiſtratu, qui annuum gerebant; ut longior Vectigalium redemptoribus eſſet annus, vel brevior, in lucrum vel damnum, &, ſi quæ id genus aliæ cauſæ, pro libidine aut non omnino, aut peſſime intercalabant, modo plus, modo minus. Tum igitur annus 365. diebus, horis 6. definitus: eæ horæ, tam diu differuntur, donec collectæ, diem efficiunt. Id, quarto quoque vertente anno fit, & ideo quinti initio, dies unus accedit ad ſummam, atque tum is annus *Biſſextilis* vocatur. Nimirum, inſeritur *dies*, *ante feſtum Matthiæ*, ſive 6. Kal. Martias, ac ideo dicendum, *Bis ſexto Kalendas Martii*, & tunc, Menſis Februarii evadit 29. dierum. Cognoſcitur vero Biſſextilis, ſi numerus annorum Chriſti propoſitorum, per 4. dividatur: Diviſione enim facta, ſi nihil remanſerit, Annus ille erit Biſſextilis. Si vero unitas ſuperfuerit, proximus erit a Biſſextili; ſi 2. ſecundus; ſi 3. tertius.

Julianus annus, ad uſum expeditus, rerumque naturæ conſentaneus eſt. Siquidem, Solis converſionem, quantum fieri poteſt, proxime conſequitur, & ad commendandam temporum memoriam eſt aptiſſimus. Ideo, & Chronicorum, & Annalium Scriptores, eam anni formam adhibent, non in iis modo rebus explicandis, quæ poſteriores illius inſti-

tutione

tutione ſunt, ſed antiquioribus etiam, & ab ipſo adeo Orbis initio: quamvis alia tum anni forma, imo aliæ apud alias nationes, exiſterent.

Gregorius XIII. Pontifex, uſus præcipue opera *Chriſt. Clavii Franci*, autor fuit novi Calendarii, quod ab ipſius nomine *Gregorianum* dicitur, & publicatum eſt Anno 1582. In hoc Calendario 10. dies, inter diem 14. & 25. Octobris, ex veteri Calendario exemit, ut Æquinoctia & Solſtitia ad eas ſedes redirent, quas tempore Nicæni Concilii Anno 325. tenuerunt, & a quibus hactenus diebus 12. aut, aliorum opinione, 15. receſſerant. Secundum hunc computum, ſingulis annorum centuriis vertentibus, dies unus bisſextilis omittitur, quarta tantum centuria excepta, quæ bisſextilem ex more retinet. Ita, quadringentis annis, tres tantummodo bisſextiles perimuntur.

Notandum, ſic fuiſſe definitum in Concilio Nicæno: 1. Vt Vigeſimus primus Martii habeatur pro die Æquinoctii. 2. Vt plenilunium in 21. Martii incidens, vel proxime ſequens, habeatur pro Plenilunio Paſchali. 3. Vt dies Dominica hoc ſequens, ſit Paſcha. 4. Si Plenilunium in ipſam Dominicam, vel Sabbatum antecedens incidat, transferatur Paſcha in Dominicam octiduo ſequentem, ne unquam cum Chriſticidis, Chriſtiani in Paſchate celebrando conveniant.

Gregorius, exemplar novi Calendarii, ad Rudolphum II. Cæſarem, Comitia tum Auguſtæ celebrantem, per Cardinalem Madrucium, eo ipſo A. 1582. miſit, ſimul in Germania publicationem flagitans. Illius autem uſum, Principes Proteſtantes admittere noluerunt, cauſati, ex novo Calendario, non poſſe non ingentes difficultates ac confuſiones, in judiciis,

hiſtoriis, literis contractuum aliarumque obligationum, in nundinis, navigationibus, ſolutione cenſuum, agricultura, omnibusqve negotiis civilibus, tum etiam celebratione Feriarum Eccleſiaſtica, oriri. Addentes præterea, Imperatorii, non Pontificii muneris eſſe, Calendarium emendare, atque ſic anni veteris formam, a Julio Cæſare primum inſtitutam fuiſſe: deinde Carolum M. Imperatorem, & Calendarium ipſum, & nomina Menſium Germanica, populis Teutonicis dediſſe. Romanis tamen ſacris addicti Imperii Ordines, Calendarium novum admiſere, atque hinc etiamnum illa circa Calendarium in Germania diſcrepantia. In *Camera* vero *Imperiali*, Vetus, in exhibendis ſupplicationibus, decretis dandis, expediendis proceſſibus, computandis terminis, omnibusque judiciariis actibus obſervatur: Feriarum autem, ſecundum vetus & novum, fit celebratio.

Feriæ, aliæ ſunt Mobiles; aliæ Immobiles.

Mobiles Feriæ ſunt, quæ, utut eadem hebdomadæ die celebrantur, nullam tamen fixam ſedem in Calendario habent, ſed, diverſis annis, in diverſos menſium dies cadunt. Cujusmodi feriæ, ſunt per totum annum, omnes Dominicæ.

Dominica ſi qua eſt inter Circumciſionis & Epiphaniæ feſtum, proprio nomine caret. Quæ vero Dominicæ, Epiphaniæ feſtum excipiunt, ex eo, quo illud conſeqvuntur, ordine, denominantur, ut nimirum alia prima ſit, alia ſecunda &c. atque harum interdum plures ſunt, interdum pauciores. Deſinunt enim ante Dominicam Septuageſimæ. Poſtea Dominicæ ſequentes 7. ſic appellantur: *Septuageſima*, *Sexageſima*, *Quinquageſima* ſive *Eſto mihi*, vulgo,

Domi-

Dominica Bacchanaliorum: unde, ad Paſcha, ſunt ſemper hebdomadæ 7. & proximus dies Mercurii, poſt Dominicam Eſto mihi, vocatur *Cinerum dies.*

Sequens Dominica, eſt prima *Quadrageſimæ*, quæ, *Invocavit* dicitur. Succedunt:

Reminiſcere, Oculi, Lætare; Judica; Palmarum.

Sequens dies Jovis, dicitur *Dies Viridium*; &, proximus dies Veneris, appellatur *Paraſceve*:

Temporis Quadrageſimalis, vulgò Symbolum habetur:

Mors Imperat Regibus, Odioſam Linguam
Judicat Dominus.

Initiales, horum verborum, literæ, indicant *Mercurii diem, qui a Cineribus nomen habet*, ac porrò Dominicas, *Invocavit, Reminiſcere, Oculi, Lætare, Judica, Dominicam Palmarum.* Obiter notandum de *Dominica Lætare*, vulgo credi, hac, qui piſtus eſt panis, majorem ſaturandi vim habere, quam qui aliis diebus paratur: de *Dominica Judica*, eam, alio nomine, vocari *Nigram*, quia in ea, ex ritu Romanæ Eccleſiæ, templa & aræ, nigris ornamentis veſtiuntur.

Paſcha, omnium Dominicarum & Feſtorum Mobilium, fundamentum & baſis eſt, ſecundum quod illa diſponenda ſunt, omiſſis ſcilicet, vel additis aliquot Dominicis poſt Epiphaniam, & Trinitatis, prout Plenilunium Paſchale inciderit. Si enim aliquo anno, tempeſtivius Paſcha celebrandum, tum ſunt pauciores Dominicæ poſt Epiphaniam: ſi verò idem feſtum ſerius alio anno inciderit, plures ſunt Dominicæ poſt Epiphaniam, & pauciores poſt Trinitatis numerandæ.

Paſcha

Paſcha, nec undenas Apriles ante Calendas,
h. e. 22. Martii.

Nec poſt ſeptenas Maji valet eſſe Calendas.
h. e. 25. Aprilis.

A Paſchate usq; ad Pentecoſten, ſemper ſunt Septimanæ 7. tali appellatione & ordine:

Quaſimodogeniti, *Miſericordias Domini*, *Jubilate*,
Cantate, *Rogationum* ſive *Vocem Jucunditatis*:
Subſequenti die Jovis, *Aſcenſio Chriſti* celebratur.

Sequitur Dominica *Exaudi*, & dehinc *Pentecoſte*.

A Pentecoſte proxima Dominica, dicitur *Feſtum Trinitatis*. In ſubſequentem diem Jovis, incidit Feſtum *Corporis Chriſti*. Reliquæ dehinc Dominicæ, *Prima*, *Secunda*, *Tertia Trinitatis* dicuntur, & ſic deinceps, ad Adventum usque Domini.

Adventus Domini, quatuor Dominicas proximas ante Feſtum Nativitatis, complectitur.

Fixæ, ſeu, *Stativæ Feriæ* ſunt, quæ, licet in diverſos hebdomadæ dies incidunt, non tamen ad alios ſubinde menſium dies referuntur, ſed iisdem, & ſtatis ſemper diebus, recurrunt, atque ſic fixam & certam ſedem habent in Calendario. Cujusmodi ſunt Circumciſio Chriſti, &, Sanctorum, ac Martyrum feſta omnia, e quibus tantum ea cum religione celebrantur, quæ minio notata deprehenduntur.

Quadrageſimæ jejunium, ad Chriſti imitationem, qui univerſos 40. dies, & totidem noctes, jejunavit, eſt introductum.

Quatuor temporum jejunium, ſic dicitur, quia in Hyeme, Vere, Æſtate, & Autumno obſervatur, &

ideo

ideo introductum eſt, ut annus, in omnibus ſuis partibus, Deo conſecretur. De eo, verſus ſunt memoriales:

Poſt Crux, poſt Cineres, poſt Spiritus, atq; Lucia,
Sit tibi in angaria quarta ſequens feria.

Dominicæ poſt Quatuor tempora, vocantur *Aureæ*: vel, quod aureo colore in Faſtis fuere annotatæ; vel, quod ſingularem præ aliis diebus, uti aurum in metallis, prærogativam habere creduntur. In his natos infantes, omnia ſpectra videre, vulgus perſuaſum habet: quin & Sponſalia, his diebus contracta, opulentiam ſpondere ajunt.

MNE-

MNEMONICA
HISTORICA.

PRÆFATIO.

VT in Hiſtoria, quam vocant, Vniverſali, aliquando diſcenda, operæ pretium commode faceret Filius, illud negotii mihi credidi dari, ut pueri adhuc teneræ memoriæ, prius ideam quandam ejus, & Seriem Summorum Imperantium, ſecundum quam ea tradi ſolet, imprimerem. Diſpicienti mihi de ſubſidiis, quibus juvari mens, in complectenda, & retinenda ætatem, re difficili poſſet, varia ſe offerebant, quæ Recentiores in ſalutem adoleſcentulorum excogitaverunt. Equidem, agnoſcebam, ſedulo illos egiſſe quod habuere propoſitum, ſed uti ſuus cuique mos eſt, & tot, ceu ajunt, ſententiæ reperiuntur, quot capita, viſum mihi, omnes hactenus ad auxilio ſuo memoriam ſublevandam, ſaltem, in quantum ad meam notitiam pervenerant, indicatos modos, multum adhuc ſcabritiei habere, nec inſinuare ſeſe in animos, citra moleſtiam. Enim vero, dum unam rem ex alia penſito, veniebant in mentem media, quæ, antiquiſſimi Hebræorum Sapientes Maſoretæ adhibuere, ad memoriæ hominum inculcanda & infigenda, quæ illi, circa numerum tum literarum, tum vocum in Scripturis Divinis adhibitarum, analogias item, & anomalias Sacri Textus quaſcunque, humanam prope induſtriam excedente labore, & ſolertia obſtupeſcenda invenerant. Ea, duo præcipue ſunt: unum, ut di-

verſorum verborum initialia elementa, ad voces ſignificantes redigerent; &, ſicubi hoc non ſuccederet; aut minus apte quadraret, alterum, ut ſymbolo alicui, hoc eſt, ſive conceptioni verborum ex Dei eloquiis depromtæ, ſive ad arbitrium confictæ ſermonis formulæ, obſervationum ſuarum indicinas includerent ad reminiſcendum. Non opus eſt, ut exempla allegem: ſciunt myſteriis initiati, quid dicam; eorum inſcios, parum juvarem, etiam ſexcenta amplius huc afferens in medium. Si qui tamen nihilo ſecius, harum rerum cognoſcendarum curioſi ſunt, adeant licet, præclaram Commentationem, Buxtorfii Tiberiadem. Vterque modus, memoriæ circa nomenclatorem aliquem retinendum colluctanti, opem & ſuppetias ferendi, etſi penitus obſoletus & antiquatus, cum, rem recta via reputanti mihi, novis inventis magis conducibilis videretur, ideo de illis in uſum revocandis, & ad Catalogos Patriarcharum, Regum, atque Imperatorum accommodandis cogitare cœpi. Sic ergo, ad Maſoretarum imitationem, paravi Symbola, ſed in quibus, quod non nego, ſenſus interdum durior exivit. Verum, in talibus, ſi non præſtare poſſumus, quod volumus, ſatis eſt præſtitiſſe quod conceditur. Hebræorum, cum meras tantum conſonantes exprimant, præ nobis, in vocabulis technicis effingendis, major eſt felicitas, atque illorum ſymbola, carent literis ad inſtitutum minime facientibus, quales caſſas, ſubinde genuinis immiſcere, noſtræ linguæ genius, cum Conſonantibus Vocales ſemper ſocians, nos adigit. Fortaſſe Latina lingua, & concinna magis, magisq;

giſq; brevia ſuppeditaſſet ſymbola, ſed, faciliore vernacula Filio ſuccurrendum erat, quæ, ultro animo ſe inſinuat, cum peregrinam is quodammodo averſetur. Atque ſane obtinui illis meis, quod intendebam; ac ea crebro Filio viva voce ingerens, & ſimul quoque columnis convenienter diſtincta, oculis ſpectanda ſubjiciens, omnino effeci, ut Regum, Imperatorum, aliorumque, quorum in numerato habere oportet nomina, ordinem, prorſum rurſum ille recitaret. Romanorum Pontificum, & Britanniæ, Hiſpaniæ, cæterorumque Europæ Regum ac Principum catalogos, nolui inde a prima origine pertexere, atque ediſcendos Filio proponere, ſufficere credens, ſi quoad iſtos, duorum poſtremorum Seculorum ſeriem animo haberet impreſſam. Quoniam vero hæc paucis plurimum abſolvitur nominibus, ideo hic fere ſymbolis opus eſſe minime credidi. Amplius, ne careret Filius temporum qualicunque puſillo Rationario, Chronologiam præcipuorum tantum eventuum notare eum juſſi, ſecundum quam, mens humana, reliquos interjectos, ἐν πλάτει, καὶ παρεκτατικῶς, facile digerit diſtinguitque.

Die Patriarchen vor der Sündfluth.

ADam.

Seth.

Enos.

Kenan.

Mahaleel.

Jared.

Henoch.

Matuſalah.

Lamech.

Noah.

es wohnt der ASEKMI
in HaMeLN.

Die Patriarchen nach der Sündfluth.

Sem.
Arphachſad.
Sala.
Eber.
Peleg.
Regu.
Serug.

Nahor.
Thara.
Abraham.
Iſaac.
Jacob.
Levi.
Cahat.
Amram.

das holz SASEPRaS.
die propheten NaTAn und IILCA.

Die Babyloniſche Erſte Monarchie.

Ninus.

Semiramis.

Ninyas.

XXXII. Nachfolger.

Sardanapalus.

Hierauf iſt die Babyloniſche Monarchie / nachdem ſelbige 1360. Jahr gewähret / in das Aſſyriſche und Mediſche Reich getheilet worden / und hat das Aſſyriſche Belochus, das Mediſche Arbaces angefangen.

XVIII. Richter der Juden.

Moſes.
Joſua.
Othniel.
Ehud, und Samgar.
Debora, und Barac.
Gideon.
Abimelech.
Thola.
Jair.
Jephtha.
Ebzan.
Elon.
Abdon.
Simſon.
Eli.
Samuel.

der MOSES und JOSVA, kamen zu OTHNIEL, EHe DEBORA den GIDEON ABMALte. der TOLle JAIR AFTE den EBZAN mit einer ELEN, die ihm der ABT SIMSON EIlends SANte.

Die Kônige in Jſrael.

Saul.
David.
Salomon.

XX. Kônige Judæ.

Rehabeam.
Abiam.
Aſſa.
Joſaphat.
Joram.
Ahaſia.
Athalia.
Joas.
Amazia.
Vſia.
Jotham.
Achas.
Hiskias.
Manaſſes.
Amon.
Joſias.
Joahas.
Eliakim.
Jojakim.
Zedekias.

ich will das REH ABſtechen zum ESSen, und den JOSEPH, wie auch JORgen, der einen HASen ETwA gibt, darzu laden. JOAS, AMAZIÆ vatter, mVS auch JO-Dabey ſeyn, ACH flugs HeIS MAN den AMON her, der wird, JO! JO! aus voller KELE JOchzen, und ein ZETErgeſchrey anfangen.

XIX. Kô-

XIX. Kőnige in Jſrael.

Jeroboam I.
Nadab.
Baëſa.
Ella.
Simri.
Amri.
Achab.
Ahaſia.
Joram.
Jehu.
Joahas.
Joas.
Jeroboam II.
Zacharias.
Sallum.
Menahem.
Pekaja.
Peka.
Hoſea.

JEROBOAM wohnt NAhe des BAchS ELLA, und kan jährlich ein SIMER AMbRA nACH AHASIen, dem JORAM, EHE es winter wird, ſchicken. JOAHAS, oder, wie man ihn ſonſt nennet, JOAS, wohnt zu JERoslavv, und SAGt, SOL MEiN BEK kein BAK-HAVS haben?

Die VII. Römiſchen Könige.

Romulus.
Numa Pompilius.
Tullus Hoſtilius.
Ancus Martius.
Tarquinius Priſcus.
Servius Tullius.
Tarquinius Superbus.

Dieſe VII. Könige haben 222. Jahr regieret: darauf ſind L. Junius Brutus, und L. Tarquinius Collatinus zu Burgemeiſtern erwählet worden.

Die 2. Brüder und RO/NV/TV, AN/TAR/SE/T.

Die

Die Perſiſche Andre Monarchie.

Cyrus.

Cambyſes.

Darius Hyſtaſpis.

Xerxes I.

Artaxerxes Longimanus.

Xerxes II.

Darius Nothus.

Artaxerxes Mnemon.

Artaxerxes Ochus.

Arſames.

Darius Codomannus.

Dieſe haben insgeſamt 206. Jahr regieret.

CYRVS KAM DARauf zum XERXE, blieb aber nit LANG, weil XERXES DARbend, keine ARTiſchOCHen hatte, und kein ERSAMES leben DARzu führte.

Die

Die Dritte Griechiſche Monarchie

hat Alexander Magnus angefangen. Nach ſeinen Tod / hat Caſſander, Macedonien; Seleucus, Syrien und Babylonien; Ptolemæus Lagi Egypten / und Antigonus, Aſiam und Pontum an ſich gebracht.

Die Folge der Macedoniſchen Kŏnige.

Caſſander.
Philippus.
Demetrius Poliorcetes.
Lyſimachus.
Ptolemæus Ceraunus.
Antigonus Gonates.
Demetrius.
Antigonus Doſon.
Philippus.
Perſeus.

Dieſen Perſeum, hat P. Æmylius A. M. 3804. überwunden / und iſt das Macedoniſche Reich in der Rŏmer Gewalt kommen / nachdem es 148. Jahr gedauret.

der CASSirer hat nit VIEL, nachDEM LYSIMACHVS, der DOLmetſch des ANTIGONI, DEM DOSON VIEL BARSchaft gegeben.

Die

Die Folge der Syriſchen Könige.

Seleucus Nicanor.
Antiochus Soter.
Antiochus Theus.
Antiochus Callinicus.
Seleucus Ceraunus.
Antiochus Magnus.
Seleucus Philopator.
Antiochus Epiphanes.
Antiochus Eupator.
Demetrius Soter.
Alexander Epiphanes.
Demetrius Nicanor.
Antiochus Sedetes.
Demetrius Nicanor II.
Antiochus Gryphus.
Antiochus Cyzicenus.
Philippus der letzte von den Seleucidis.
Tigranes.

Den Tigranem haben der Lucullus, und Pompejus überwunden/ und iſt alſo Syria und Judæa A. M. 3906. in der Römer Gewalt komen/ nachdem ſelbiges Reich 245. Jahr gedauret.

SELEVCVS und ANTIOCHVS ſind SAT DES KALten SALmen. ANTIOCHVS MAG SELbſt keine *zweyfache* hANTIrung DAMIT treiben, ſondern wil ALES DEM ANDré DEHMüthigſt übergeben. GREIF ZV PHILIP, und tödte das TIGERthier.

Die Folge der Egyptiſchen Könige.

Ptolemæus Lagi.
Ptolemæus Philadelphus.
Ptolemæus Evergetes.
Ptolemæus Philopator.
Ptolemæus Epiphanes.
Ptolemæus Philometor.
Ptolemæus Evergetes II.
Ptolemæus Lathurus.
Ptolemæus Alexander.
Ptolemæus Lathurus nachdem er vertrieben worden/ kommt wiederum zu der Regierung.
Ptolemæus Auletes, oder Dionyſius.
Cleopatra.

Die Cleopatram, hat Auguſtus nach der pugna Actiaca, mit dem Antonio, in ſeine Gewalt gebracht / nachdem das Egyptiſche Reich 294. Jahr gedauret.

LACH nit VIEL, dan EVER PHILIP hEBt VIEL an, aber der luſt VERGEHT ihm bald zum LATein, und ALEn andern ſachen: auf einen bLAT PFEIFT er oft mit der CLEOPATRA.

ANTI-

ANTIGONVS Philippi Macedonis unehlicher Sohn / König in Aſien und Ponto/ iſt von dem Ptolemæo, Caſſandro, und Seleuco, bey Ipſo in Phrygia / im 80. Jahr ſeines Alters überwunden / und getödtet / ſein Sohn Demetrius Poliorcetes aber / auch des Reichs in Aſia beraubet worden.

Die Römiſche Vierdte Monarchie.

SECVLVM I.

Julius Cæſar.
Auguſtus.
Tiberius.
Caligula.
Claudius.
Nero.
Galba.
Otho.
Vitellius.
Flavius Veſpaſianus.
Titus Veſpaſianus.
Domitianus.
Nerva.
Trajanus.

JVLIVS und AVCH TIBERIVS ſind KALt:GLAVbige NARren, die GELBen OTTern FVTert man mit WESPen, DAMIT die NERVen TRAGen.

SECVLVM II.

Hadrianus.

Antoninus Pius.

M. Aurelius, und Lucius Aurelius Verus.

Commodus.

Helvius Pertinax.

Didius Julianus.

Septimius Severus.

HADRIANVS ANTwortet dem AVR-ochſen; KOMM, HELF dem DIDIO SEPTIMIO.

SECVLVM III.

Caracalla, und Geta.
Macrinus.
Heliogabalus.
Alexander Severus.
Maximinus.
Pupienus, Balbinus, und Gordianus.
Philippus Arabs.
Decius.
Gallus, und Voluſianus.
Valerianus.
Gallienus.
Claudius II.
Aurelianus.
Tacitus.
Florianus.
Probus.
Carus, Carinus, und Numerianus.
Diocletianus, und Maximianus.

CARACALLA iſt MAGER und HELLIG, weil ALEXANDER MAGnus die PVPPEN VIEL-LIEBer hat, als den DEGen und WOLLVSt. die FALſchen GALgendiebe KLAVben AVRbachiſche DATZbeern, FLÖh, und PROBirte KARren-DIEGEL.

SECV-

SECVLVM IV.

Conſtantius Chlorus, und Galerius.

Conſtantinus Magnus.

Conſtantinus II. Conſtantius, und Conſtans.

Julianus.

Jovianus.

Valentinianus, und Valens.

Gratianus, und Valentinianus II.

Theodoſius I.

Arcadius, und Honorius.

CONSTANTIVS hat *zwey* CONSTAbel, nach JVLIch dem JOVI VALENTI geſchickt zu einen GRATIAL, ſeinen DODen zu HONORIren.

SECVLVM V.

Theodoſius II.
Conſtantius.
Valentinianus III.
Marcianus.
Flavius Maximus.
Avitus.
Leo.
Majorianus.
Severus.
Anthemius.
Olybrius.
Glycerius.
Zeno.
Julius Nepos.
Auguſtulus.
Odoacer.
Anaſtaſius.

THEODOSIVS KONTe FALLEN im MARCHIren, darum hat der FLAVIVS AVf ihn LEOnem den MAJOR zum aufSEHER geſezt, ihn ANHEiM zu HOLen. GLVCK ZV JVLI, dein ſohn AVGVSTVS, iſt nit ÖDE noch ANSTOSIg.

SECVLVM VI.

Juſtinus.
Juſtinianus.
Juſtinus II.
Tiberius II.
Mauritius.

JVSTINVS, wil die JVSTItiam JVST haben, und die böſen in die TIBER werffen, oder verMAVRen.

SECVLVM VII.

Phocas.
Heraclius.
Conſtantinus III.
Heracleonas.
Conſtans II.
Conſtantinus IV. Pogonatus.
Juſtinianus II. Rhinotmetus.
Leontius.
Tiberius Abſimarus.

PHOCAS kom HER: KANSTu nach HERACLEam ziehen: dan es braucht KVNST und CONSTANTIam, daß alles JVST LÖWENhaft, und ohne DIEBEReY zugehe.

SECVLVM VIII.

Philippicus Bardanes.
Anaſtaſius Artemius.
Theodoſius III.
Leo Iſauricus Iconomachus.
Conſtantinus Copronymus.
Leo IV. Porphyrogenitus.
Conſtantinus Porphyrogenitus.

PHILIPPICVS wil ANSTehen, ob THEODOSIVS für einen LÖWEN CAPRAm oder LÖWIN KAN STEhen.

SECVLVM IX.

Carl der Groſſe.

Ludwig I.

Lotharius.

Ludwig II.

Carl II. der Kahle.

Ludwig III. der Stamler.

Carl III. der Dicke.

Arnolphus.

Ludwig IV.

CARL LVD den LOTHARIVM zum bLVTigen CAROſell: indem ſties LVDWIG den CARL in ARm, daß es bLVTet.

SECVLVM X.

Conradus.

Heinrich I. der Vogelſanger.

Otto I.

Otto II.

Otto III.

CONRAD FIENG *drey* OTTONES.

SECVLVM XI.

Heinrich II. der Heilige.

Conrad II.

Heinrich III. der Schwartze.

Heinrich IV.

HEINRICH KAN den *zwey* andern HEINRICHEN nichts abgewinnen.

SECVLVM XII.

Heinrich V.
Lotharius II.
Conrad III.
Friedrich I. Barbaroſſa.
Heinrich VI.
Philippus.
Otto IV.

HEINRICH LOCKTe den CONRAD in FRIEDEn in EIN REICH mit VIEL OTTErn.

SECVLVM XIII.

Friedrich II.
Conrad IV.
Wilhelm, Graf von Holland.
Reichart, Graf von Cornubien.
Alphonſus, König von Caſtilien.
Rudolf, von Habsburg.
Adolf, von Naſſau.
Albertus I.

FRIEDRICH KAN VIEL, und iſt REICH EIL Tauſend RVDOLFS-thaler, ſeines ADELs HALBER.

SECVLVM XIV.

Heinrich VII.

Friedrich, von Oeſterreich.

Ludwig, aus Bayern.

Gunther, Graf von Schwartzenburg.

Carl IV.

Wenceslaus.

Robertus der Pfaltz-Graf.

HEINRICH hält FRIEDE mit BAY-
REN, VND DER CARL hat die
WANZEnau eROBERT.

SECVLVM XV.

Sigismundus.

Albertus II.

Friedrich III.

Maximilianus I.

SIGMVND iſt ALBER, daß er keinen FRIEDEn MACHT.

SECVLVM XVI.

Carl V.
Ferdinandus I.
Maximilianus II.
Rudolphus II.

KARL iſt FERTIg, die MAXEL zu RVDELſtatt zu heyrathen.

SECVLVM XVII.

Matthias
Ferdinandus II.
Ferdinandus III.
Leopoldus.

MATTHIAS FERTIgt *zweymal* den LÖWEN ab.

Die Römiſchen Päbſte.

SECVLVM XVI.

Pius III.	Piccolomineus.
Julius II.	Ruuero.
Leo X.	Mediceus.
Hadrianus VI.	Florentius.
Clemens VII.	Mediceus.
Paulus III.	Farneſius.
Julius III.	Maria de Monte.
Marcellus II.	Corvinus.
Paulus IV.	Caraffa.
Pius IV.	Medices.
Pius V.	Ghiſilerius.
Gregorius XIII.	Buoncompagni.
Sixtus V.	Montaltus.
Vrbanus VII.	Caſtanea.
Gregorius XIV.	Sfondrata.
Innocentius IX.	Fachineti.
Clemens VIII.	Aldobrandini.

PIVS gibt *zwey* JVLIer, um einen *zehen*-jährigen LÖWEN, und HAT KLEine POLniſche GVLden auf den MARCK gebracht, die FAVL, und *zwey* mal BÖS: doch weil der GREGER bis SECHS VHR gearbeitet, KRiEGt er eIN:OChſen, der nit KLEin.

Die Römiſchen Päbſte.

SECVLVM XVII.

Leo XI.	Mediceus.
Paulus V.	Burgheſius.
Gregorius XV.	Ludoviſius.
Vrbanus VIII.	Barberinus.
Innocentius. X.	Pamphilius.
Alexander VII.	Chigius.
Clemens IX.	Roſpiglioſi.
Clemens X.	Altieri.
Innocentius XI.	Odeſchalchi.
Alexander VIII.	Ottoboni.
Innocentius XII.	Pignatelli.

LEO, wil des PAVLI GRIEGiſche VRkund IN:ACht nehmen, damit ALLES mit *doppelter* CLEMENZ IN:OCcaſion, bALd, und INNOCENter geſchehe.

Die Kônige von Dennemarck.

SECVLVM XVI.

Johannes.
Chriſtianus II.
Fridericus I.
Chriſtianus III.
Fridericus II.
Chriſtianus IV.

SECVLVM XVII.

Fridericus III.
Chriſtianus V.

JOHANNES, CHRISTI des FRIEDE-fürſts fürlauffer, vermahnet die CHRISTen zum FRIEDE, damit ſie, bey CHRISTo ewig FRIEDE zu haben GeRVST ſeyn.

Die Könige von Engelland.

SECVLVM XVI.

Henricus VII.
Henricus VIII.
Eduardus VI.
Maria.
Eliſabetha.

die *zwey* HEINRICH, und EDVARD, tanzten mit der MARIA, und ELISABETHA.

SECVLVM XVII.

Jacobus I.
Carolus Stuartus I.
Carolus II.
Jacobus II.
Wilhelmus.

JACOBVS iſt mit *zwey* KARren, auf die JAGt nach WILHELMsburg gefahren.

Die Könige von Franckreich.

SECVLVM XVI.

Ludwig XII.
Franciſcus I.
Henricus II.
Franciſcus II.
Carolus IX.
Henricus III.
Henricus IV.

SECVLVM XVII.

Ludwig XIII.
Ludwig XIV.

LVDWIG aus FRANCKen, hat HVNER, und FRANCIpaniſche KERnHENſchue, *zweydoppelt* nach LVDersheim gebracht.

Die

Die Könige von Polen.

SECVLVM XVI.

Johannes Albertus.
Alexander.
Sigismundus.
Sigismundus Auguſtus.
Henricus aus Franckreich.
Stephanus Batorius.
Sigismundus III.

JOHANNES, der ALLES SIGS urheber, bekam durch SIG EIN-REICHen STiEFel und SIGelring.

SECVLVM XVII.

Ladislaus.
Johannes Caſimirus.
Michaël Wiesnowisky.
Johannes Sobiesky.

LADe JOHANNEM, und MICH, nach JANnina.

Die Könige von Portugal.

SECVLVM XVI.

Johannes III.
Sebaſtianus.
Heinrich der Cardinal.
Philippus II.
Philippus III.

SECVLVM XVII.

Philippus IV.
Johannes IV.
Alphonſus VI.
Petrus.

JOHANNES hat einen SEBESTENbaum zu HAINburg, der trägt *gar* VIEL JOHANNESöpffel, die ſchickt man nach ALVENSleben, und PETERShauſen.

Die Kønige von Schweden.

SECVLVM XVI.

Suanto.
Steno Sturo.
Chriſtianus oder Chriſtiernus II.
Guſtavus I.
Ericus XIIII.
Johannes III.
Sigismundus.

SECVLVM XVII.

Carolus IX.
Guſtavus Adolphus.
Chriſtina.
Carolus Guſtavus.
Carolus XI.

des SVANTO STEiN des CHRISTEN-thums, KOST, EHeR JOHANNES und SIGISMVND, die feinen KERLe dazu kommen, JVST ein CHRISTIN-chen, und *zwey* CAROLVS.

Die Kȯnige von Spanien.

SECVLVM XVI.

Philippus aus Oeſterreich.
Carolus V. Keyſer.
Philippus II.
Philippus III.

SECVLVM XVII.

Philippus IV.
Carolus II.

PHILIP, KARtelte mit III. andern PHILIPPEN am KARſt.

Die Türckiſchen Keyſer.

SECVLVM XVI.

Bajazeth II.
Selim I.
Solyman II.
Selim II.
Amurathes III.

BAJAZETH SELbſt, SOL die SEEL bejAMERn.

SECVLVM XVII.

Mahometh III.
Achmet.
Muſtafa.
Osman.
Amurates IV.
Ibrahim.
Mahometh IV.
Solyman III.
Achmet.

wer den MAHOMET ACHtet, MVS nach OSten ziehen, dAMit wird er ÜBRige MACHt, und SOLdaten, meines erACHtens, bekommen.

Die

Die Herzöge und Churfürſten von Bayren.

SECVLVM XVI.

Albertus IV. Sapiens.
Wilhelmus IV.
Albertus V.
Wilhelmus V.

SECVLVM XVII.

Maximilianus.
Ferdinandus Maria.
Maximilianus Emanuel.

der ALte WILHELM iſt nicht ALBER, und WIL, daſs die MAXEL ſich FERTIg MAChe.

Die Churfürſten von Sachſen.

SECVLVM XVI.

Fridericus III. Sapiens.
Johannes, Conſtans.
Johannes Fridericus, Magnanimus.
Mauritius.
Auguſtus.
Chriſtianus I.
Chriſtianus II.

FRIDRICH JOHANNES, und JOHANN FRIDRICH, haben in MAVRITanien AVCh *doppelte* CHRISTEN gefunden.

SECVLVM XVII.

Johannes Georgius I.
Johannes Georgius II.
Johannes Georgius III.
Johannes Georgius IV.
Fridericus Auguſtus.

JOHANN GEORG, gieng mit III. *Seines gleichen* zu den FRIDRICH.

Die

Die Churfürſten von Brandenburg.

SECVLVM XVI.

Joachimus I.
Joachimus II.
Johannes Georgius.
Joachimus Fridericus.

zwey JOACHIMI, giengen mit JOHANNE GEORGIO zu den *Dritten*.

SECVLVM XVII.

Johannes Sigismundus.
Georgius Wilhelmus.
Fridericus Wilhelmus.
Fridericus III.

JOHANNES SIGISMVNDVS, gieng mit GEORG WILHEMEN zu *zwey* FRIDRICHEN.

Die

Die Churfürſten von Pfaltz.

SECVLVM XVI.

Philippus.
Ludovicus der Friedfertige.
Fridericus der Fromme.
Otto Henricus.
Fridericus III.
Ludovicus V.
Fridericus IV.

PHILIPPVS LVD den FRIDRICH und OTTEN FRVhe nach LVDersheim, zum FRVhſtuck.

SECVLVM XVII.

Fridericus V.
Carolus Ludovicus.
Carolus.
Philippus Wilhelmus.
Johannes Wilhelmus.

FRIDRICH hält GAR und *doppelt* VIEL auf den JOHANNES; segen.

Die

Die Churfürſtliche Linie von Braunſchweig.

SECVLVM XVI.

Henricus Junior.
Erneſtus in Zell.
Wilhelmus in Zell.
Georgius in Harzberg.

HEW Gabel.

SECVLVM XVII.

Erneſtus Auguſtus.

Die Groß-Hertzoge von Florentz.

SECVLVM XVI.

Coſmus I.
Franciſcus.
Ferdinandus I.

KOSte FRANZ den FERnatſcher.

SECVLVM XVII.

Coſmus II.
Ferdinandus II.
Coſmus III.

das KOSten des FERNatſchers wird viel KOSten.

Die Hertzoge von Mantua.

SECVLVM XVI.

Franciſcus I.
Fridericus.
Franciſcus II.
Wilhelmus.
Vincentius.

FRANZ FRIDRICH aus FRANCkenland, WIL es FINden.

SECVLVM XVII.

Franciſcus III.
Ferdinandus.
Vincentius II.
Carolus I. de Nivers.
Carolus II.
Carolus III.
Carolus IV.

FRANCISCVS FVCcar ſchlägt *drey* CARL.

Die

Die Hertzoge von Modena.

SECVLVM XVI.

Hercules. I.
Alphonſus I.
Hercules II.
Alphonſus II.
Don Ceſare.

der HERr ALFONSVS, hat den HERCVLEM, und dieſer den ALFONSVM *wieder* nach DONdorf beſchieden.

SECVLVM XVII.

Alphonſus III.
Franciſcus I.
Alphonſus IV.
Franciſcus. II.
Rainaldus.

ach AL; FRA AL: FRA? RENne nit ſo.

Die Groß-Hertzoge von Moſcau.

SECVLVM XVI.

Johannes.
Baſilius.
Johannes.
Theodorus.
Boris Fedrowitz.

IBIT BORnholmiam.

SECVLVM XVII.

Theodorus.
Drey falſche Demetrii.
Baſilius Zusky.
Michaël Fedrowitz.
Alexius Michaëlowitz.
Feder oder Theodorus Alexowitz.
Javan Alexowitz, und Peter Alexowitz.

THEODORVS, hat *drey* FALSCHE BASILISken an MICH geſckickt, die ALLES FEDERwild, und AFfen BETRübet.

Die

Die Hertzoge von Parma.

SECVLVM XVI.

Petrus Ludovicus.
Octavius
Alexander.
Ranuccius I.

SECVLVM XVII.

Odoardus Ranuccius.
Ranuccius II.
Franciſcus.

der POAR, und ORFius, ſeyn todt.

Die Hertzoge von Savoyen.

SECVLVM XVI.

Carolus II.
Emanuel Philibertus.
Carolus Emanuel I.

SECVLVM XVII.

Victor Amadeus I.
Franciſcus Hyacinthus.
Carolus Emanuel II.
Victor Amadeus II.

CÆCVs FRANCISCVS, CAROLVM VICit.

MNE-

MNEMONICA CHRONOLOGICA.

	Annus Mundi.
Diluvium Orbem inundat.	1656
Nimrod imperare incipit.	1700
Turris Babel conſtruitur.	1757
Ninus regnare incipit.	1908
Abraham naſcitur.	1948
Circumciſio divinitus inſtituitur.	2047
Jacob in Ægyptum deſcendit.	2238
Moſes naſcitur.	2372
Diluvium Deucalionis.	2419
Decalogus promulgatur.	2453
Argonautarum Expeditio.	2678
Saul regnare incipit.	2875
Olympiadum initium.	3174
Roma condita.	3197
Captivitatis Babylonicæ initium.	3350
Cyrus Babylonem capit.	3410
Tarquinius Roma pellitur.	3412
Judæi captivitate ſoluti patriam repetunt.	3419
Monarchiæ tertiæ initium.	3620
LXX. Interpres Verſionem adornant.	3681
Judas Maccabæus Judæos tuetur.	3684
CHRISTVS naſcitur.	3947

	Annus Chriſti.
CHRISTVS mortem luit pro humano genere.	33
Prima Chriſtianorum Perſecutio.	63
Politiæ Judaicæ excidium.	70
Johannes Epheſi obit.	99
Perſecutio VII. occaſio vitæ eremiticæ.	250
Conſtantinus M. Maxentium vincit.	312
Synodus Nicæna Oecumenica.	325
Synodus Conſtantinop. Oecumenica.	381
Synodus Epheſina Oecumenica.	431
Synodus Chalcedonenſis Oecumenica.	451
Odoacer Romam occupat.	476
Theodoricus Regni Gothici fundator.	493
Tejas Rex ultimus Gothorum.	553
Alboinus fundator Regni Longobardici.	568
Mahomet naſcitur.	571
Deſiderius Rex Longobard. vincitur.	774
Carolus M. coronatur Imperator.	800
Gregorius V. & Otto III. concordant.	996
Saraceni Hierolyma potiuntur.	1009
Godofredus Bullion. Hieroſol. recuperat.	1099
Rudolfus Habsburg. incipit regnare.	1273
Veſperæ Siculæ.	1282
Clemens V. Avenionem concedit.	1305
Jubilæus annus Romæ celebratur.	1350
Aurea Bulla condita.	1356
Gregorius IX. Romam revertitur.	1377

Con-

	Annus Chriſti.
Typographia inventa	1440
Concordata Germ. inter Nicol. V. & Frid. III.	1447
Mahumetes II. expugnat Conſtantinopolin.	1453
Chriſtoph. Columbus detegit Novum Orbem.	1492
Maximilianus I. Cameram Imp. conſtituit.	1495
Americus Veſputius detegit Americam.	1497
Leo X. Indulgentias promulgat.	1513
Lutherus adverſus Indulgentias inſurgit.	1517
Roma a Borbonio capitur.	1527
Solymannus Viennam fruſtra obſidet.	1529
Auguſtana Confeſſio Carolo V. oblata.	1530
Initium Societatis Jeſuitarum.	1535
Concilium Tridentinum inchoatur.	1546
Liber Interim promulgatur.	1548
Transactio Paſſavienſis inita.	1552
Pax Religioſa confirmatur Auguſtæ.	1555
Finis Concilii Tridentini.	1563
Laniena Pariſienſis.	1572
Turbarum Bohemicarum Origo.	1618
Synodus Dordracena celebratur.	1619
Dux Bavariæ creatur Elector.	1623
Guſtavus Adolfus S. R. Germaniam petit.	1630
Magdeburgenſe excidium.	1631
Prælium ad Lucenam committitur.	1632
Sueci ad Norlingam cæduntur.	1634
Pax Pragenſis condita.	1635
Luſitanica defectio.	1641
Pax Monaſterienſis concluſa.	1648
Carolus I. Rex Brit. ſecuri percutitur.	1649
Carolus Guſtavus S. R. Poloniam invadit.	1655
Fridericus III. D. R. Suecos bello adoritur.	1657

	Annus Chriſti.
Pax Pyrenæa concluſa.	1659
Carolus II. Regno Britanniæ reſtituitur.	1660
Bellum Imperatori Leopoldo cum Turcis.	1663
Pax cum Turcis inita.	1664
Londinenſe Incendium.	1666
Judæi ex Auſtria proſcribuntur.	1670
Seditioſi Hungariæ Proceres capitibus luunt.	1671
Ludovicus XIV. G. R. Batavos invadit.	1672
Pax Neomagi concluditur.	1678
Teckelius novi belli Turcici incentor.	1682
Vienna a Turcis fruſtra obſidetur.	1683
Proteſtantium in Gallia perſecutio.	1685
Buda expugnata.	1686
Wilhelmus Arauſion. Rex Brit. declaratur.	1689

SYNO-

SYNOPSIS HISTORIÆ VNI-VERSALIS.

PRÆFATIO.

IN Vniverſali, quam vocant, Hiſtoria tradenda, varii, varias inivere rationes. Mihi, adoleſcentum animis, ea ſemper convenientiſſima viſa eſt, quæ, rerum poſt cataclyſmum geſtarum, ſeriem, ſecundum Summa Orbis Imperia Quatuor, diducit. Hanc ergo, id, quod in uſum Filii congeſſi, Syſtema, ſervat, in quo adornando, ea præcipue ex Sacris & Profanis rebus ſelegi, quæ illum notare par erat; ac, quod eſt, in docendo, imprimis quando teneram adhuc ætatem ſevera lege proficere volumus, optimum, omnia diſpeſcui ordine convenienti. Quod enim l. 2. de Orat. ait Tullius, *Ordo eſt maxime, qui memoriæ lumen affert.* Vt excitarem ſtudium diſcentis, amœniora ſubinde inſperſi, etſi de illorum veritate interdum dubitari poterat. Quem in cenſum imprimis Hebræorum Traditiones referendæ, quas ut enarrarem, S Hieronymum habui autorem, qui, earum, quamvis paucarum, quæ ad ejus notitiam pervenerant, conſignandarum, ſpecimen, nobis ſuper Geneſin

neſin reliquit: nam eas, quæ ſuper libros Regum, & Paralipomenon, ſub illius nomine extant, ab aliena manu eſſe, pridem Viri Docti probarunt, optantes ſimul, ita fata tuliſſent, ut ipſi Hieronymo, telam quam cœperat, pertexere licuiſſet. Proinde, id negotii mihi credidi dari, ut Sancto Patri pernimium quidem diſpar, ſuccenturiatus tamen, opus abſolverem; nempe, quatenus παραδόσεις illæ, ad inſtitutum, hoc eſt, hiſtoriam illuſtrandam faciunt. Quippe, Filio nihil profuturas, & eas quoque, quarum cognitio Hebraicæ Linguæ peritiam aliquam requirebat, conſilio miſſas feci. Vſus in eam rem ſum, tum Scriptoribus aliis, tum vehementer præ cæteris, prægrandi Judæorum in Scripturam Commentario, qui *Jalkut* inſcribitur, quod ſemel hic monuiſſe ſufficit. Loca ipſa, unde quodque deprompſi, minime annotavi, nec enim is, cui hæc ſcribebantur, ea perveſtigare potuiſſet; aliis autem, poſtquam nunc in manus hominum iſta venire coactus patior, ubi quidque in Jalkut quærendum ſit, res ipſa citra negotium indicabit. Chronologiam, præcipue in prima Monarchia, non ita ſubtiliter ſemper limavi a radicibus, ſynchoroniſmos præterpropter ſtatuiſſe contentus: accuratam enim

enim annorum computationem non poſtulabant iſta Rudimenta, nec disſimulo, me per *Henrici Gutberleti Chronologiæ*, qua olim uſus fueram, plurimum inceſſiſſe veſtigia. Juſtini, Flori, Valerii Maximi, aliorumq; bonæ notæ Autorum, verba ipſa, cum res id ferebat, in hiſtoriis recenſendis ſæpe ſervavi, ob elegantiam, & ut Filio hærerent in memoria. Sicubi opus erat, Genealogicas tabulas oculis ſpectandas ſubjeci, ſed raro, nec niſi cum necesſitas valde id efflagitaret, ut discenti tanto magis conſuleretur. Ad hæc ultima tempora delatus, abrupi ſermonem, eſt enim periculoſæ plenum opus aleæ, & ultra privati hominis conditionem poſitum, de iis, qui vitam ſuperſtites agunt Principibus, judicium ſuum interponere; tum vero recentior iſta Hiſtoria, non molli brachio, ſed cum cura tractari debet, ac peculiare ſtudium depoſcit.

SYNO-

SYNOPSIS HISTORIÆ VNIVERSALIS.

HISTORIA ANTEMONARCHICA.

MVNDI MILLENARIVS PRIMVS.

MVndum, ſive,

-- *Mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum,*

a Deo, hoc eſt, præſtanti aliqua æternaque natura, eſſe condita, ſi non divinarum literarum perſuaderet autoritas, ipſa illorum pulchritudo, faterinos compelleret. Quæ omnia, etſi ſummus Artifex, perfecta & abſoluta uno momento creare poterat, paulatim tamen, *ſex dierum intervallo*, quod *Hexaëmeron* communiter appellant, elaborare, & exornare maluit.

Quid vero, quoque die, ab ipſo peractum fuerit, memoriæ ſuppeditant verſus:

> *Prima dies* Lucem; Cœlum *altera*, *tertia* Terram;
> Sidera *quarta*, *ſequens* Piſcem *habet* & Volucrem.
> *Sexta* Animal *quodvis*, Hominemque *ex pulvere terræ*
> *Protulit: at* Requiem, *ſeptima lux tenuit.*

Nimirum, PRIMA DIE, Deus *terram*, terræque circumfuſam *aquarum immenſitatem*, e quibus, velut materia, reliqua deinde formata ſunt corpora, produxit. *Lucem* quoque *primigeniam*, nondum Sole & Sideribus exiſtentibus, effulgere juſſit; quam, qui-

quidam, corpus fuiſſe lucidum quod circuli, aut columnæ ſpecie, orbem illuſtrarit, Sideribusque deinde materiam præbuerit, conjecturant. Alii, indicari volunt luminoſam qualitatem, in medio diaphani ſparſam, tenebrasque abyſſi diſſipantem; quæ qualitas, poſtea Soli & Aſtris fuerit impreſſa. Statuit autem Deus, ut dum lux illa, qualiscunque tandem fuerat, obtineret, ſit naturalis dies, reliquum vero temporis, deputetur nocti. Amplius, prima hac die, una cum *Cœlo*, quod *Empyreum*, & Beatorum Sedem vocant, etiam *Angelos* creatos eſſe, pleríque Scripturæ Interprétes, una cum Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. habito, comfirmant; quamvis Baſilio, Hilario, Hieronymo, aliisque Patribus, aliud viſum; quibus perſuaſum erat, Angelorum creationem, ante Mundi initia contigiſſe. Cæterum, primam in Orbe diem, more Judaico, *a veſpere* præcedente cœpiſſe, & ad rationem anni noſtri Juliani, quaſi in Octobris diem 26. & æquinoctium autumnale ac plenilunium incidiſſe, Joſephus Scaliger cenſuit. Cui opinioni, maturitas frugum, Scripturæ memorata, & Judæorum, ac cæterorum Orientalium, annos ab Autumno inchoandi, conſuetudo, favere videntur. Notandum autem, cum de Anni tempeſtate, quæ mundo coæva, quæſtio inſtituitur, de climate in quo Adamus egit, ſermonem eſſe. Nam, Mundo condito, uno loco Ver, ălio Autumnum, rurſus alio, Æſtătem, alioq; Hyemem fuiſſe, figura ejus orbicularis, & ſiderum motus evincunt.

Secunda Die, *Firmamentum* a Deo paratum eſt. Corpus nimirum illud cœleſte, in quo ſtellæ fixæ poſtmodum collocatæ, una cum æthere & aëre, hic eſt, toto eo, quod a cœlo, ad extremam usque

ter-

terram patet, &, inane vulgo creditur. Firmamento quoq; vis illa indita, ut *ſuperiores aquas ab infimis* ſeparet: non, ut totum ipſum inter ambas medium intercederet, ſed aliqua tantummodo ſui parte, quæ, citima terris, regio aëris infima dicitur. Hæc enim, ut Firmamenti pars exiſtit, hoc eſt, inanis illius exporrecti, ſic, Firmamentum vel Expanſum appellari poteſt. *Superiores Aquæ*, nubes ſunt, medio in aëre ſuſpenſæ, e quibus pluviæ gignuntur: *Inferiores*, maria, fluminaque; quæ, ſequenti die, ortum habuerunt.

Tertio Die, primum Deus *Aquas in unum collegit locum*; imo vero totidem in loca, quod maria, & lacus extiterunt. Nam, exaggeratis in immenſum montibus, & excavatis alveis, aquarum ibi receptacula fecit. Deinde, retectam humum, *herbarum ac ſtirpium viriditate* veſtiri, *arboresq;* juſſit educere. Hac etiam die *Paradiſum* conditum eſſe, credere oportet, ne cæteroqui poſt ſex dierum opus, nova creatio Deo tribuatur.

Quarta Die, Solem, Lunam, & Stellas innumerabiles efformavit Deus, Lucemque primigeniam, quæ, per triduum jam orbem illuminaverat, illis indidit. Voluit autem, ut *triplex* eſſet illorum Luminarium uſus. *Unus*, diſtinctio lucis a tenebris, vel, diei lucidi a nocte: *alter*, ut præberent certarum rerum, menſium puta, annorumque ſignificationem: *denique*, ut de ſuperiore loco, non ſolum tanquam lychnuchi oſtenderent lucem, ſed etiam demitterent in terras, & communicarent inferioribus efficacitatem ſuam.

Quinta Die, *Piſcium* & *Avium* multiplices ſpecies fuere productæ, animantes item ſtupenda vaſtitate, & anguinea ſpecie monſtra, quæ inveniun-

tur in utroque genere: uti ſunt dracones in volucribus, & in aquaticis balænæ.

SEXTA DIE, primo quidem reliqua animantia, *Quadrupedes* & *Vermes*, Dei verbo e terra prodierunt. Omnibus vero jam perfectis, & magnifico hoc orbis domicilio conſtructo, *Homines* demum, *Adamum* nempe & *Evam*, qui tot bonis frui deberent, omnipotens Conditor effigiavit. Atque *Adamum* quidem, ex pulvere terræ effinxit, animavitque divini afflatu ſpiritus: *Evam*, ex coſta lateri dormientis detracta, formatam, illi comparem & adjutricem dedit.

SEPTIMA DIE, Deus ab opere hoc creationis, ſive a productione novarum ſpecierum, *ceſſavit*: non tamen quievit ab operatione illa, qua mundus gubernatur, unde Chriſtus Joh. V. 17. Patrem ſuum uſque adhuc operari teſtatur. Ab illa vero Dei quiete, ſeptimus dies, divino cultui dicari cœpit.

Conditis Hominibus Deus *Hortum* amœniſſimum colendum dedit, *Conjugium* inter eos inſtituit, *Dominiumque Orbis*, & omnium animalium, quibus etiam Adamus, divino mandato, nomina impoſuerat, illis conceſſit. Hortus ille, vulgo *Paradiſi* nomine venit: in Scriptura, ab *Edene*, regione, ceu volunt, cognominatur, eumque in Babylonia, vel, in hujus, & Meſopotamiæ confinio, ſitum fuiſſe, non inanis ſuſpicio eſt. Haud enim alibi Tigris & Euphrates, quos nominatim Moſes recenſet, alveos ſuos committunt.

Iſto in Horto, Deus, cum alias arbores, ad uſum hominis ac voluptatem, tum inſignes collocavit duas; alteram *Vitæ*, alteram *Scientiæ boni & mali*. Prior, ab effectu nomen invenit, quod ei vis ineſſet perpetuæ

tuæ, cum vita fovendæ, ſanitatis. Poſterior, ab eventu ſic appellata eſt, quod ejus deguſtato fructu, ſtatim protoplaſti cogituri erant, diſcrimen ejus boni, quo ante peccatum fruebantur, & mali, quo poſtea impliciti fuere: ſive, quod boni maliq; ſcientiam, illa ex arbore Serpens promitteret. Atque hujus quidem arboris eſu, protoplaſti penitus abſtinere juſſi ſunt. Jam tum magna pars inviſibilium Subſtantiarum, uno quodam malitiæ magiſtro, originis ſuæ fœde oblita, Conditori Optimo Maximo rebellaverat. Dux nefarii agminis, ab inimicitiis in Deum, *Sathanas*, a repertis calumniis, *Diabolus* appellatur. Is, mox ſcelere ſcelus cumulans, dirum quiddam & horribile machinatus eſt. Etenim, conſpicatus hominem in amœniſſimis hortis verſari, ac ſapientia juſtitiaque præditum exacta, toti rerum naturæ, una arbore, ſubjectionis & obedientiæ erga Creatorem ſymbolo, demta, præeſſe, in id conſilium intendit, ut eum obſequio illius abſtractum, ſuarum partium faceret. Quare, *Serpentis habitu* perſonatus, Mulierem aggreditur, eique perſuadere laborat, non ita amari a Deo homines, ut putabant, ſed odio illi eſſe; quippe, quos eſu illius fructus prohibuiſſet, a quo pendebat maxima ipſorum felicitas, cognitio videlicet boni & mali, ac idcirco ſemen ingentis & incredibilis excellentiæ, quam, homini Deus invideat. Mulier, ſtulta credulitate accenſa, paret ſeductori Diabolo, eidemque mox crimini, Adamum, maritum involvit. Sic avulſi a Deo, in nequiſſimi inſidiatoris caſſes pertrahuntur, quos illico perpetrati facinoris teſtes, pudor & ignominia ſubierunt. Quippe, cum antea nil pudendum in ſe reperiſſent, tum continuo, propriæ carnis intuitu, erubeſcentes, mortis & corru-

ptionis præſentiſſima deprehenderunt indicia. Igitur, declinante jam die, Deum in horto ambulantem paventes, arborum latebras quærunt. E quibus, illius voce protracti, cum conſcientia arguente, culpam negare non poſſent, eam excuſare nituntur. Ibi Deus, majorem ſuæ miſericordiæ, quam facinoris eorum, rationem habens, minime eos Diabolo inimico excruciandos tradidit, ſed malorum autorem exſecratus, e *Muliere ſemen* oriturum prædixit, quod caput ejus contereret, hominemque interim, inſultibus ejus obnoxium, perfectæ libertati felicitatique vindicaret. Cæterum, homines e Paradiſo ejectos, multo ſequioris conditionis fecit, quod bonorum ſuorum incurioſi, meliorem, moderato & obedienti animo, ferre non potuerant; cum prius *tunicas pelliceas*, ut pudori illorum conſuleret, ac ut adverſus æſtum & frigus deinceps ſe tueri poſſent, illis paraſſet.

Quam diu primi homines in felici ſuo ſtatu egerint, quia Sacra Scriptura non exprimit, ideo quidam conjecturis indagare conati fuerunt. Ergo aliqui huc evadunt, tot annos protoplaſtos in Paradiſo commoratos, quot *Chriſtus vixerit*, qui morte ſua luit, & ſuſtulit hoc peccatum. Alii, tot duntaxat, *quot ille jejunavit, dies*, quo protoplaſtorum compenſaret intemperantem edacitatem. Rurſus alii, *octavo a creatione die*, Sabbathi veſpera, poſt hebdomadam, lapſos opinantur, ut ſic, quo hebdomadis die mortem paſſus eſt, eodem, parentes primos peccatum, ejus mortis cauſam, admiſiſſe, ſuſpicentur. Nec deſunt, qui *decimum ſeptimi menſis* apud Hebræos diem, huic tribuant peccato, quem, peccatorum expiationi, Moſes, Dei juſſu, dedicavit. Maxime

veriſimile

veriſimile eſt, *tempore admodum exiguo*, beatitate ſua gaviſos eſſe protoplaſtos. Nec enim videtur credibile, invidia flagrantem Sathanam, cunctatum eſſe, aut, diu ſe continere potuiſſe, quin primo quoque tempore, hominem invaderet, ſuisque dolis oppugnaret. *Erat* enim *homicida & mendax a principio*, Joh. VIII. 44. id eſt, a primo, quo conditus eſt Adamus, die. Duo præterea ſunt, quæ moram non ferebant, e quibus neutrum eſt factum in Paradiſo. Scilicet, *liberis procreandis* operam nondum Adamus ante lapſum dederat Gen. IV. 1. quamvis benedictione divina jam pridem inſtructus: nec de *Arbore vitæ* guſtaverant protaplaſti, quanquam unus omnium is fructus erat maxime optabilis. Horum ab alterutro, imo & utroque, cur multis horis, nedum diebus abſtinuerint, cauſam idoneam nemo facile excogitaverit. Quidam exiſtimant, inde colligi poſſe, lapſum, a creatione, perparvo temporis intervallo abfuiſſe, quia Eva nondum experimento exploratum habebat, minime ſerpentibus conceſſam loquendi facultatem, fugitura cæteroqui, ſi, quod res eſt, edocta fuiſſet, miſcentem ſecum ſermones ſerpentem.

ADAMUS.

Adamus, qui ab אדמה *terra*, nomen accepit, e Paradiſo ejectus, terram colere cœpit, & ex Conjuge, quam, quod viventium omnium mater futura erat, ſuavi appellatione *Evam* vocavit, liberos procreare.

Sunt inter Judæos, quos inter Abeneſra quoque, qui ex male intellectis verbis Gen. 1. 27. in quibus jam creati ſimul hominis fœminæ mentio, cum de Evæ formatione

tione cap. II, 22. demum ſequatur, contendunt, Adamum & Evam creatos fuiſſe non ſeparatos, ſed *bifrontes*, & adeo *androgynos* ac concorpores, ſic, ut Adam & Eva invicem cohærerent, tergo & lateribus eorundem individuo glutinio connexis. Igitur, quod nos, *coſtam*, exponimus, ipſi *de latere* accipiunt, ajuntque, Deum, deinde latera, ſive corpora diſſecaſſe, ac unum ab alio ſeparaſſe: quia vero partes illæ plenæ erant ſanguine, ideo, in locum, carnem fuiſſe ſubſtitutam. Neque alienus fuit a monſtro hoc opinionis, Menaſſe, in Conciliatore, pro eo confirmando, tum Platonicam fabulam conſimilem, tum verba Pſ. CXXXIX, 5. *retro & ante formaſti me*, adducens. Iſta tamen, ad protectionem hominis producti potius attinent, atque ſi illud vellent, quod Menaſſe inde exſculpere conatur, omnino Davidem ipſum, portentum ejusmodi horrendum, informe, ingens, fuiſſe prædicarent; loquitur enim David de ſeſe, nec de primæva creatione, vel vola ibi, aut veſtigium.

Noſtra memoria, in Gallia repertus eſt, mihi familiariter notus, *Iſaacus Peyrerius*, qui, peculiari libro, operoſe demonſtrandum ſibi ſumſit, ante Adamum, alios homines, a Deo e terra fuiſſe conditos, a quibus Gentiles genus duxerint, & Adamum, tantum Judæorum, non autem omnium hominum ſimpliciter, patrem fuiſſe. Eſſe proinde Gentiles, a Judæis, toto genere diverſos. *Fundamentum* ei præcipuum, tum illud ipſum, quod Scriptura homines ante Adamum creatos commemoret, tum in Paulinæ ad Romanos Epiſtolæ capitis V. verſibus 12. 13. 14. e quibus inferebat, ante legem Adamo la- [illegible] ac proinde ante Adamum, fuiſſe homines, quibus,

bus;, licet peccantibus, peccatum non ſit imputatum, cum nulla tum lex exiſteret, moriendum tamen fuerit naturali neceſſitate. Sed vero, creatio hominum ad imaginem Dei, Geneſ. I, 27. memorata, haud eſt alia, a creatione Adami & Evæ, de qua c. II, 7. 18. ſeqq. agitur, & tantum, quæ prius ſtricte & generatim per πρόληψιν dicta fuerant, poſtea latius & exactius deſcribuntur. Nimirum, quæ Ticonii, apud Auguſtinum l. 3. de Doctr. Chriſt. c. 36. Regula eſt: *Divinæ Scripturæ mos eſt, aliqua per anticipationem narrare, ut ſcilicet antequam facta fuerint, quodammodo perfunctorie narrentur, ut poſtea, ſuo ordine, res quæq; geſta latius deſcribatur.* Atque ſic Exod. XVI, 33. ſeqq. per πρόληψιν ſimilem, de aſſervatione Mannæ, narratur: quæ utique non niſi erecto jam tabernaculo, conſtructaque Arca, in cujus lateribus Manna, & Virga Aharonis aſſervabantur, facta ſunt. Illo autem loco, Moſes, totam hiſtoriam de Manna, συλλήβδην contexere voluit, unde & v. 36. tempus quo pluere deſiit, indicat. Jam vero I. cum Moſes dicat, *Deum quieviſſe ſeptimo* die ab omni opere ſuo, quod patrarat; fieri non poteſt, ut poſt hexaëmeron, & multorum ſeculorum intervallum, produxerit Adamum & Evam. Amplius II. *Adamum, primum hominem*, reliquorumque omnium patrem fuiſſe, ſemper, & ab omni ævo, crediderunt non Chriſtiani tantum, ſed & Judæi ac Muhammedani; ſermone quoque trito, omnes homines, appellatione filiorum Adami fuere deſignati. At, *primum quodq;*, ut Tertullianus ait, *veriſſimum.* Ac mirum foret, veritatem tanti momenti, ante natum Peyrerium, nulli mortalium innotuiſſe. III. Diſerte dicitur Gen. II, 5. ante crea-

tum Adamum, *nullum extitiſſe hominem*, ad colendum terram. IV. Si diverſam creationem commiſcamur, non conſtabit de Adamo, eum conditum eſſe ad *imaginem* Dei, nam id Gen. I. de priore tantum hominis creatione memoratur: nec de præadamitis verum erit, eos præditos fuiſſe *anima rationali*, nam Gen. II, 7. demum dicitur, Deum in nares Adami inſufflaſſe ſpiraculum vitæ. V. Chronologia ſacra, ordine analytico, deſinit in Adamo Luc. III, 38. & ſynthetico, ab Adamo orditur Gen. V, 1. ubi LXX. Interpretes, habent: Βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων, *Liber generationis hominum.* VI. Si jam tota terra, a multis ſeculis, plena erat hominum utriusq; ſexus, non poterat Adam cenſeri *ſolus*, quamdiu conjugem nondum erat nactus. VII. Cum *certis nominibus* beſtiæ nec inſignitæ nec cognitæ eſſent ante Adamum, qui, pro ſapientia, quam a Deo conſecutus fuerat, primus illis nomina indidit Gen. II, 19. non concipiendi homines ante ipſum: tales enim ſi extabant, animantibus utique nomina impoſuiſſent, quippe, quod ex Gen. I, 18. omnimodum imperium in illa nacti. VIII. Adamus, conjugem *Evam* appellavit, tanquam futuram matrem omnium viventium, Gen. III, 20. quo nomine indigna erat, ſi ſola gens Judaica ab illa ducit originem. IX. *Paulus* Act. XVII, 28. Arati verſum citans, genus ſibi commune tribuit cum Gentilibus, quod dicere non poterat, ſi Gentiles diverſi erant a Judæis. Neque ſic etiam verum fuerit illud Florentini JCti l. 3. π. de Juſt. & Jur. ideo hominem homini inſidiari nefas eſſe, quod natura inter nos cognationem quandam inſtituerit. X. Quin & Paulus I. Cor. XV, 45. 47. 48. 49. *Adamum, primum hominem* appellat: idem, ibidem c. XI, 8. reſpectu univerſi hominum

num generis obſervat, quod *vir non ſit ex muliere, ſed mulier ex viro*: reſpiciens manifeſto, ad ordinem ſervatum in Adami & Evæ formatione, ut hac ratione ſequiorem ſexum conditionis ſuæ admoneat, & mulierem viro ſubjiciat. Sic & 1. Tim. II, 13. viris præeminentiam ſuam vindicaturus, inculcat, *Adamum priorem formatum fuiſſe*, deinde Evam. Nihil concludebat autem hoc argumentum apud Gentiles, quibus loquebatur, ſi mares & fœminæ ſimul e terra proruperant.

Cæterum, quod *ad locum epiſtolæ ad Romanos cap. V.* attinet, non loquitur is, de lege Adamo lata, ſed de lege Moſaica, hæc enim ſola, in ſacris Lex abſolute dicitur. Oſtendit ergo Apoſtolus, antequam *lex* Moſaica ferretur, legem ponendam, cum ante Moſis legem homines ſint mortui, mors vero peccati ſtipendium ſit, peccatum autem nihil aliud quam legis transgreſſio.

Sed ad ipſum Adamum ut revertamur, exceſſit ille e vivis, poſtquam annos 930. vixerat. Monendum hic, eſſe aliquos, qui exiſtimant, *Annos, quos Scriptura, Adami, reliquorumq; primævorum hominum vitæ aſſignat, perbreves fuiſſe*, ita, ut decem eorum unum noſtratium adæquent. Hæc autem opinio erronea eſt, quia ſic ſequeretur, quemlibet iſtorum annorum tantum 36. dierum, atque ſic unius circiter menſis fuiſſe, cum tamen Scriptura Geneſ. VII. & VIII. primi, ſecundi, ſeptimi, & decimi ejusdem anni, menſis, mentionem faciat. Neq; eſt, ut quis dicat, Menſes illos, ad annos peræquam habuiſſe proportionem. Scilicet, Geneſ. VII, 11. & VIII, 4. fit mentio diei 17. & cap. VIII, 14. diei 27. unde colligas, tam menſes illos, quam annos, fuiſſe

menſibus lunaribus, annisque ſolaribus plane ſimiles. Præterea, ratio flagitat credere, Scripturam Sacram ſemper loqui de annis uniformiter, cum nihil ſit quod diverſum ſuadeat. At, quemadmodum dicit Adamum vixiſſe annos 930. ita etiam dicit Deuteron. cap. ult. v. 7. Moſen vixiſſe annos 120. & 2. Sam. V, 4. Davidem 70. annis fuiſſe ſuperſtitem, cum 30. annorum fuerit imperium indeptus, regnaveritque annis 40. Conſtat interim, æque Davidem ac Moſen in ſenectute mortuos eſſe. Nam, de poſteriore, loco Deuteronomii citato, tanquam quid in ſenecta mirandum, ſubditur, quod non caligarint oculi ejus, nec dentes loco moti ſint. De illo vero, legimus in libri primi Regum initio: *Et Rex David ſenuerat, habebatq; ætatis plurimos dies, cumq; operiretur veſtibus; non caleſiebat.* Quod ſi vero anni 120. Moſis, & 70. Davidis fuiſſent ſinguli dierum tantum 36. ſequeretur, Moſen non expleviſſe annum ex noſtris duodecimum, nec Davidem ſeptimum, & minime ſenectutem attigiſſe. Quin, ſi maxime dicti anni fuiſſent trimeſtres, ut apud Arcadas, teſte Solino in Polyhiſt. aut quadrimeſtres, ut quondam apud Ægyptios, eodem Solino tradente, nec ſic tamen dici potuiſſet, Moſen & Davidem in ſenectute deceſſiſſe, nec enim Moſes annos ex noſtris 30. aut 40. David 21. aut 28. exceſſiſſent.

Cæterum, Jacobus Edeſſenus, inter Syrorum Scriptores non ignobilis, memoriæ prodidit, Noachum, *Adami oſſa* ad ſeſe in Arcam recepiſſe, &, poſt ſiccatum a Diluvio orbem terrarum, illa inter tres filios cum orbe ipſo diſtribuiſſe, Semoque, quem anteferebat cæteris, calvariam donaſſe; & cum ea regionem illam, quæ poſtea Judæa fuit appellata.

Ad-

Addunt alii, *Adami Calvariam*, in monte *Golgatha* fuiſſe ſepultam, ubi poſtea crucifixus eſt Dominus noſter, & in quo Abraham, Iſaacum filium immolare juſſus eſt, atque hinc montem illum Calvariam dictum; nec aliunde manaſſe conſuetudinem, pingendi, ſeu fingendi, ad imum crucis Chriſti, cranium mortui hominis, cum aliquot oſſibus, ut indicetur, quod quemadmodum olim oſſa Eliſæi Prophetæ, per ſimplicem contactum, ſuſcitaverunt cadaver exanime; ſic Chriſti ſanguinem, ſuper oſſa Adami ſtillantem, vitam ei, ac poſteris illius, conciliaſſe æternam.

S. Hieronymus, Adamum non in monte Calvariæ ſed in *Hebron* conditum fuiſſe aſſeruit, cum Joſuæ XIV. in fine legatur: *Nomen Hebron antea vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*. Hebræos vero ſi audimus, *Spelunca duplicata*, quæ poſtea Abrahamo & Saræ, eadem prius, Adamo quoq; & Evæ, conditorium præbuit, ipſo Deo cadaver illius ſepeliente.

Adamum, *de peccato admiſſo doluiſſe*, ac veniam vitamque æternam conſecutum eſſe, S. Auguſtino, in epiſt. 99. teſte, communiter Eccleſia credit, refragantibus tamen olim Tatianis hæreticis, atque nunc etiam nonnullis Chriſtianis Scriptoribus, provocantibus ad Rom. V. & 1. ad Cor. XV. ubi Apoſtolus Adamum Chriſto opponit; illum, mortis ac damnationis, hunc, vitæ, &, ſalutis æternæ autorem faciens. Sed dicendum, ibi Apoſtolum, Adamum non ut pœnitentem, ſed primum peccatorem conſideraſſe.

De *Evæ obitu*, ſilet Scriptura; quem nihilo ſecius quidam conjecturis indagare ſtuduerunt, illum, in *decimum*, poſt Adami mortem, annum, conjicientes.

CAIN

CAIN.

Petrus Comeſtor lib. 25. Hiſtor. Scholaſt. refert, S. Methodio Martyri revelatum fuiſſe, Adamum & Evam cum de Paradiſo terreſtri virgines exiiſſent, poſt annos 15. genuiſſe *Cainum* primogenitum, & ſororem ejus *Calmanam*: rurſus, poſt annos totidem, procreaſſe *Abelem*, cum ſorore *Delbora*. Poſt hæc, anno vitæ Adami 130. Cainum occidiſſe Abelem, quem parentes planxerint annis 100. & poſt planctum genuiſſe *Setbum*, qui ſecundum LXX. Interpretum verſionem, natus ſit anno 230. patris. Magis credibile evadit, Cainum, anno a lapſu proximo, natum eſſe, qui, ceu fert majoris partis Interpretum opinio, a matre ſic appellatus fuit, ut gratitudinem ſuam erga ſupremum Numen, atque liberos, (quod David Pſalmo quoque CXXVII, 3. affirmavit) Dei hereditatem eſſe profiteretur.

Anno vertente, ABELEM Eva peperiſſe videtur, ut mox a partu iterum conceperit, eademq; ſimul & prægnans fuerit & nutrix, vigore naturæ ad utrumq; ſufficiente. Cum Cain & Abel adoleviſſent, ille *agricultura*, hic *paſtione pecorum* vitam exercuit. Sed Caino mala mens, malus animus: *Abel* (ut cum Joſepho l. 1. Antiq. c. 3. loquamur) *juſtitiam colebat, & omnibus actionibus ſuis Deum præſentem ratus, virtuti operam dabat.* Meruit ergo ut Salvator quoque noſter, ipſum τὸν δίκαιον, *juſtum*, Matth. XXIII: appellarit. Cæterum, cum par illud fratrum, *ſacrificandi ritum* Creatori placere cognoviſſet, ad memoriam nimirum promiſſionis, de ſemine mulieris Sathanam contrituro, conſervandam, ſtato eum tempore ambo exercere conſtituerunt. Ibi vero Deus, cordium ſcrutator, Abelis ſacrificium, *igne*, ceu

volunt,

volunt, cœlitus demiſſo, (& qua ratione poſtea Aaronis Lev. IX. Gedeonis Jud. VI. Davidis 1. Paral. XXI. Salomonis 2. Paral. VII. Eliæ 1. Reg. XVIII. Nehemiæ 2. Maccab. I. ſacrificia ſibi grata eſſe declaravit,) approbat, Cainum aſpernatur, addita comminatione, ni deinceps, pravis, quas animo concepiſſet, cupiditatibus, reſiſtat, ac pietatem juſtitiamque colat, pœnas peccati ejus haud ſemper quieturas. Ille vero tantum abfuit, ut divino monitu reſipiſceret, ut paulo poſt fratri nihil mali metuenti, *vitam* in agro Damaſceno (inde locus rubere creditur) *nefarie ademerit.* Id, qua ratione factum fuerit, haud perſpectum habetur. Pictores, manum Caini *mandibula* armant. Salianus, ſuſpicatus eſt, præſto illi fuiſſe *ruſticam aliquam ex agricultura furcam, ſive ea lignea, ſive ferrea fuerit, quamque ſecum de more ſine ſuſpicione tulerit.* Ab Hebræis proditum eſſe, quod Cain Abelem *dentium morſibus* dilaniaverit, Toſtatus annotat. Licebat quoque opinari, Cainum tanquam agricolam, & labori aſſuetum, *manu robuſtum fuiſſe*, atque ſic Abeli, minus viribus pollenti, quique ideo gregibus paſcendis ſe dederat, *fauces præcluſiſſe*, vel certe arrepto *ſaxo* caput ei eliſiſſe. Cæterum Deus, ſcelerum ultor, in Cainum parricidam ſevere animadvertit, terram, quam ſanguine fratris inquinaverat, ſterilem reddens, ipſum vero, vagum, palantemque, & conſcientiæ ſtimulis agitatum, oberrare juſſit, Signo tamen, quod quibusdam continuum *corporis tremorem*, aliis, *canem*, nonnullis, ה quintam Alphabeti Hebraici *literam*, Judæis, *Cornu* in fronte fuiſſe, viſum eſt, ipſum notabilem reddidit, quo conterriti, eum omnes refugerent & a cæde abſtinerent, ut ſic diutiſſime exemplum mortalibus præberet, di-

vinæ

vinæ vindictæ vitamque haberet ſupplicium, mortis ſolatio frui prohibitus.

Sic genus vivendi agreſte & ferum Cain amplexus eſt, filiosque deinde ac nepotes ſibi ſimillimos vidit, urbemque, ubi ſe contineret, & undé alios infeſtaret, *Hanochiam*, a filii primogeniti nomine dictam, ſive in Babylonia, ſive in extrema Indiæ regione Cambaja, ſive, quæ Beroſi mens, circa Libanum condidit. Philo, ſeptem omnino urbes excitaſſe illum perhibet, & Auguſtinus, unam *Cainam*, ab ipſo Caino dictam memorat. Amplius Cain, *menſuras & pondera* inveniſſe, primusque limites agris poſuiſſe, ſuosque, in unum collectos, militiam docuiſſe, dicitur. Non prætereundum, in eo quoque, quod ipſa Scriptura Gen. IV. 17. dicit, Cainum *ædificaſſe civitatem, vocaſſeque nomen ejus, ex nomine filii ſui Henochi*, Iſaacum Peyrerium errori ſuo de Præadamitis quæſiviſſe patrocinium, illos, qui tales admittere nolunt, percontatus: *Sed quibus architectis & fabris Urbem illam poſuit Cainus? Quibus civibus illam compoſuit? ſi non accerſiti operarii, ſi non aliunde, quam ex familia patris ſui Adami, deducta colonia, quæ urbem ſuam habitaret?* Enim vero, reſponſum ſibi habeat, quod Salianus in Annalibus Eccleſiaſticis ad A. M. 130. antequam cum Myrmidonum Dolopumve catervis Peyrerius in ſcenam prodiret, jamdum ſcripſerat: Ex eò quod Cain verebatur, ſe a quocunque in quem incideret, occiſum iri, *facile intelligitur, vehementer jam amplificatum fuiſſe genus humanum, ut quocunque profugeret, illic homines inventurus eſſet, a quibus de vita periclitari poſſet. Nam, de homine agi, indicat pœna divinitus impoſita occiſori Caini, quæ in beſtiam aliquam*

aliquam minus conveniret, ut notavit Cajetanus hoc loco. Neq; mirum eſt intra 130. annos mundi, quando occiſus eſt Abel, ut diximus, multiplicatos fuiſſe homines, usq; ad multa centena millia hominum, cum filii Iſraël, intra 215. annos, quos in Ægypto poſuere, usq; ad ſexcenta millia virorum, qui arma ferre posſent, excreverint, non numeratis mulieribus neq; parvulis. Id autem facillimum fuiſſe, intelliges ex progreſſione logiſtica Temporarii de filiis Cham.

Tandem, ſi parvæ Geneſi, quam Cedrenus allegat, credendum, *ruina domus* oppreſſus periit Cain, etſi alii aliter de mortis genere ſenſerunt, ceu infra indicabimus.

De reliquo, *mos*, *offerendi animalia*, *frugesq; Domino*, ſive ſacrificia ex animalibus, & libamina ex frugibus, a primis illis duobus fratribus, poſtmodum tranſivit ad poſteros, &, uſu receptus ab univerſis pæne mundi nationibus, perſeveravitq; usque ad adventum Chriſti, qui, morte ſua, ſacrificiorum, cujus figura erant, ceremoniam antiquavit.

Monſtrant Palæſtinæ incolæ etiamnum *ſpecum*, in qua Adamum & Evam, filium Abelem, a Caino interfectum, centum annis fleviſſe perhibent, ubi viſuntur lecti eorum ſaxei, 30. pedes longi, & fons, cujus latices hauſiſſe creduntur.

SETH.

Anno mundi 130. Eva, Adamo, alium filium peperit, paterni, ut peccati, ſic & pœnitentiæ & pietatis heredem, quem *Sethum* nominavit, hoc eſt, *Repoſitum.* Eum enim loco Abelis Deum ſibi repoſuiſſe, vel, (ut exponunt alii,) firmum poſuiſſe ac ſtabilem, quem nullus trucidaret parricida, gaudenter profeſſa

eſt. Conjugem ejus, Sethiani Hæretici, *Horæam* dictam fuiſſe aſſeruere, Epiphanio teſte; ſed cui illa, *Azura*, Cedreno vero *Aſua* vocatur.

Joſephus l. 1. Antiq. c. 3. Sethi filios primos inventores facit *Aſtronomicarum ſcientiarum*, additque, quod, cum ſcirent, Adamum prædixiſſe duos univerſales mundi interitus, unum diluvio, alterum incendio; ipſos veritos, ne inventa ſua prius perirent, quam pernoſcerentur, excitatis *duabus Columnis*, utrique ſua inventa inſcripſiſſe, ut, ſi lateritiam diluvio deleri prius contingeret, lapidea ſuperſtet, & hominibus qui ab ipſo evaſiſſent, diſcendi copiam faceret, quæque inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet. Si vero contra prius ab igne, lapidea in calcem diſſolveretur, lateritia, inventas ipſorum obſervationes, olim poſteris ſuppeditaret. Sed hoc, tanquam commentum, alii explodunt.

Adamum, præter Cainum, Abelem, & Sethum, adhuc alios liberos procreaſſe utriusque ſexus, Scriptura Gen. V, 4. diſertis verbis indicat: nomina autem illorum exprimere neglexit. Quin nec Sethi aliam ob cauſam meminit, quam quia per ipſum, Noachi & Abrahæ genealogia deducenda erat: itemque, quia in Sethi poſteritate continuata Adami progenies, & humanum genus, per omnes terras erat propagandum. Reliquos enim homines omnes, qui ex Caino, aliisve Adæ filiis prognati fuere, univerſos tandem diluvium extinxit.

Congeram nunc, veris falſa, ſeveris amœniora, miſcendo, hic in unum, ut tuum, MI FILI, caput animumq; demulceam, Judæorum, de creatione Orbis, de Protoplaſtorum, horumq;

rumq; filiis, fabulas & fabellas, quia ſuaves ſunt, & multum delectationis tibi afferent; faciamq; idem in recenſendis ejusmodi ineptiis imposterum quoq;. Illas igitur effuſe rideas licet, ſed ea lege atq; omine, ut poſtquam ridendi ſatias eſt, iis in rem quoq; utaris tuam. Namq; hæc talia,

-- Non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.

Et vero, in ſimilibus inter Chriſtianos memoriæ conſignandis, S. Hieronymus in Traditionibus in Geneſin, & alibi, ſuo jam olim præceſſit exemplo. Obſervabis igitur primo, falſitatem iſtarum nugarum ſubinde arguere, ipſas quibus implicitæ ſunt mutuas contradictiones, ſic enim a ſe invicem diſſentire ſolent mendaciloqui. Proderunt amplius tibi inſigniter, ad oſtendendas Muhammedis impoſturas, & vanitatem, ejus quoq; religionis, quam ipſe commentus eſt, cum in Alcoranum (nam hunc quoq; in partes vocabo) frequenter nugamenta iſta translata fuiſſe, & Pſeudovati laboranti, Judæos deliros frigidam ſuffudiſſe animadvertes. Erunt inſuper fortaſſe multis malis, aliqua bona, veriſimilia certe, interdum involuta, quæ, tibi vindicabis, monitus S. Hieronymi, qui rurſus laudandus, præcepto noto, quo, ſapientiam quod ſapit, ſemper, & ubivis locorum ac gentium jubet conſectandum eſſe, ſimilitudine exoticæ mu-

lieris, ab Hebræis quondam in bello captæ, quam, unguibus capilliſq; reſectis, pro uxore habere licebat, id confirmans. Memento quoq;, Deum piis precibus obteſteris, ut tandem ἐνέργειαν πλάνης, *quibus Infidelium, & inter hos, maxime Judæorum, mentes urgentur, libens volens propitius ac miſericors, imminuat & tollat, quo ſic* μία ποίμνη *nobiſcum evadant.* γένοιτο! γένοιτο!

Eliæ vaticinium habetur: Sex annorum millibus *mundus durabit.* Bis mille annis erit *inanitas* quædam, & legis carentia. Bis mille annis *Lex* vim ſuam exeret. Bis mille annis *Meſſias* dominabitur.

Antequam Mundus crearetur, tantum erat *Deus*, & *Nomen* ejus. Cum vero propoſuiſſet ſibi creare mundum, cælavit ejus exemplar torno, adinſtar Regis, qui palatium exſtruere nititur.

Septem creata ſunt *ante Mundum* conditum. Lex nimirum, Gehenna ſeu Infernus, Paradiſus, Reſipiſcentia, Sanctuarium, Nomen Meſſiæ, & Thronus gloriæ.

Eſt autem *Thronus gloriæ*, Solium Dei, in aëre ſuſpenſum, coloris ſapphirini, quatuor habens fulcra, quibus quatuor ſancta Animalia Ezech. I, 6. ſeqq. depicta, adhærent: e quorum regione ſunt rotæ atque orbes currus, quorum ibidem v. 16. mentio fit. Huic inſidet Numen, coronam capite geſtans, ejusque oculi per univerſum orbem diſcurrunt. A dextra ejus, Vita eſt, a ſiniſtra Mors. Sceptrum ignitum manu tenet: pro Scabello pedum, ſunt Ignis & Grando. Ex ſtridore rotarum, proveniunt fulgura & tonitrua.

Terra, creata eſt ex nive, quæ eſt infra Thronum gloriæ, quam Deus ſumpſit ac diſperſit ſuper aquas,

& coa-

& coagulatæ ſunt aquæ, indeq; factus eſt pulvis. Eſt vero *denſitas terræ*, iter ſex annorum.

Animæ omnes, quæ, ad finem usq; mundi, corpora humana ſubintraturæ ſunt, die prima productionis rerum creatæ fuere, & quidem compares ſemper, una viri, altera fœminæ. Atque hinc fauſta evadunt conjugia, quando animarum, creatione ſociarum, fit conjugatio, infauſta contra, cum diſpares copulantur, &, quæ aliis jungendæ erant.

Angeli, creati ſunt die ſecundo. Illos cum emittit Deus, verbo ejus fiunt venti: cum autem ſerviunt coram ipſo, fiunt ignis, prout dicitur Pſal. CIV. 4. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus; miniſtros ſuos ignem flammantem.*

Omnium *Arborum ligna*, cremandis ſacrificiis, quæ Supremo Numini offerebantur, apta erant, *Vite* tantum, & *Olea* exceptis. Nimirum, quia iis arboribus prognatis, Vino atque Oleo, præ omnibus fructibus cæterarum arborum, in ſacrificiis uſus erat, ligno earundem parcere jubebat religio.

Quæcunq; *Animalia* Deus creavit, ea creavit maſculum & fœminam, atque ſic cetum illum ingentem *Leviathanem*, ſimiliter utriusque ſexus creavit. Sed ne mas & fœmina, ſeſe commiſcendo, genus propagarent, atque propter immenſam illorum magnitudinem, orbis deſolaretur, Deus marem eviravit, fœminam vero ſalivit, juſtisq; & piis in diebus Meſſiæ epulandam dabit: ſecundum illud Eſ. XXVII. 1. *Cetum qui in mari eſt, occidit.*

Eadem eſt ratio Bovis ingentis *Behemot*, qui, quotidie mille montes depaſcitur, totumque Jordanem epotat.

Deus, creando *Hominem*, collegit pulverem e *quatuor terræ angulis*, videlicet rubrum, nigrum, album, & viridem. *Ruber* pulvis, factus eſt ſanguis: *niger*, fuit pro viſceribus: *albus*, pro oſſibus & nervis; *viridis*, factus eſt corpus. Atque hoc ideo fecit, ne, ullo in loco morituro homini, dicere poſſet terra, non eſt a me pulvis corporis tui, non recipiam te.

Duodecim ſunt horæ diei. *Prima hora*, congesſit Deus pulverem hominis: *ſecunda*, ſubegit eum maſſæ inſtar: *tertia*, artificioſe efformavit corpus: *quarta*, infudit ei animam: *quinta*, conſtituit hominem ſuper pedes: *ſexta*, Adamus omnibus rebus creatis indidit nomina: *ſeptima*, in uxorem illi data fuit Eva: *octava*, præcepta data ſunt de fructibus arboris: *nona*, duo conſcenderunt lectum, & quatuor exinde egreſſi ſunt, præter Adamum nimirum & Evam, Cain, & ſoror ejus: *decima* hora, introduxit Deus Adamum & Evam in hortum, atque mox commiſere ſcelus: *undecima*, judicati, &, *duodecima*, expulſi fuere ex horto.

R. Elieſer dicit, Adamum & Evam, cum cubito ſurrexiſſent, tum ſimul egreſſos eſſe Cainum cum ſorore, & Abelem, cum ſororibus gemellis duabus.

Statura Adami, erat *ab uno fine mundi usq; ad alterum*, ſecundum illud Pſ. CXXXIX. *a tergo & fronte formaſti me*: nam, *tergum*, deſignat occidentem; *frons* vero, orientem. Quin & pertingebat *ab ima terra, ad cœlum usq;*. Eum cum viderent Angeli miniſtratores, commoti ſunt, timueruntq; ſibi. Quamobrem Deum adeuntes, dicebant: Mundi Arbiter, ſiccine ergo duæ ſupremæ poteſtates ſunt in mundo?

Tunc

Tunc Deus poſuit manum ſuam ſuper caput Adami, ejusque ſtaturam ad mille cubitos imminuit.

Fuit autem creatus Adamus *circumciſus*, ſine præputio; quod tamen poſtea nefarie ſibi attraxit, unde poſteri ejus præputiati naſcuntur.

Vtebatur Adamus præceptore Angelo *Raſiele*, ſcripſitque librum, *de intercalatione anni*, ac *Pſalmum*, qui eſt XCII. numero.

Deus, principio, Adamo maritam dedit *Liliſam*, æque ac ille, e terra creatam. Dicitur enim Gen. I, 27. *Maſculum & fœminam creavit eos.* Hæc autem, quippe ſimilis cum eo originis, morem ei gerere noluit, & dum vim ipſe adhibere conatur, avolavit. De ea re, cum Adamus apud Deum quereretur, miſit ille, *Senoi*, *Sanſenoi*, & *Semangelof* Angelos, qui eam reducerent: ſed illa permoveri non poterat, ut ad Adamum reverteretur. Deus igitur, pro Liliſa, conjugem Adamo ſubſtituit *Evam*, ex coſta ejus conditam, ne obſequium detrectaret. Conſuevit tamen Adamus, cum Liliſa, poſt Abelem occiſum 130. annis. Nolebat enim amplius ſuſcipere prolem morti obnoxiam, atque ex eo complexu, mali genii & dæmones nati ſunt. Dicitur hinc Geneſ. V, 3. *Vixerat Adam triginta & centum annos, & genuit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vocavitq; nomen ejus Seth*, ut prius alios liberos, minime ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, generaſſe intelligatur. Lilis, lamia facta, infeſtat infantes recens natos. Quia vero promiſit Angelis, quos Deus ad ſe ablegaverat, non læſuram ſe, recubantes in locis, quibus nomina illorum inſcripta leguntur, ideo Judæi, per parietes cubiculi, ubi agit puerpera

 partu

partu levata, circulum carbone vel creta circumducunt, & in eo ſcribunt:

אדם חוה חוץ לילית:

Adam & Eva hic ſunto. Lilis haud ingreditor.

In januæ vero parte interiore, nomina Angelorum exprimunt:

סנוי סנסנוי סמנגלוף:

His vocibus, ſimiliter amuleta, & numi, ad mala averruncanda, hominesq; adverſus omnes ictus indurandos, legitima ſideratione, etiam a Chriſtianis procuſi, ſignantur, quales complures vidimus, & iconem exhibuit Amicus quondam noſter, Julius Bartoloccius, Romæ ad Catacumbas Abbas, parte 1. Bibliothecæ magnæ Rabbinicæ p. 71.

Arborem vetitam, ex qua primi homines comederunt, quidam credunt fuiſſe *Ficum*, alii *Vitem*, nonnulli *Citrum*.

Serpens, aſtutum animal, id agebat, ut Adamus ſolus comederet de fructu arboris prohibitæ, ſolusque moreretur, quo ſic *Evam ducere poſſet uxorem*. Aggreditur vero Evam, quia Adamo erat ſimplicior, & ſic magis apta, cui imponeret; ſperans, ea ad comedendum pellecta, ipſam, honoris cauſa, prius Adamo fructum porrecturam, atque ſimul ac ille comediſſet, facile ſe impediturum, ne Eva eodem fructu veſceretur. Captata igitur ſermonis occaſione, percontatur illam: nunquid Deus vobis conceſſit poteſtatem comedendi de fructibus arborum hujus horti? Tum reſpondet Eva Serpenti, verboſe nimis, pro ea, quæ muliebri ſexui ineſt, loquacitate: *De fructu quidem arborum hujus horti comedimus, at de fructu*

arbo-

arboris quæ eſt in medio horti, præcepit nobis Deus, ne comedatis ex iſto, neq; attingatis illum, ne moriamini. Addiderat illud, de non attingendo fructu, de ſuo; neque enim hoc Deus interdixerat: unde Serpens, quaſi forte fortuna id fieret, impellit Evæ manum, ut ſic ad contrectationem fructus prolaberetur, aitq; poſtea, ecce, vides, inquit, nullum ex contrectatione ortum tibi eſſe periculum, ſic pariter nec ex comeſtione quicquam mali vobis metuendum. Deus enim tantum eam ob cauſam vobis præcepit, ne fructu hoc fruamini, quia livoris plenus, veſtram vobis invidet felicitatem, probe gnarus, illum fructum comeſtum, vos illi ſimiles redditurum. Sic facile perſuaderi ſibi paſſa eſt Eva comeſtionem, moræque impatiens, ipſa avide vorat fructum, quin & Adamum non tantum, ſed & quicquid erat animantium eodem cibavit. Hinc omnes eadem ſors manſit, mortis nimirum ac interitus. Sola & unica avis *Chol*, induci non potuit, ut de fructu comederet. Huic ergo conceſſum vivere mille annos; poſtea, tabeſcente corpore, & plumis decidentibus, redigitur ad eam parvitatem, quæ eſt ovi. Ex illis reliquiis, pronaſcitur exſurgitque novum corpus, juſtæ rurſus magnitudinis, & formæ pulcherrimæ, ſimiliter mille annos duraturum.

Adamus, incautus de fructu arboris probibitæ comedit: nec magnum ejus peccatum; virorum enim non eſt inquirere unde uxores nactæ ſint cibos, quos ad comedendum menſæ inferunt, ſed ſecure iis fruuntur. Inde nec ea pœna, quam Deus interminatus fuerat, illum manſit, haud enim ipſa die, qua reatum contraxit, mortuus eſt, ſed diu ſuperſtes vitam egit.

Deus, Adamo comminatus eſt Geneſ. II, 17. *quacunq; die* comeſturus eſſet de fructu arboris ſcientiæ boni & mali, illa ipſa mortem luiturum. Sunt autem mille anni coram Deo ſicut dies unus Pſal. XC. 4. Debuit ergo Adamus mori anno milleſimo exacto. Quia vero præviderat, fatorum lege definitum eſſe, ut Davidem olim a matre conceptum, intra uterum ejus abortus maneat, ideo, quo in lucem edi, & vitali aura frui iſte poſſet, 70. illi annos de ſuis donavit, unde Adamus 130. David 70. annis vixiſſe deprehenditur.

Tunica Adami, quam Deus illi paravit, erat ex pelle, qua exuerat ſe Serpens, &, in ea picta erant, omnium animantium genera. Iſtam ſecum tulit Noachus in Arcam; &, cum inde egrederetur, vindicavit eam ſibi *Cham*, filius Noachi, qui illam reliquit *Nimrodo*. Hanc quoties induebat Nimrod, veniebant omnes beſtiæ atque aves, & concidebant coram eo, illumque conſtituebant ſuper ſe Regem. *Eſau*, frater Jacobi, videns veſtimentum hoc apud Nimrodum, expetiit illud animo ſuo, atque interfecit Nimrodum, ſuſtulitq; ab illo: hinc dicitur Gen. XXIX, 29. *Accepit Rebecca veſtes Eſavi filii ſui majoris, deſideratiſſimas*, hoc eſt eas, quas tantopere ſibi expetiverat. Cum vero venatum abiiſſet Eſavus, dixit Jacobus: Nonne Eſavus impius eſt? decet me potius induere tunicam hanc, ſicque illa ſe veſtivit, & poſtea defodit illam ſub terra, prout dicitur Job XVIII, 10. *Ejus funis in terra eſt abſconſus.*

Deus amputavit *Serpenti* pedes, & maledixit ei præ omni animali & beſtia, juſſitque ut ſeptimo quoque anno exueret pellem ſuam, magno cum dolore, & ſerperet inteſtinis ſuis ſuper terram, cibus vero ejus commutaretur intra viſcera illius in pulverem.

Eva,

Eva, ex Serpente concepit *Cainum*, &, ex illius ſemine, omnes mundi nationes, originem trahunt, ſolis Judæis exceptis, qui Sethum progenitorem habent. *Cauſa jurgii* inter Cainum & Abelem, ex orbis diviſione, quem inter ſe partiti fuerant. Cain dicebat, in parte quæ mihi obtigit, olim ædificabitur *Sanctuarium*, ſed Abel contendebat, id in ſua parte futurum eſſe. Amplius dicebat Cain Abeli, *gemella* ſuperflua, quæ tecum nata eſt, mihi debetur jure primogenituræ. Negabat Abel illam ſe conceſſurum, quod ſecum in lucem edita fuiſſet.

Cain didicerat Adami patris exemplo, quomodo Abel *jugulandus* ſit. Adamus enim jam ante, Deo holocauſtum obtulerat Bovem, cui unum in ſincipite cornu.

Cum Cain ejectus eſſet a facie Dei, pervenit ad quendam locum, in quo erant duo Angeli, quorum unus *Luci*, alter *Tenebris* præerat, perpetuo inter ſe pugnantes: adveniente autem Caino pacem inierunt. Nomen prioris erat *Aphrira*, alterius *Kaſtimon*, eorum quisq; habet alas ſex, unus Bovis, alter Aquilæ figuram refert, ſimulq; uniti, hominem efformant.

Poſtquam Cain peremerat Abelem, *Canis*, qui cuſtodiebat gregem Abelis, tutatus eſt illum adverſus omnes feras agri, & volucres cœli. Aliis magis placet, ab ipſis *Volucribus* cadaver ejus fuiſſe adverſus quadrupedes defenſum, & ideo præ his, hoc præmium eas retuliſſe, ut ex lege Levit. XVII, 13. cum mactantur, ſanguinem illorum pulvere operire neceſſe ſit. Conſidebant autem Abele occiſo, *Adam* & *Vxor* ejus, flentes, & neſciebant quid agendum eſſet Abeli, quia non asſueti erant ſepulturæ. Venit tum illuc *Corvus* quidam, atque ſumpſit unum e ſociis ſuis

mor-

mortuum, quem in terra defodit coram oculis ipſorum. Tum dixit Adamus, ego quoq; faciam, quod fecit corvus ille, ſicque cadaver Abelis obruit terra. Deus vero Benedictus, ob bene meritum, Corvis tribuit mercedem. Nam, cum genuere pullos ſuos, ac eos albos deprehendunt, exiſtimant eſſe ſerpentes, ipſosque deſerunt. Ibi Deus illis de victu proſpicit. Quin &, cum ad Deum crocitant corvi, ut pluviam det ſuper terram, exaudiuntur.

Deus, Caino, ne à quovis obvio trucidaretur, affixit *cornu* in fronte, vel, quod aliis placet, *Canem* ei addidit tutorem. Omnium optime ii ſentiunt, qui exiſtimant, notatum illum fuiſſe in fronte, aut brachio, *litera aliqua* è Tetragrammato deſumta.

Poſtulant hic quoq; locum aliquem, Zabaiſtarum de Adamo fabulæ, prout eas in partem 3. c. 29. libri More Nevuchim retulit Maimonides. Illis igitur ſi quis credit, fuit *Adamus* vir, ex viro & fœmina, ſicut reliqui homines, progenitus. Erat Apoſtolus Lunæ, vocabatque homines ad cultum Lunæ. E terra *Tiſcham*, quæ Indiæ vicina, egreſſus, & terram Babel intrans, multa mirabilia ſecum aſportavit, & inter illa, *Arborem*, flores, folia, & ramos auri habentem: Arborem item talem lapideam; folia inſuper cujusdam Arboris, ejus indolis, ut ab igne non conſumerentur. Ipſa arbor ſub ſe comprehendere poterat decem millia virorum ſtaturæ Adami, & ejus unoquoque folio, duo homines contegere vel, veſtire ſe poterant. Amplius narrabant, ſcripſiſſe Adamum in libro ſuo, eſſe in India Arborem quandam, cujus ramus in terram projectus, inſtar ſerpentis repat: Arborem item aliam, cujus radix habeat formam humanam, & vocem vehementem, ita ut di-

ſtincta

ſtincta verba edat, loquaturque. Item, eſſe certam quandam *Herbam*, quæ, ſi ſumatur, ac in collo ſuſpendatur, Hominem reddat inviſibilem, ut non videri poſſit, quonam ingreditur, vel unde exit; quod ſi vero de illa ſuffitus ſub cœlo conficiatur, audiri in vicino aëre fragores ac tonitrua horrenda, quamdiu fumus ille aſcendit.

In *Nicodemi Evangelio* legitur, quod cum Adam ægrotaret, filius ejus Seth, acceſſerit ad januam Paradiſi, petens ab Angelo Oleum, quo patrem inungeret, ut ad ſanitatem rediret. Huic Angelus plantam e ligno, in quo Adam peccaverat, tradidit, &, ut eam plantaret admonuit, dicens, ſimul ac fructum editura eſſet, patrem ejus convaliturum. Qui, rediens, patrem mortuum reperit, & eum in Ebron ſepelivit. Alii dicunt, illum in eo horto, patrem ſepeliviſſe, ubi Dominus crucifixus & ſepultus eſt, ut cum illo reſurgeret. Seth interim plantam ſeruit ſuper tumulum patris, quæ, in arborem creſcens, duravit usque ad tempora Salomonis, quam ille excidit, &, in domo ſaltus, in ædificio poſuit. Quod lignum Regina Sabæ vidit, cum Salomonem viſitavit, eique per ſpiritum prædixit, quod in ligno illo quidam fuerat ſuſpendendus, per cujus mortem Regnum Judæorum fuerat deſtruendum. Salomo ergo lignum amovit, &, in viſceribus terræ profundius incluſit, quod tamen paſſionis Chriſti tempore, ſupernatavit, & lignum principalius fuit, quo Chriſtus crucifixus extitit.

Alcoranus tradit, Adamum, ex divina inſpiratione, rebus omnibus impoſuiſſe nomina, atque hæc Angelos deinde ab illo avide didiciſſe. Idem, multis in locis aſſerit, Deum præcepiſſe Angelis, Adamum

ad-

adorarent, idque feciſſe omnes, Diabolo ſolo excepto. Hic vero, ut Adamum & Evam de felici illorum ſtatu in Paradiſo dejiceret, ſancte illis jurabat, ſi comederent de fructu arboris prohibitæ, angelis ſimiles, & æternos futuros. Continuo ac morem ei geſſere, veſtium innocentiæ jacturam paſſi, agnóvere nuditatem ſuam. Cæterum cum Cainus Abele fratre occiſo, neſciret, quid cadaveri faceret, a Deo miſſus Corvus eſt, qui foveam in terra fodit, atque ſic mortuos condendi rationem Caino monſtravit.

ENOS.

Sethus anno mundi 230. procreavit Enoſum, quo tempore, quod Scriptura Gen. IV. v. ult. indicat, *cœptum eſt invocari nomen Domini.* Nimirum, Adam, & Seth, (in cujus poſteris manſura erat Eccleſia) ubi corruptos a Cainitis reliqui mundi mores, ex converſatione, imbibi a ſuis poſſe animadverterunt, & labefactari Dei cultum, cujus fuerunt adminiſtri, inde ab eo tempore, ſuos in corpus Eccleſiæ contraxerunt, eodem, alios, prædicatione verbi provocantes, religioſaq; hac obſervatione, nomen ſibi comparantes & appellationem *filiorum Dei.* Eſt igitur locutio hæc ſynecdochica, nam, prius quidem invocavit Adam nomen Domini, ſed in familia: tunc vero invocarunt multi, puta in Eccleſiam, velut in caulam, recepti, a mundi peccantis & ſeducentis conſortio. Judæi, ceu Hieronymus in Traditionibus Hebraicis ſuper Geneſin, annotavit, aliter verba Scripturæ accipiunt, voluntque, quod Enoſi tempore, *primum in nomine Domini, & in ſimilitudine ejus fabricata ſint idola.* Tradunt quoque Judæi, Enoſi tempore, magnam *oceani inun-*

inundationem tertiam partem orbis perdidiſſe, tanquam præludium univerſalis diluvii.

Regna ante Diluvium fuiſſe, a vero minime abludit, ita tamen ut ea potius apud Cainitas, & qui ad eorum mores inclinarunt, quam inter pios, qui paterna, & familiari quadam poteſtate ſuos gubernare malebant, obtinuiſſe, arbitrandum ſit. At *nomina & annos* Regum antediluvianorum tradere velle, fabuloſum videtur, etſi Autores veteres, in Fragmentis Euſebianis, a Scaligero productis, id egerunt. Similiter nec magni facienda Benjaminis in Itinerario narratio, qua perhibet, ſe, cum Alexandriam veniſſet, non procul inde conſpexiſſe marmoreum ſepulchrum, cui omnia avium, aliorumque animalium genera inſculpta erant, cum inſcriptione veteri, quam legere nemo poterat. Fuiſſe conjecturam, Regem quendam antediluvianum ibi ſepultum. Magis enim veriſimile ſit, fuiſſe Obeliſcum aut Monumentum aliud poſtdiluviani Regis, quod literas & hieroglyphicas notas exhibebat.

Magis inepta ſunt, quæ de *Oanne* bicipiti animali, cætera piſce, e cujus cauda adnaſcebantur pedes humanis ſimiles, & cui vox humana erat, quod e mari Erythræo emerſit, & a quo varias artes, literas, agriculturam, architecturam, leges quoque ſuas Babylonii didicerint, narrantur. Item, quod de *Nacrao*, Ægypti Rege, magiæ perito, qui duo idola, fures deprehendentia, in media civitate collocavit: de *Nathra* filio ejus, qui in regione Eluchat tres civitates in columnis poſitas condidit: de *Meſram* fratre, qui leonem ita domuit, ut ei inequitaret, Taliſmata & imagines loquentes conſtituit, & arcem in Oceano exſtruxit: de *Schabikum* item, qui primus canales in

Ægypto

Ægypto fodit, & pyramides erexit, in quibus cum omnibus theſauris ſepultus fuit, a nonnullis, inter hiſtorias antediluvianas, proditum eſt.

K E N A N.

Anno vitæ 90. exacto, Enoſus Kenanem genuit, de quo nihil in Scripturis divinis proditum eſt, præter vitæ illius annos, quodq; Mahaleelis pater fuerit. At apud Joſephum Gorionidem Hebræum l.2. c.11. epiſtola prolixa habetur, quam Alexander M. ad Ariſtotelem præceptorem miſiſſe dicitur, in qua multus de Kenane hoc ſermo; juvat proinde quæ huc pertinent in Latinam linguam convertere & huc afferre in medium, tali ſententia. Scripſit Alexander epiſtolas complures ad Ariſtotelem, præceptorem ac magiſtrum ſuum clariſſimi nominis, & ei narravit quæ ſibi in India acciderant, in quarum una verbis uſus eſt ſequentibus. Cum veniſſem in regionem Perſiakon, quæ Indiæ provincia eſt, ingreſſus ſum Inſulas maris, in iis reperi viros fœminas referentes, qui veſcuntur piſcibus crudis, & in loquela Græco idiomate utuntur. Ii mihi dixere: Ecce in medio Inſulæ hujus ſepultus eſt Rex antiquus, cui nomen Kenan, Enoſi filius. Is vixit ante diluvium, & imperavit orbi univerſo, fuitque vir ſapiens, omnis doctrinæ gnarus, in ſpiritus, dæmonas, & genios poteſtatem exercens. Cumque per eam, qua præditus erat, vaticinandi artem, prævidiſſet, Deum Benedictum in diebus Noachi inducturum orbi diluvium, quæ futura erant tabulis lapideis conſignavit, atque ecce illas tibi Hebraico charactere notatas. In his amplius ab eo proditum eſt, ſua ætate oceanum tertiam orbis partem fluctibus obruiſſe, idemq; factum ævo Enoſi,

filii

filii Seth, nepotis Adami protoplaſti. Idem condidit in Inſula hac civitatem ingentem, muris cinctam, in eaque excitavit munimentum inſigne marmoreum, in quod congeſſit gemmas, margaritas, aurique & argenti vim immenſam. Turrim quoq; ibi ſepulchro ſuo ſuperſtruxit, in duraturam ſui memoriam, ſed nulli mortalium licet eam adire, habuit enim ædificatores ſeptem artifices, magicæ artis gnaros, unde qui muro appropinquat, e veſtigio moritur. Hæc cum mihi narraſſent, diſceſſerunt, navesque ſuas mihi reliquere, duodecim numero.

MAHALEEL.

De Mahaleele quoque, in Scriptura tantum nativitatis & mortis tempora, illoque *Jaredum* genitum eſſe, legimus.

Obiter hoc loco monendum, Judæos, quos Genebrardus quoque ſequitur, arbitrari, illos, quorum nomina in Scriptura, ab Adamo ad Noachum usque recenſentur, omnes, ſolo Setho excepto, fuiſſe *primogenitos*. At, ſi Salianum audimus, *major melior*q; *pars Doctorum, in quibus Auguſtinus, non putat fuiſſe primogenitos.*

JARED.

Jared, Mahaleelem, ceu diximus, patrem habuit, genitor ipſe Henochi, cujus ævo, aſſerente id Methodio, homines valde in *libidinem* profuſi fuere: idemque vitium tam viris quam mulieribus commune erat, ut pæne ad inſaniam verterentur.

Æqualis horum temporum fuit LAMECHUS, *Mathuſaëlis* filius, *Mahujaëlis* nepos, *Iradis* pronepos, *Hanochi* abnepos, atque ſic *Caini* atnepos, neque

alios, præter iſtos, quosque Lamechus ſuſcepit, ex Caini progenie ſigillatim nobis Scriptura nominat, cum Sethi poſteritatis, quod ex ea Meſſias naſciturus erat, catalogum perpetuo texat. Fuit autem Lamechus impietatis avitæ heres & æmulus, unde & *Conjugium*, humani generis fontem, temerare auſus eſt. Cum enim divino inſtituto, uni viro, uni tantum uxori jungi liceret, ipſe *duas*, *Ada* & *Zilla* dictas, duxit, fortaſſe, ut hoc pacto piorum cœtus ſuperaret, ſibique ac ſuis vindicaret mundi poſſeſſionem.

Ejus filii, auſpicia patris ſequuti, totos ſe rebus mundanis manciparunt, vias ac rationes commenti, quibus populos terrarum, qua Marte, qua arte ſibi obnoxios redderent.

Horum primus JABAL, rationem multiplicandorum pecorum & jumentorum monſtravit mortalibus: docuit enim paſtores ſua tuguriola in chiramaxiis ſtatuere, & diſtribuere pecora in greges. Alter JUBAL, a cornibus arietinis ducto nomine, cornibus animalium, aliisque muſicis inſtrumentis, ad lætitiam & bella uti docuit. Tertius TUBALCAIN, (ex quo Gentilibus Dei Vulcani nomen) ferramentorum & armorum faciendorum artem primus adinvenit: cum de prioribus obtineret illud Virgilianum:

-- *Hic torre armatus obuſto,*
Stipitis hic gravidi nodis, quod cuiq; repertum
Rimanti telum ira facit.

Quanquam, fieri poteſt, ut per *inventionem*, tantum Scriptura intellectam velit *culturam* aliquam, & expolitionem iſtarum artium, qua ad voluptatem majorem, aut uſum quendam novum illas traduxerunt homines nequam, qui piis ſemper ſolent eſſe ſo-

lertio-

ſertiores. Cæteroqui Adamo potius hæc laus debetur, quod ipſe a Deo edoctus, artium principia poſteris ſuis commonſtraverit.

Tubalcaini germana ſoror fuit *Noëma*, quam, textoriam artem reperiſſe exiſtimant.

Extat *Hebræorum antiqua traditio*, poſt Hieronymum, Rabano quoque, Strabo, Lyrano, Cajetano, aliisque probata, &c, quam ſic eloquuntur: *Lamech*, cum eſſet venationi admodum deditus, & præ accidentali quadam oculorum debilitate, aliquatenus cæcutire cœpiſſet, & nihilominus quadam die, puero ductore, ut ſolebat, ad venandum exiſſet, non pro carnibus, quibus tunc homines nondum veſcebantur, ſed vel recreationis cauſa, vel pro quadrupedum pellibus, ad indumenta, tabernaculaque conficienda; accidit tum forte, ut *Cain* inter fruteta latitaret: quippe qui accuſante intus conſcientia ſemper eſſet pavidus, ac ſæpenumero timeret, etiam ubi nulla eſſet cauſa timendi. Cum itaque adoleſcens qui comitabatur Lamechum, de longe aſpiciens, ex quadam umbra motuque ramorum, ſuſpicatus eſſet ibi adeſſe feram, illico admonuit Lamechum, ut illuc jaculum dirigeret. Quod cum ille feciſſet, ac poſtea deprehendiſſet, ſe, præter intentionem, occidiſſe Cainum, cujus occiſionem Dominus ſub gravi pœna prohibuerat, continuo ira percitus, usque adeo exarſit, ut puerum arcu diu graviterque percutiens, tandem ſine ulla ſanguinis effuſione interimeret. Mox tanti facinoris conſideratione perterritus, quaſi deſperans, dixit, ut legimus Gen. IV. 23. *Quoniam occidi virum in vulnus meum*; id eſt Cainum, ſagitta in cor ejus adacta, *& adoleſcentulum in livorem meum*, hoc eſt, comitem, livore mortali, percuſſionibus ac

contuſionibus in corpore ejus inducto. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſeptics.* Quaſi diceret: Audite uxores meæ, & cunctis ad vos, pro rei novitate, concurrentibus, dicite: quod, tametſi notum eſt graviter punitum iri interfectorem Caini, longe tamen gravius punietur, quicunque Lamechum occidere attentaverit.

HENOCH.

Henochus, Jaredi filius, ab Adamo ſeptimus, magno ſpiritu impiis ab oculos poſuit Dei judicium; ac, de beatiore ſeculo, piis præparato, ultra 300. annos fidenter concionatus, tandem, non guſtata morte, ad *Superos* vivus tranſiit, univerſæ poſteritati pietatis ſpecimen perenne; præmiorumque ejus, & animæ immortalitatis, quaſi ſponſor futurus. Itaque cum A. M. 930. humani generis parens *Adamus*, diem extremum clauſiſſet, ne ex communi mortis lege, ſomniare pergerent mali, nihil inter ſe Deique filios intereſſe, quod unum fatum utroſque maneret: per Enochi vitam, translationemque beatam patuit, nimium eos falli, qui in hujus mundi vanitatem ſpem univerſam defigunt, æternitatis cogitatione ex animo deleta.

Quidam, *ſubita morte* extinctum volunt, quorum opinioni propemodum accedit Druſius, ad loca difficiliora Pentateychi. Sed his obſtat epiſtola ad Hebræos c. XI, 5. ubi clariſſime legitur, *fide Henochum translatum eſſe ne videret mortem, & non inventum fuiſſe, quia transtulit illum Deus.*

Judæi, Henochum e mundo ſublatum, Angelum *Metatron*, ſeu Scribam magnum evaſiſſe perhibent. Muhammedes a ſe in cœlum rapto, *in Solis Sphæra* repertum fuiſſe, mendaciter confinxit.

Nimis

Nimis a vero alienum eſt illorum aſſertum, qui Henochum primum *Archimandritam* faciunt, eumque ante *judicii diem* rediturum contendunt, ab Antichriſto occidendum. Num prophetiam conſcripſerit, incertum eſt, etſi S. Judas in Epiſtola v. 14. eum *vaticinatum eſſe* teſtatum reliquit. Potuit, quod ibi affertur vaticinium, Judæ divinitus, aut per traditionem innotuiſſe. *Libelli*, qui ſub nomine Henochi, inter Judæos & Chriſtianos tempore Origenis, Tertulliani, Hieronymi, & Auguſtini circumferebantur, ſine dubio conficti fuere, e quibus Scaliger, notis in Euſebium fragmenta inſeruit.

Mortuo Adamo, ſublato ad cœlum Henocho, defuncto etiam Setho, inſignis inter poſteros ejus, *Dei filios* dictos, depravatio invaluit. Nequaquam enim per Filios Dei, *Angelos* ſive Bonos, ſive Malos intelligere oportet, aut ſuccubi ſtatuendi, etſi præter Rabbinos & Joſephum, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, aliique huc inclinant. In iis etiam Juſtinus Martyr, qui ſine dubio ad id alluſit, in Apologia prima, quæ eſt ad Senatum Romanum, inquiens: *Angeli, Dei diſpoſitionem transgreſſi, mulieribusq; mixti, filios procrearuut, qui dæmones ſunt dicti.*

Quemadmodum igitur in exordio rerum, ita nunc quoque, labes a ſexu muliebri. Nempe *Cainitarum fœminæ*, formæ elegantis, cultuque corporis ad laſciviam & illecebras compoſito, Dei filiorum, ſive Sethianorum oculis inſidiabantur, & facile incautos capiebant, ita ut ex illis, poſthabita voluptati religione, uxores ſibi adſciſcerent, a quibus in omnem nequitiam, & morum pravitatem fuere pellecti.

Gigantes etiam hac occaſione Scriptura Gen. VI, 4. commemorat, homines puta, non tantum corporis robore ac proceritate conſpicuos, quales primos mortalium pleroſque fuiſſe credibile eſt, verum etiam violentos & tyrannicos, qui reliquos mortales ſuis ſubigebant imperiis, & ſuperbiſſime iis dominabantur. Atque ab iſtis proveniſſe *oſſa illa prægrandia*, quæ variis poſtea temporibus locisque e terra fuere eruta, ac interdum etiamnum eruuntur, quibusdam ex ipſa re incidit ſuſpicio.

METHVSALAH.

Methuſalam, Henochi filium, nemo mortalium *vivacitate* anteceſſit. Prorogavit enim vitam in 969. usque ætatis annum, atq; haud diu ante cataclyſmum naturæ conceſſit.

Vulgo cauſas duas afferunt, quare primi homines tam diu ſuperſtites fuerint. *Vnam*, ut quo vivebant diutius, eo plures liberos procrearent, & terram incolis replerent. *Alteram*, ut longo rerum uſu & obſervatione diuturna, humano generi utiles artes ab iis perficerentur. Præſtabant vero prima ſecula diuturnitatem hanc vitæ *variis modis*. Inter quos 1. *corporeæ ipſorum habitudinis bonitas*, quæ, in optima quatuor humorum temperie, & membrorum totius corporis conformatione conſiſtit, quamq; in Adami & Evæ formatione credendum eſt fuiſſe perfectiſſimam, ita-ut non modico tempore in deſcendentibus continuaretur, donec per plures generationes paulatim langueſcere cœpit & imminui. 2. Accedebat *alimentorum præſtantia*. Longe enim melioris nutrimenti erant humi naſcentia, ante, quam poſt diluvium, ob aquas oceani valde ſalſas, quarum inunda-

undationibus terra ſterilis valde facta eſt. Et ideo exiſtimant Deum poſt Diluvium hominibus indulſiſſe carnium eſum, ut fructuum terræ defectui ſuppleret. 3. Inerat Adamo *perfecta rerum naturalium cognitio*, qua vires herbarum, metallorum, fructuum habebat perſpectas. Monſtravit ergo ſuis, medicamenta varia, herbasque illa ætate ſaluberrimas, quibus valetudini laboranti ſubvenirent, vitamque tuerentur & ſanitatem. Sed & 4. *Sidera* fortaſſe in ætate illa benignius operata ſunt, atque aſpectu propitio, in hunc mundum influxerunt ſalutarius. Addunt nonnulli 5. Victus illorum hominum temperantiam, qui crapulæ non indulſerint, ſed contenti cibis ſimplicibus, aqua, quæ tum ſaluberrima fuerit, ſitim reſtinxerint. Verum hæc poſtrema quidem gratis utique jactantur, cum temulentiam iſtius ævi mortalium, ipſe Servator noſter Luc. XVII. 27. incuſet.

Talmudiſtarum obſervatio eſt, ſeptem omnino hominum ætatem, Orbis æquare durationem. Nempe Adamum attigiſſe Methuſalam: Methuſalæ, cum Semo interceſſiſſe commercium. Porro Semum produxiſſe vitam ad ætatem Jacobi: Jacobum, vidiſſe Amramum, & hunc, Achiam Silonitem, familiarem Eliæ, qui etiamnum ſuperſtes degat.

LAMECH.

Lamechus, Mathuſalæ filius, annos natus 182. filium ſuſcepit, cui *Noachus*, hoc eſt, *Quies* & *Conſolatio*, nomen datum: dicebat enim, prout Gen. V, 29. legitur, *iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum, in terra, cui maledixit Dominus*. Id, quo pacto deinde præſtiterit Noachus, haud ita facile explicatu eſt. *Judæi conjiciunt*, ipſum

omnium primum *aratro* ad colendam terram, & jumentorum opera uſum eſſe, ut ſic quies conſolatioque hominibus parta videatur, labore ab iis in boves translato. Chriſtiani Interpretes huc fere evadunt, ut dicant, Lamechi prædictionem in eo impletam, quod *animalium carne veſci* ei Deus indulſit, quo ipſo quotidianus labor eruendi victum e terra, fuerit imminutus. Item, quod *Vinum* ille invenerit, quo mitigati hominibus labores, & vires feſſis inſtauratæ: quodque ejus gratia, non ſolum generi humano, verum & terræ quoque benedixerit placatus Deus, certe exſecrationem ejus imminuerit.

MVNDI MILLENARIVS II.

NOACHVS.

NOachus, Lamechi filius, id ſibi imprimis negotii credidit datum eſſe, ut impietatem hominum increparet, eosque hortaretur, ad meliorem frugem ſe reciperent: unde & *præconem juſtitiæ*, Petrus poſteriore Epiſtola c. II. 5. ipſum nominat. Morum quoque ſeculi pertæſus, ne prolem ſuſciperet, iisdem vitiis ſe olim mancipaturam, a conjugio universos quingentos annos abſtinuit.

Enim vero, ad ſummum jam pervenerat nequitia & impietas humana, atque fraudibus, rapinis, libidinibus, cædibusque, permiſta ac repleta erant omnia, *Idololatriam* tamen, ſive cultum qui ſtatuis & imaginibus tribuitur, quidam excipiunt, ob recentem divinæ creationis memoriam, & Patriarcharum longævitatem; quos inter jam olim Cyrillus l. 1. contra Julian. nomen profeſſus eſt ſuum.

Ergo

Ergo, infenſus hominum generi Deus, univerſos, *aquarum eluvione* decrevit perdere. Et quia ipſa etiam terra infecta quaſi erat ſceleribus, hominiq; peccanti famulatum præbuerat, æque ac animantia: terris quoque vaſtitatem, & animalibus commune exitium ſtatuit. *Perire itaq; debebant*, quod Ambroſius libri de Noë c. 14. ait, *cum homine omnia, propter quem nata ſunt omnia: in ſuis divitiis conſumtus eſt homo; cum ſua dote moriturus.*

Hoc fatale exitium, Deus per Noachum hominibus interminatus eſt, 120. tamen annorum ſpatio, ad pœnitentiam agendam, iis conceſſo. Interim Noachus, animadvertens nihil proficere divinas minas, & ſtare de deſtructione orbis Deo ſententiam, conſervando hominum generi, animum ad uxorem applicuit, ſibique, ſi Epiphanio aures præbemus, fœminam *Barthenon* dictam, adſcivit. Hebræi, *Noëmam*, Lamechi Cainitæ filiam, fuiſſe contendunt: perperam utique, quia nulla ratio perſuadet, virum vitæ integrum, purumque ſceleris, cum nequam Cainitis affinitatem contraxiſſe, quos tantopere averſabatur: tum vero non dubitandum, univerſam Caini proſapiam Diluvio fuiſſe deletam, quod, Noachi uxorem ſcimus evaſiſſe.

Suſtulit Noachus ex conjuge filios tres: *Semum, Japhetum* & *Chamum*, prout Scriptura Gen. V, v. ult. nomina recitat: De quorum ordine naſcendi, tot fere ſententiæ extant, quot per trajectionem nominum mutationes elici poſſunt. Illi tamen præ cæteris ſe nobis commendant, qui *Japhetum natu maximum, Semum medium*, *Chamum minimum* fuiſſe perhibent. Etenim, *Sem*, Gen. X, 21. *frater Japheti majoris*, ἀδελφὸς Ἰάφεθ τοῦ μείζονος, ut LXX. expreſſere, dicitur:

Chamum vero poſt cæteros natum eſſe, locus Gen. IX, 24. ubi *filius minor* audit, evincit. Dicendum igitur, Semum, Gen. V. v. ult. ideo Japheto præponi, quia avus Meſſiæ futurus erat. Atque ſic ob certas cauſas, alibi in Scripturis, Ephraim, ante Manaſſen, Gen. XLVIII. 17. Iſaac, ante Iſmaëlem 1. Paral. I, 28. nominantur.

Cæterum Deus, in media ira, etiam miſericordiæ ſuæ memor, *Arcam* conſtruere Noachum juſſit, conſervandis in ea, ad orbis reſtaurationem, animantium ſpeciebus, & præter architectum conjugemque ejus, filiis illorum, eorundemque uxoribus, ad humanum genus propagandum.

Arca autem, in longum latumque per rectas lineas porrecta, fabricata eſt; non navis, remigio veliſque inſtructa, ne, ceu Auguſtini l. 15. de Civ. Dei c. ult. ſententia fert, humana induſtria ſervatus videretur Noachus. Addunt plerique, roſtro quoque, & ideo fuiſſe deſtitutam, quia non ad ſulcandos fluctus, & iter faciendum, ſed ut aquis innataret incubaretque, debebat eſſe comparata.

Materiam Arcæ præbuit lignum *Gopher*, quod communiter *abiegnum*, aut *pineum* interpretantur. Bochartus in Phaleg. l. 1. c. 4. de *Cupreſſo* accipit, & Arcam *in Aſſyria* fabricatam fuiſſe conjicit, quam alii, in radicibus *Caucaſi* montis factam malunt.

Longitudo Arcæ erat cubitorum 300. *Latitudo*, 50. *Altitudo*, 30. ſecundum proportionem humani corporis. Hominem enim jacentem ſi quis menſuret, ſexies, quam a dextra in ſiniſtram, vel a ſiniſtra in dextram latus, & decies, quam a terra altus eſt, a capite ad pedes extendi in longitudinem, manifeſtum fit. Vnde verſus memoriales:

Ter

Ter denis Alta cubitis, & longa trecenis,
& decies quinis Lata ſit Arca Noë.
Sex vicibus Longum, Latum tranſcendit, &
Altum
Denis, Humani Corporis inſtar habens.

Habuit Arca, *tabulata*, ſive interſtitia, tria, undique cellulis, manſiunculis, & promtuariis diſtincta, ut animantia recte ſecludi, & ſuus ſingulis cibus commode miniſtrari poſſet. Habuit & *feneſtram* ſuperne, per quam lucis aliquid affulgeret. *Tectum* quoq; ad altitudinem cubiti ſuper eam extans erat, ut aër commearet, & per tubos ad manſiones ſeſe diffunderet. *Oſtium*, ad ingreſſum hominum & animalium, in latere relictum, totumque corpus pice aut bitumine illitum, ne ſolveretur.

Riſere hanc, de Arcæ menſura atque quantitate narrationem, quondam *Gentiles*, negantes, fieri potuiſſe, ut illud quod definitur ſpatium, tot numero animantia caperet. Hinc adeo Patres quidam, pro cubitis vulgaribus, qui pedis unius & dimidii menſuram habent, Geometricos intellectos voluerunt, quorum unus 6. noſtris reſpondeat, qua de re eſt apud Auguſtinum loco paulo ante allegato. Sed oſtenderunt pridem Chriſtiani Mathematici tam dilucide, ac ea ſunt quæ oculis cernuntur, Arcæ, cujus interior capacitas erat quadringentorum & quinquaginta millium cubitorum, imam partem, quadrupedibus & reptilibus, alteram, commeatui, ſupremam, hominibus & volatilibus abunde ſuffeciſſe, etiamſi communis menſuræ modus retineatur. Quæ ſane res eo magis ita ſe habet, ſi verum fuerit, quod Arias Montanus, Geſnerus, Aldrovandus, aliique tanquam verum, prope conſenſu venditant, vix ultra 150. ſpecies

cies quadrupedum, 150. Volucrum, Reptilium 30. reperiri. Cætera animantia in aquis vivere, aut etiam ex putredine naſci, ac propterea non debuiſſe in Arcam recipi.

De forma Arcæ, elegantia ſunt, quæ Hornius in libro de Arca Noæ adducit, & quæ nos, eam ob cauſam, merito ex illo: *Petrus Reinerus, Hornanus civis, de Arca Noæ interrogatus, Anno 1647. 6. Martii per literas ita reſpondit: Primum in Hollandia Petrum Janſen Mennoniſtam, famoſum in ea urbe civem, unam atq; alteram, hujus Seculi anno quarto, ſecundum Arcæ Noæ proportionem, navim, per ſocerum prædicti Reineri ſtruendam curaſſe. Vnam, longitudine 120. pedum, latitudine 20. profunditate 12. Initio hunc navium ſtruendarum modum riſu & ſannis, tanquam plane abſurdum & ineptum a nautis exceptum: ut idem imitatoribus, quod etiam Noacho contigiſſe volunt, acciderit. Poſtea compertum, tales Arcas Noachicas, pacis tempore omnium aptiſſimas & utiliſſimas eſſe ad commercia exercenda: tum quod tertia parte plus onerari poſſint quam vulgares, neq; tamen plures, a quibus regantur, manus requirant: tum quia velociori a ventis in mari, quam quæcunq; gentium aliarum naves, curſu aguntur. Sed nullam admittunt tormentorum bellicorum & id genus armorum uſum, idq; adinſtar Arcæ Noæ, quæ pacis non belli fuit inſigne.*

Arcæ fabricam, complures quidem annos, non tamen ſemiſeculum exegiſſe, major Interpretum pars autumat, quibusdam tamen 120. annos inſumtos in eam fuiſſe contendentibus. At, prius, & quidem ſeparatim, de 120. annis pœnitentiæ datis, de Arca vero

ſabri-

fabricanda poſterius, narratur a Moſe, tanquam de rebus tempore diviſis atque diſtinctis.

Abſoluto opere, paratisque omnibus, Noacho denunciatum eſt a Deo, ut Arcam ipſe una cum familia *ingrederetur*, ſeptimo enim poſt die pluvias demiſſurum ſe, ad ſuffocandum omnia quæ in terris viverent. In hanc Arcam, beſtiæ quoque terrenæ, volucresque ſua ſponte ſe conferebant, Divino quodam inſtinctu; ex *immundis* quidem ſingula paria, e ſingulis autem *mundorum* generibus, paria non ſeptem, ceu quibusdam, ſed paria tria, quod Lyrano & plerisque Interpretibus placet; ſeptimo, ad ſacra euchariſtica, periculo defunctis, offerenda, inſuper adjecto.

Munda vero hic dicuntur, non quæ talia Lex poſtea Moſaica declaravit, ſed, quod magis probabile, quæ Deus illo tempore in ſacrificiis probaverat.

Animalia quæ in Arcam inducta ſunt, *Terreſtria* fuerunt, & *Volatilia*. Namque *Piſces*, &, quæ ex *Inſectis*, in aquis vivere, aut ex ſola putredine renaſci poſſunt, remedio hoc opus non habebant, quod eorum tantum cauſa paratum erat, quæ extra aquas in terris, aut aëre vivunt, ceu ex Gen. VII. 21. colligitur. Ac ſuaviter nugantur *Rabbini*, qui aquas Diluvii ferventiſſimas, & hinc piſcibus quoque internecinas fuiſſe tradunt.

Ingreſſus eſt Arcam Noachus cum Vxore, Filiisque, & eorum Conjugibus, anno ætatis ſexcenteſimo: & mox, occluſo Arcæ oſtio, ex nubibus aqua gravidis, horribili cum fragore, pluviarum rivi, per univerſos 40. dies, totidemque noctes, præcipites in terram ruere cœperunt, immenſamque aquarum deſuper vim profundere. Sidera, quibus vis imbrifera

ſera inerat, in unum coïbant, pariterque Numen iratum,

Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcunq; fugant inductas flamina nubes,
Emittitq; Notum; madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum.

Aër terræ contiguus, ejusque incluſus cavernis, frigore illum conſtipante, in aquam condenſabatur. Fontes veteres, ſolito uberius pleniusque manabant, novi, ubique ſcaturiebant. Flumina torrentibus cumulata, & plus nimio adaucta, tranſiliebant ripas. Maria alveis excita intumeſcebant, & ſic jam,

Omnia pontus erant, deerant quoq; littora ponto,

atque usque & usque ita invaleſcebant aquæ, ut altiſſimos montes 15. cubitis ſupergrederentur. Ita aquarum vi ſubmerſa, abſorpta, ſuffocata, quæ tellus aluerat, interierunt omnia.

Tum nonnullos hominum, prædicationis Noachi memores, ſcelerum ſerio, quanquam ſero, pœnituiſſe, atque Diluvii aqua luſtratos, æternum exitium effugiſſe, pie creditur.

Vix credat quis, tuliſſe hanc noſtram ætatem, Viros etiam Doctos, qui in dubium vocare auſi ſint, *num Diluvii aquæ, Orbem totum, inundaverint*: & tamen res ita eſt. Quæ, dum dico, præter alios *Iſaacum Voſſium* dico, palam in libro de LXX. Interpret. ſcribentem: *Minime eorum probo ſententiam, qui totum terrarum orbem ita aquis tectum fuiſſe exiſtimant, ut nulla prorſus ejus extaret portio. Ad hoc efficiendum, multa debuiſſent concurrere miracula. Cum enim univerſæ orbis aquæ non ſufficiant ad obruendam tam alte terram, debuiſſent vel plures aquæ*

creari;

creari: vel dicendum, iſtam aquarum molem, ex cœli rupibus decidiſſe, ac denuo finito diluvio ad ſedes ſuas revolaſſe. Dico item *Iſaacum Peyrerium:* etſi non mirum, illum de Diluvio male ſenſiſſe, qui generis quoque humani ab Adamo originem inficiatus fuerat. Hujus tamen aliqua ſimiliter audiamus. *Abyſſus magna illa*, inquit, *mare Palæſtinorum fuit, a quo fontes Palæſtinæ omnes ſcaturiunt, quos ruptos hic nobis exhibuit Geneſis; ut repræſentaret, Palæſtinam totam in aquas liquefactam, exſudaviſſe quicquid humorum habuiſſet in venis.* Cl. Burnetus quoq; , noviſſime eandem hanc opinionem defendendam ſuſcepit.

At, obruiſſe omnino Diluvii aquas *Orbem univerſum*, oſtendit: 1. *Cauſa* illius, corruptio nimirum univerſalis, quæ pœnam univerſalem requirebat. 2. *Iræ Divinæ magnitudo*, in hæc Gen. VII. 7. erumpens verba: *Delebo hominem, quem creavi, a facie terræ usq; ad animantia, a reptili usq; ad volucres cœli.* Contortorem hujus comminationis neceſſe eſt agat, qui aliquos homines aut animantia exceperit. 3. Ipſum Diluvium *Scriptura παθητικῶς admodum deſcribit*, per diruptiones abyſſi; reſerationem feneſtrarum ſeu cataractarum cœli; pluvias ingentes, & dierum 40. continuorum. Amplius, teſtatur, opertos fuiſſe omnes montes ſub cœlo ad 15. cubitos: conſumtam eſſe omnem carnem quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, reptilium, univerſorum hominum. 4. Si Diluvium non fuit œcumenicum & univerſale, *cur Noachus tanto molimine & tempore conſtruxit Arcam*, & non potius ex illa regione receſſit? Cur Deus poſt Diluvium pollicitus eſt non ultra maledicere terræ, nec ultra percutere omnem animam viventem? Cur repetit

petit formam benedictionis primorum hominum? Cur origines omnium populorum in X. Geneſeos capite, a tribus Noachi filiis arceſſuntur? Cur memoria Vniverſalis Diluvii, ipſis magno numero Gentilium Scriptoribus eſt celebrata? quorum teſtimonia Voſſius pater l. 1. Theol. Gentil. Hugo Grotius l. 1. de Verit. Relig. Chriſt. & in additis notis, Robinſonius quoque l. 1. Annal. Mundi, plena manu ſuppeditant.

Jam, aquam terræ inundandæ non defuiſſe, comprobant tum *Hydrophylacia* ingentia, quæ in terra latere, Kircherus, in opere, Mundus Subterraneus inſcripto, oſtendit: tum pluviarum diuturnitas; ex qua, multi mathematice demonſtrarunt, vel ſolas illas cœlitus effuſas aquas, orbi operiendo abunde ſuffeciſſe. Juvat adire colloquia menſtrua Gothana anni 1690. p. 105. ſeqq.

Poſtquam ſcelerum pœnas, Deo ultori, ſolverat humanum genus, *Noacho iterum terram, & terræ Noachum ipſe redditurus*, ventum excitavit vehementem, qui aquas permearet, exſiccaretque: pluviæ in nebulas evaneſcebant, Fontes antiqui lenius lentiusque fluebant, novis areſcentibus; aquæ leviores in aëra tenuabantur, craſſiores condenſabantur in terram: ſicque paulatim moles illa undarum ſubſidebat, & magis magisque minuebatur indies.

Ergo, ſummi montes, ſenſim juga rurſus undis exſeruere, atque ſeptimi menſis decimo ſeptimo die, deficientibus aquis, quæ ſuſtulerant fluctuantem, Arca in aliquo montium *Ararat*, hoc eſt, ceu major Eruditorum pars accipit, Armeniæ, quæ Aſiæ majoris regio eſt, conquievit. Beroſus, Joſepho teſte, ſcripſit, hujus navigii partem in monte *Cordyæorum*, ut

ut ferebant, ſuperfuiſſe ſua ætate, cujus bitumine abraſo pro amuleto uſi ſint accolæ. Monſtrant quoque, quod obiter addendum, *tabulas aliquas ex Arca, Aquisgrani* in Divæ Virginis majori templo, quæ aræ vicem præſtant, quernas, ſi recte memini; quale lignum num vox *Gopher*, circa quam tantopere Linguæ Sanctæ periti hæſitant, ſignificare posſit, alii diſpiciant.

Dehinc feneſtram Arcæ Noachus aperit, *Corvumq;* emittit, exploraturum num terra uſpiam exſiſtat, is autem vermes & cadavera, quibus ſeſe paſceret, offendens, minime reverſus eſt.

Poſt ſeptiduum, idem munus *Columbæ* demandatur, quæ, cum terram ſiccam ubi pedem figeret, nusquam reperiret, ad feneſtram rediit, unde prodierat: itaque manu a Noacho prehenſa, in Arcam recepta eſt. Eadem, poſt alteram hebdomadam, denuo abit exploratum, & ſub veſperam reverſa, folium affert, ex arbore virentis *Olivæ* decerptum, quod arbor ſubmerſa retinuerat: cum Oliva ex iis ſit, quæ, vel hyeme nunquam calveſcunt, comamq; deponunt.

Magno id erat indicio, decreviſſe aquas, eſt enim Oliva humilis arbor, nec amat alta loca. Alios tamen *ſeptem dies* moratus Noachus, columbam tertio emittit, quæ paſtum adepta foris, haud amplius ad Noachum ſe recepit. Quod vero *ſeptimi ſemper diei* Noachus rationem habuit, non ob Sabbathum factum, ceu nonnulli ſuſpicantur, ſed vel ob curſum Lunarem, cujus quarta quæque pars variam habet in humores vim; vel quia ſpatium hebdomadæ ſatis longum arbitratus eſt Patriarcha, quod variis explorationibus interponeret.

Anni ſui ſexcenteſimi primo die Noachus *operculum Arcæ* aperuit, atque inde proſpiciens, omnes mundi plagas quaquaverſum contemplatus eſt. Nullæ jam oculis obverſabantur aquæ, præter fluvios, rivis ſuis alveisque iterum contentos. Terra revireſcere, frondeſcere arbores, campi herbis gramineq; veſtiri, florere omnia cœperant. Humus tamen adhuc *uda molliorq;* videbatur, quam ut hominum brutorumque animalium veſtigia ſuſtineret: fruges quoque fructusq; nondum fortaſſe maturuerant, quæ jumentis pabulum, cibum hominibus præberent. Quamobrem diutius paulo in Arca Noachus ſibi ſubſiſtendum ratus eſt, eoque magis, ut eundem exeundi, quem fabricandi & ingrediendi expertus erat, haberet autorem.

Tandem vigeſimo ſeptimo die ſecundi menſis, Divino mandato excitatus, ex Arca, una cum familia, *egreditur*, & animantia quoque bruta in campos & ſylvas læta ac libera abs ſe dimittit: de quibus haud abſurde vulgo creditur, etiam carnivora inter ea, Noachum pabulo aluiſſe.

Notandum, ſi Sacrum Codicem excipiamus, *nullam rerum in univerſo Orbe geſtarum*, (modo fidem aliquam mereantur) *notitiam*, Noachici Diluvii tempora excedere, atque ſic in eo omnium gentium hiſtoriam deſinere, etiam earum, quas diu incognitas, majorum denique ætas, noſtræ notitiæ tradidit.

Dæmon tamen tantæ rei memoriam, quia in animis hominum abolere non poterat, ſaltem *fabulis* incruſtare, non apud Gentiles tantum, ſed & *Judæos* ſtuduit. A poſterioribus aliquas petitas recenſebimus.

Deus juxta cum hominibus etiam *pecudes & bruta animantia* delere decrevit, nam illa quoque in libidinem inordinatam prolapſa fuerant, ita ut diverſis ſpeciebus orta, invicem commiſcerentur.

Cum quereretur Deus de hominum malitia, ſuadebant ei *Angeli*, ut omnes funditus deleret. Ait illis Deus, ſed quid de mundo futurum eſt? Reſpondent Angeli, hunc nobis incolendum concedas. Tum Deus: metus eſt, ne vos, in mundo agentes, ipſis hominibus pejores evadatis; minusque longe pravæ concupiſcentiæ, quæ ibi dominatur, reſiſtatis. At Angeli negantes id fieri poſſe, rogabant Deum periculum facere dignaretur. Ibi Deus: Ite & mundo pro domicilio utimini fruimini. Vix mundum ingreſſi fuerant Angeli, & ſtatim libidini indulgebant, atque ex iis *Schamcheſai & Aſaël* uxores ducentes, *Hiſſa* & *Heia* filios procreabant. Ergo ablegatur à Deo ad Schamcheſai & Aſaëlem Angelus *Metatron*, qui ſignificaret, imminere orbi Diluvium. Ad quod illi: Væ filiis noſtris, quorum quotidianus victus ſunt cameli mille, mille equi, & boves totidem, & unde mundo deleto cibus illis ſuppetet? Quadam nocte *Hiſſa* per quietem vidit *tabulam* ingentem ſcriptura repletam, item Angelum poſtea delentem quicquid ibi ſcriptum erat, 4. tantum verbis exceptis. *Heia* ſimiliter per inſomnium viſus eſt ſibi videre *hortum* plenum arborum frugiferarum, quæ paulò poſt ab Angelis fuere exciſæ; ſolis 4. relictis ſuperſtitibus. Cum narraſſet quisque patri ſuo ſomnium, reſponſum ab iis, imminere orbi Diluvium, nec niſi Noachum cum 3. filiis evaſurum panoletriam. In fletum ideo ſolutos, eo maxime ſolabantur parentes, quod nomina illorum nunquam deletum iri ex

memoria hominum ſponderent, inclamaturos enim ea qui onus tollunt, armenta agunt, aut remos impellunt: in quo filii acquievere. Cæterum *Schamchesai*, pœnitentiam acturus, ſuſpendit ſe, caput deorſum pedes ſurſum, in medio aëre, atque ſic etiamnum ibi pendulus hæret. *Aſaël* in orbe permanſit, isque autor eſt mulieribus ut ſeſe ornent, atque ſic viros illecebris deliniant. Hinc factum eſt, quod olim *in expiationis die*, Judæi nequaquam Deum, ſed Aſaelem ſacrificio placabant, ut ſcilicet abſtineret ab hominibus ad voluptatem concitandis: ac de ea re Levitici cap. XVI. conſulendum.

Animantia *ultro* ad Arcam venerunt, verum hæc nullum ex iis admiſit, quod cum aliena ſpecie conſueverat.

Digito Deus oſtendit Noacho, dixitque: hoc atque hoc modo parabis arcam. Domicilium cujuslibet *beſtiæ* ſeu quadrupedis, erat in ſtrato inferiore: domicilium omnium *avium* in tabulato ſecundo: manſio *reptilium & filiorum hominum* in tabulato tertio. Sunt autem 32. ſpecies Volucrum, & 365. genera Reptilium in terra: atque ſeorſim in uno latere Arcæ agebant mares, ſeorſim item in latere altero fœmellæ.

Annis 52. laboravit Noachus in exſtruenda Arca, & deſcenderunt omnes *Angeli*, præfecti cuilibet ſpeciei animalium, & congregarunt illa, atque omnia alimenta illorum.

Noachus ſuam Arcam *intus & foris* pice obducere cogebatur, ſed *Arca ſcirpea* in qua Moſes ſervatus, *extrinſecus* tantum pice & bitumine fuit illita, ceu eſt Ex. II, 3. Nimirum major futura erat vis aquarum Diluvii quam Nili, in quem exponebatur Mo-

ſes,

ſes, idcirco neceſſe fuit Noachi arcam majore præſidio munire. Tum vero non offendendæ erant nares Divini Moſis, etiam pueri, picis graveolentia.

Noachus non ingreſſus eſt Arcam, niſi *coactus* vi aquarum, quæ jam orbem inundare cœperant.

Statim ac congregatæ ſunt omnium animantium ſpecies in Arcam, ipſe Deus eam manu ſua occluſit atque obturavit. *Gemma* autem quædam fulgentisſima ſuſpenſa erat in Arca, quæ lucem præbebat omnibus ibi agentibus, inſtar lucernæ valde ſplendens.

Og, Rex Baſan, inſedit cuidam ligno, ex ſcalis Arcæ, ſubter ſuggrundia, & juravit Noacho ejusque filiis, quod illis futurus eſſet æternus ſervus, itaque Noachus terebravit foramen quoddam in Arca, & quolibet die porrigebat illi cibum, atque ſic ipſe ſuperſtes manſit. Super terram quoque Iſraelis non deſcenderunt pluviæ, quomodo etiam ſcriptum eſt Ezech. XXII, 24. *Fili hominis, dic ei: tu terra es impura, neq; compluta imbre in die furoris.*

Carcuſchta, eſt genus animantis, quod ea die qua in lucem editur, jam adæquat mole ſua *milliaria tria*, id igitur quia Arca capere non poterat, cornibus Noachus ad Arcam alligavit, ut ſic una protraheretur. Etſi vero Diluvii aquis cæteroqui nullæ unquam magis fuere fervidæ, ita ut piſcibus etiam exitio eſſent, tamen illæ quæ Arcam ambiebant, ſemper immunes erant ab ardore.

Noachus *ærumnoſam vitam* agebat in Arca, quia animantia omnia cibare, fimumque eorum egerere cogebatur. Cum aliquando tardaſſet Leoni pabulum præbere, ille manum ejus corripuit, morſuque hanc non perfunctorie læſit.

Cæteri quoque homines in Arca, una cum animantibus, mœſtitiæ ſe dabant, *a re geniali prorſus abſtinentes*, tribus exceptis, quibus ideo pœna fuit irrogata, quam poſteritas etiamnum luit. *Chamus* enim, qui ab amplexu conjugis ſibi non temperabat, filium *Chus* deinde ſuſcepit, tetrum, colore nigro, atque is fœditatem hanc in natos natorum, & qui ex illis naſcebantur, transfundendo, Æthiopum gentis ſator & autor extitit. *Canis* quoque cum compare capiebat voluptatem, & ideo ægre nec niſi acerrimum paſſus dolorem, ab ea ſe divellere poterat, prout nunc quoque contingere ſolet: cui acceſſit, quod canes invicem culum olfacere coguntur. *Corvum* in eodem deprehenſum reatu, id ſupplicium manſit, ut a re Venerea ſemper deinde vomeret.

Cum Noachus *Corvum* ex Arca ablegare vellet, viſum num Diluvii aquæ imminutæ ſint, reſtitit ille, dixitque ei, video te mihi inimicum eſſe. Cum enim ex mundis animantibus ſeptem paria in Arcam intuleris, me ſolum tantum cum compare admiſiſti, quod ſi igitur gravius quid mihi orbem exploranti accidat, actum eſt de ſpecie mea; & mirum, ni tu me abſente conſueſcere vis cum compare mea. Male habuit ea res Noachum, itaque Corvum reverſum, noluit in Arcam recipere, quoad Deus præcepit ut intromitteretur, allaturum enim eum olim Eliæ, in deſerto agenti, cibos, petendos ex domo Achabi.

Columba decerpſit *folium ex oliva Paradiſi*. Neque eſt ut quis objiciat, hac ratione Noachum non potuiſſe certiorem reddi de orbe ſiccato, cum Paradiſum Diluvii aquæ non obruerint. Nam durante

Diluvio

Diluvio, clauſæ erant fores Paradiſi, ne in hunc aquæ introrumperent. Erat igitur olivæ folium argumentum, patere rurſus Paradiſi fores, atque ſic Diluvium ceſſaſſe.

Si Abrahamo Zacuto in libro Juchaſin fides, extabant adhuc, illius ævo, Arcæ Noachi reliquiæ, eoque ligno homines pro medicina utebantur, cum non minor illi vis ineſſet quam theriacæ. Ab aliis in literas relatum eſt, e collo ſuſpenſum, lignum illud, pro amuleto valuiſſe.

Alcoranus tradit, ex quoque genere animantium duo tantum in Arca ſervata eſſe. Vnum ex Noachi filiis noluiſſe Arcam ingredi, eumque una cum cæteris impiis periiſſe. Cum ceſſaſſet Diluvium, Arcam quieviſſe in monte Gioudy.

Miſſis nunc fabellis & fabulis, ſed quæ nec jucunditate, nec omnino omni utilitate deſtituuntur, nunc ad ſeria ſit reverſio.

Scilicet, egreſſum ſuum ex Arca, Noachus *a Precibus* & *Sacrificiis* auſpicatus eſt, ara condita, in qua bovem, ovemque, capram item, turtures, columbarumque tenerarum par immolaſſe creditur: his enim ſolis animantibus ad ſacrificia Veteres utebantur.

Viciſſim Deus placatus, Noachi holocauſta ſibi grata eſſe teſtatus eſt, *graviter pollicitus*, nunquam ſe aquis obruturum terras hominum cauſa. Eſſe enim ingenio ita pravo humanum genus, & prono ad nequitiam, ut publicarum calamitatum nec finis nec modus futurus ſit, ſi ſemper in illud velit animadvertere. Non igitur ſe ordinem Naturæ, tem-

porumq; vices deinde interrupturum, ad extremum uſque & decretorium mundi diem.

Poſtmodum Noacho ac filiis ejus *benedixit*, tribuendo illis maximam generandi vim & fœcunditatem, ut quam celerrime terras incolis replerent. Deinde, ne quid a belluis ſuæ paucitati metuerent, promittebat, omnibus illos animantibus terrori futuros, ut ſubjectis iis imperaturos, denique, pro cibo his uſuros libere, modo ſanguine abſtinerent, tam in comedendo brutorum animantium, quam in profundendo hominum. Brutorum enim ſanguinem eſſe vitæ vehiculum, ſibique ſacrum Autori vitæ; tum vero cruore paſci, alere quaſi in homine ferinam crudelitatem. Cæterum Humanum ſanguinem cædemque etiam in beſtiis ulturum ſe, Deus edixit; multo magis talionis lege in hominibus: tum per judices, tum per ultores ſanguinis, ubi judices deſunt. Ipſi enim ſibi homicidium eſſe probroſum, ſuamque imaginem ſpirantem tollere, qui hominem perimit. Poſtremo, cum animadverteret, formidinem occupaturam, utut incolumitatem promiſerat, hominum mentes, quoties impoſterum continget, ut nubes concreſcant, &

-- *Ex oculis cœlumq; diemq;*
Eripiant:

quo ſecurius agerent, fœdere quodam ſe obſtringebat, de humano genere, animantibusq; cæteris non amplius Diluvio delendis, ejusque Signum *Iridem* conſtituit, ut ea in nubibus conſpecta, Divinæ pactionis memores, a clade hujus univerſi, mortales ſecuri forent. Etiamſi enim hoſtili more Arcum ſuum tendere, minitarique perniciem videatur, tamen iratum

ſe

ſe, clementiæ miſericordiæque haud immemorem futurum.

Cæterum, ex ea Numinis indulgentia, qua *Carnes animalium* homini ad victum conceſſæ, plerique colligunt, *iisdem hactenus veſci non licuiſſe.* Fruſtra enim liberum fit, quod jam ante liberum erat; & fruſtra permittitur, quod nullo modo prohibebatur. Adde, quod caro ita permittitur, quemadmodum aliæ res, expreſſis donatæ verbis; ſic enim Scriptura Geneſ. IX. 2. Deum loquentem inducere videtur: Liberum vobis jam facio carnes comedere, quomodo fructus, frugesque, olera & herbas, vobis prius Gen, I, 29. impertitus fueram.

Sed nec carnium eſu homini opus erat ante Diluvium, quod ineſſet herbis fructibusque ſuccus præſtantior atque ſalubrior, nutriendique major vis; nondum eluvie ſalſedineque maris ſterileſcente humo, & validiſſimorum corporum ſtomachis, glandibus concoquendis ſufficientibus. Hinc veriſimile eſt, Apoſtolum cum 1. Cor. IX, 7. ait: *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non comedit?* quia de carne ſilet, antiquiſſimum ſpectaſſe morem. Accipit hæc opinio, quod primi mortalium ab eſu carnium ſibi temperarint, etiam commendationem ex vetuſtate, cum Pythagoræ ore dicat Ovidius l. 14. Metamorph.

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, &, quas humus educat, herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Neq; officit huic ſententiæ, quod ſic animantia ante Diluvium nullius uſus fuerint, maxime illa, quæ

 haud

haud alio modo niſi ad cibum, uti Gallinæ, Piſces &c. proſunt humano generi. Nam, ne fruſtra nata videantur, ſatis erat, ad victum humanum deſtinata hæc fuiſſe poſt Diluvium. Æque etiam ad perfectionem Vniverſi ſpectabant, ac feræ aliæque res, quibus neque opus, neque uſus eſt frequens humano generi; ac herbæ etiam medicinales, quibus in tanta corporum ſanitate, fortaſſe non niſi poſt multa demum ſecula homines ad medicamenta fuere uſi. Amplius nec incommodat hanc opinionem, quod *venationi & aucupio* homines natura capi Ariſtoteles l. 1. Polit. cap. 3. tradidit, quodque idcirco primos mortales iis animalium capturis deditos fuiſſe, ratio perſuadet. Valebant enim hæ, tum ad animorum oblectamenta, tum ut plumis avium, & pellibus quadrupedum, homines, e quibus tabernacula, veſtimenta etiam ac ornamenta conficiebant, potirentur. Atque hæc ſola prope utilitas ex feris pleriſq; etiamnum percipitur. Imo in Americæ quibusdam Inſulis, habitatores vaccarum & taurorum, quorum ibi magna copia eſt, coriis tantum pro mercibus utuntur, carnibus abjectis: *artemq; plumariam* fuiſſe tum ad ornatum corporis excultam, neutiquam a vero abludit, quæ a barbaris Americanis jam ſola fere, ac peritiſſime tractatur.

Carnium cibo aucti homines, *novum* etiam *potus genus* ſibi excogitarunt. Quippe Noachus, primus, quantum apparet, cum olim vites, aliarum arborum fruticumq; inſtar, per tellurem ſparſæ creſcerent, eas ordine conſerens, vineam adornavit, & ex uvis *Vinum* expreſſit, quo mœrorem a ſe ſuisque, ex tot ærumnis contractum, leniret, viresq; animi ſimul & corporis, languidiores jam poſt Diluvium, refocillaret.

Eoque

Eoque magis de Vino erat ſolicitus, quia Aqua, ſuaviſſimus ſaluberrimusque ante Diluvium potus, a bonitate ſua nimium degeneraverat.

Sed, *luxurioſa*, Salomone Prov. XX. 1. ſic teſtante, *res eſt Vinum*, *& tumultuoſa ebrietas.* Quam vim, quia nondum experimento didicerat Vir pius, cum potando invitaſſet ſeſe pluſculum, ſeminudus, inhoneſto more, ſomno ſe dedit in tabernaculo. Eum ſic jacentem conſpicatus minimus filiorum *Chamus*, ludibrio patrem habuit, fratribusque ſuis deridendum expoſuit. At *Semus*, *Japhetusq;*, modeſta verecundia ſuffuſi, averſis oculis retro cedentes, ne nudum intuerentur, pallio injecto ſenem operuerunt. Vt primum Noachus evigilavit ex crapula, *Chamiq;* impietatem reſcivit, diris ipſum, præcipue vero filium ejus *Canaanem*, cujus fortaſſe indicio pater Noachi verenda viderat, oculosque conſcelerarat, devovit, & utrisque, fratrum ſervitutem impoſuit. Contra Semo Japhetoque pater omnia fauſta precatus eſt, vovendo *Semo*, ut in ejus familia verus Dei cultus conſervetur, & ex ea Meſſias naſcatur; *Japheto* vero, magnam terrarum poſſeſſionem, & poſteritatem ingentem, quæ aliquando ad tentoria Semi, ſive veram Eccleſiam ſit aggreganda, optavit. Quæ omnia, tandem ita vere poſteris obtigerunt, ut Noachus non tam precari bona, malave imprecari filiis, quam quæ futura erant, prædicere viſus ſit. Sic igitur Adamus, poſt mundum conditum, edendo, Noachus, poſt eundem reſtauratum, bibendo intemperantius, peccarunt. Fructus arboreus utrique impoſuit. Illum puduit, cum ſe nudum cerneret: huic dormienti, nuditas opprobrio.

Enim

Enim vero *Judæi*, circa verba, *& terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli:* quibus Deus, ceu Gen. IX, 2. legitur, Noachum & filios allocutus eſt, obſervant, inde provenire, quod etiam immanes feræ ſibi ab homine metuunt, nec unquam eum lædunt, niſi forte imaginatione ſua deceptæ, pro bruto illum habeant. At, vivus ut ſit, neceſſe eſſe, ac proinde ne quidem infantem recens natum, cuſtode egere, ne feles aut mures ei noceant. Cæterum ſimul ac obiit homo, evaneſcere illico formidinem, atque ejus cadaveri, etiamſi gigas fuerit, niſi cuſtos apponatur, a muribus & felibus imminere periculum. Hæc quoque Judæorum obſervatio eſt, Deum, Iridem, quia pro clementiæ ejus æterno ſymbolo valere debebat, de induſtria ita diſpoſuiſſe; ut arcus cui telum imponitur, averſus ſit ab orbe, & pars nervum repræſentans tantum verſus illum dirigatur.

Plures Noachum præter Semum, Chamum & Japhetum genuiſſe filios, non ſit veriſimile, tum propter ſilentium Moſis, tum quia maxima pars ætatis ejus jam elapſa erat: tum maxime, quod expreſſe Scriptura Gen. X. v. ult. teſtatur, a tribus illis omne genus humanum eſſe diſſeminatum. Quod ſi vero & alios genuiſſet, eos omnes illiberes fuiſſe neceſſe foret, quod citra abſurditatem, ſub initium tam recentis benedictionis, qua Deus Noachi filios paulo ante proſequutus fuerat, nemo affirmare ſuſtinebit. Quamobrem non audiendus ſuppoſititius Beroſus, apud quem Noachus aliorum 30. filiorum deſcribitur parens. Evaneſcit item *Jonichus*, de quo Methodius tradidit, centum annis poſt diluvium a Noacho ſuſceptum fuiſſe, cui deinde pater

terram Etham aſſignarit, quique donum Sapientiæ a Deo acceperit, & invenerit Aſtronomiam, Nimrodumque gigantem edocuerit, quomodo regnare debeat, & quæ ſeries ac habitudo quatuor Monarchiarum ſit futura. Hæc autem S. Methodio, Tyri Epiſcopo, qui Diocletiani temporibus martyrii coronam indeptus eſt, indigna ſunt, & merito Bellarminus libro de Eccleſiaſticis Scriptoribus: *Circumfertur libellus revelationum ſub nomine S. Methodii, ſed ſuppoſititius cenſetur.*

Vetus eſt traditio, de *tripartita Orbis diviſione*, a Noacho filiis ſuis facta, quam & teſtamenti tabulis, Semo relictis, firmaſſe, apud Euſebium ac Cedrenum legitur, &, cujus inficiatoribus, hæreſeos dicam impingit Philaſtrius. Nimirum, *Semus*, *Aſiæ* majoris partem maximam, quatenus ad Orientem præcipue ſeſe porrigit, accepiſſe dicitur. *Chamo*, Occidens ab Euphrate, Aſiæque regiones Ægypto vicinæ, ac *Africa* tota obtigerunt. *Japhetus*, *Europam* fere univerſam, cum minore Aſia, & ad Boream regionibus nactus eſt.

Notandum hic, 1. quod ſi omnino Diviſio iſta ſic inſtituta, ſub aliis, quam Aſiæ, Africæ & Europæ *nominibus*, quæ, Strabone l. 5. id aſſerente, Homeri ævo adhuc ignorabantur, factam eſſe. Amplius 2. notandum, iis, quæ ſequuta ſunt, temporibus, ingentes populorum, Noachi filiis ortorum, ſæpenumero accidiſſe *confuſiones*, adeo ut diſtinctio illa, haud magni deinde momenti fuerit. Illud quoque 3. notandum, Epiphanium in Ancoratu velle, Noachum Orbe terrarum inter tres filios diviſo, ne qua diſcordiarum deinde ſeges inter eos prognaſceretur, ipſos *jurejurando* adegiſſe, ne quis alterius

ſor-

ſortem invaderet, extrema quæque illi interminando, qui violaſſet juramenti fidem: cæterum *Canaanem*, relicta regione ſua, quæ ob immodicos calores incommoda videbatur, in Semi hereditate, Palæſtinam occupaſſe, atque ob iſtud ſcelus, Cananæis ad internecionem deletis, Palæſtinam, Semi poſteris, à Deo fuiſſe reſtitutam. Hæc tamen cum Scriptura non ſatis conveniunt, quæ, Cananæos, ob idololatriam & nefarios concubitus, Palæſtina excidiſſe, Levit. XVIII. & Deut. XXXII. nos edocet.

Cæterum, *Semo V. Filij* fuerunt: 1. Elam, 2. Aſſur. 3. Arphachſad. 4. Lud. 5. Aram. *Elam*, pater eſt Arabum. *Aſſur*, Aſſyriorum. *Arphachſad*, Judæorum. *Lud*, Lydorum. *Aram*, Syrorum.

Chamus IV. Filios ſuſcepit. Ii ſunt 1. Chus. 2. Miſraim. 3. Puth. 4. Canaan. A *Chus* genus trahunt Æthiopes: a *Miſraim*, Africani, Ægyptii, Philiſtæi. a Puth, Libyi: a *Canaane*, Cananæi, quorum Gen. X. 15. 16. 17. undecim populi numerantur.

Japhet Filios VII. procreavit. Quorum nomina: 1. Gomer. 2. Magog. 3. Madai. 4. Javan. 5. Thubal. 6. Meſchech. 7. Thiras. *Gomer*, progenitor fuit Cimmeriorum, qui nunc Cimbri, Sueci, & Dani audiunt: atque ab *Askenas*, Gomeris filio, Germani originem trahere creduntur. Amplius, a Gomere, derivant Ponti, Bithyniæ, Phrygiæ & Armeniæ incolas. A *Magog*, Scythica gens deſcendit, ex qua tandem Turci prodierunt. A *Madai*, provenere Medi; a *Javan*, Græci; a *Thubal*, Hiſpani ſeu Iberi; a *Meſchech*, Cappadoces & Moſcovitæ; & denique a *Thiras* Thraces.

Semo, prout dictum, natus eſt

ARPHACHSAD

qui

qui pater fuit

SELÆ,

prout non tantum Gen. X. 24. ſed & 1. Paral. I, 18. & 24. traditum habetur: nec aliter in Hebræo, Chaldæus Paraphraſtes, aut Vetus Vulgatus, ut alios taceamus, legerunt. Sed LXX. tamen Interpretes, ubique Arphachſado aſſignant filium KAINAN, diverſum ab anteluviano Enoſi; atque ab hoc demum *Selam* prognatum volunt: quod, quia Kainan iſte a Luca quoque c. III. 36. in genealogia Servatoris noſtri recenſetur, difficultatem parit ingentem.

Ad eam tollendam, multi ex Chriſtianis Scripturæ Expoſitoribus, huc evadunt, ut durum nodum, ſecando, non ſolvendo, dicant, fontes Hebræos hic vitium paſſos eſſe, quod in iis Cainan ſit expunctus. At vero, ſi id, & quidem, ceu volunt, à Judæis factum eſt, aut malitia factum eſt ipſorum, aut negligentia. Prius locum non invenit, cum iſtius cœpti cauſa excogitari nequeat. Sed nec poſterius ſuſpicari licet, ob rei repetitionem. Poterat enim fortaſſe, præ incuria, excidere Cainanis nomen ex uno loco, non autem e diverſis. Maſoretas quoque ſi conſulimus, conjecturæ, de vitio, ſive ſponte, ſive ex oſcitantia Scribarum textui illato, intercedunt illorum obſervationes.

Non eſt opus, aliorum diſſonas rationes, quibus difficultati mederi voluere, afferre in medium. Vnam, quæ veritatis ſpecie ſe præ cæteris commendat, adduxiſſe ſufficit. Hanc vero Glaſſio in Philologiæ Sacræ l. 1. debemus, quando ei viſum, LXX. Interpretes, certum annorum numerum, circa priſcam mundi ætatem, ex traditione quadam acceptum, tenuiſſe pro vero, ſed hunc cum textui Hebræo minus

nus conformem eſſe deprehenderent, ut ſuum illum ſalvarent, numeros annorum vitæ Patriarcharum Gen. XI. in verſione ſua, ex ſententia varie mutaſſe, atq; inſuper Cainanem inſeruiſſe, ejus vitæ certum asſignando annorum ſpatium. Licebat quoq; ſuſpicari, LXX. Interpretes, Ægyptiacarum Dynaſtiarum antiquitatem, quæ mundi primordia, ſi ſecundum Moſen calculi ponerentur, excedebat, tum ætatem Patriarcharum integro plerunque ſeculo adaugendo, tum Cainanem inſerendo, voluisſe quodammodo tueri; vafro conſilio, ſed invita veritate.

Atqui, ſimilia auctaria alia, apud ipſos crebro offendas. Nam, ut ſoli propoſito de propriis nominibus inhæreamus, iidem addidere in ipſo hoc Geneſeos X. capite, mox commate 2. *Eliſam* Japheti filiis. Porro, Geneſeos caput XLVI. adauxere integro commate 27. eoque, catalogum Jacobo genitorum, *quinq; nepotibus Joſephi* locupletarunt. Sic Ex I. 11. Pithomo & Rahamſeſo urbibus, *Onam*, in poſteriore vero Samulis libro c. XX. 18. Abelæ urbi, *Danam*, de ſuo adjunxiſſe deprehenduntur.

Quod ad *Lucam* attinet, huic vitio verti non debet, ſi quæ apud LXX. Interpretes legebantur, ipſe expreſſit. Nempe, quia Novum Teſtamentum Græce, & quidem in Gentilium maxime uſum ſcribebatur, æquum, & adeo neceſſe erat, Codices Teſtamenti Veteris Græcos, quos ſolos Gentiles conſulere poterant, ſequi, ut ea, quæ allegabantur ex Moſe & Prophetis, cum ſua Verſione conſona deprehenderent. Proinde ſi Lucas nullum Cainanem Arphachſadi filium in Chriſti Servatoris Genealogia agnoviſſet, licebat Gentilibus totius recenſionis generationum illarum fidem in dubium vocare, cujus

jus multa tabulis & monumentis haud ita in vulgus notis nitebantur.

Apprime convenienter, ad mentem noſtram, quamvis in cauſa longe alia, & librum Actorum Apoſtolicorum Lucæ, non Evangelium in animo habens, ſcripſit S. Hieronymus in Tradit. in Geneſin. *Non debuit S. Lucas in gentes actuum Apoſtolorum volumen emittens, contrarium aliquid ſcribere adverſus eam ſcripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata. Et utiq; majoris opinionis illo duntaxat tempore Septuaginta Interpretum habebatur autoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter obſervandum, quod ubicunq; Sancti Apoſtoli, aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos, his plerunq; teſtimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata.*

EBER.

Receptiſſima, tum Chriſtianorum, tum Judæorum, atque inter hos Joſephi etiam ſententia eſt, ab hoc Ebero ſive Hebero (perinde enim eſt utro modo ſcribatur) *Hebræorum* appellationem derivandam eſſe, quam tamen Euſebius & Auguſtinus ab Abrahamo, alii, cujus gregis agmen Origenes ducit, ab עבר *Eber* quod *trans* ſignificat, & quia Abrahamus Chaldæa relicta, trajecto Euphrate, in ulteriorem Cananitidem ad habitandum conceſſerat, arceſſunt. Sed illi de Abrahamo originationi, tum analogia Grammatica, tum & illud, quod ipſe Abrahamus Gen. XIV. 13. Hebræus audit, adverſantur, unde & ipſe Auguſtinus, ſuam illam opinionem retractavit. Vltimam etymologiam, cum prima, quaſi æque probabilem,

conjunxit Buxtorfius in Lexico Hebraico, ubi ſcribit: עברי Hebræus, *quaſi Heberæus, ab Hebero ortus, quo nomine Abramus primus a Chananæis appellatus eſt, Gen. 14. 13. vel quod ex poſteris Heberi, Gen. 11. ſolus & præcipuus tum in terra Chananæa eſſet, reliquis Heberi filiis per Orientem diſperſis: vel* ab עבר Trans, *quaſi Transfluvialis, Transeuphratæus.*

Enim vero, maxime nihilo ſecius veriſimile fit, a ſolo Ebero Hebræos dictos eſſe: nam, ſi Abrahamus a trajectu Euphratis Hebræus vocabatur, quare hoc nomen propagatum in poſteros? Præterea, cum Moſes Gen. X. 21. notat, Semum eſſe patrem omnium filiorum Eber, quid aliud innuit, quam eſſe illum Hebræorum patrem? &, quare genealogiæ ſeriem abrumpit, ut hoc obſervet? Sunt ergo omnino filii Eber, iidem, qui Hebræi, & viciſſim Hebræi iidem qui filii Eber. Niſi quod in magna familia, quæ Jectaneos etiam, & Iſmaëlitas, & Idumæos, & Moabitas, & Ammonitas, & Madianitas, & Amalecitas, & nonnullos Aramæorum complectitur, ii ſoli in Scriptura hoc elogio ornantur, qui Eberi linguam ad poſteros transmiſerunt incorruptam. Manſit autem, unum Hebræorum nomen in Abrahami proſapia, (unde & *Joſephi Hebræi* Gen. XIX. 14. & *terræ Hebræorum* ibid. c. XL. 15. mentio) usque dum a Jacobo Patriarcha, qui & *Iſraël* dictus, Hebræi, etiam *filii Iſraël*, aut *Iſraëlitæ* vocati, & tandem ſciſſo poſt Salomonem regno, a tribu Juda, *Judæi* appellati fuerunt.

PELEG.

Peleg, ſive, ut alii enunciant, *Phaleg*, tum, quod Joſephus l. 1. antiq. c. 7. ait, temporis *natus eſt, cum habi-*

habitationes diſtribuerentur, *nam hæc vox Phalec partitionem Hebræis ſonat.* Nempe, hactenus a Diluvio una fuerat totius generis humani Reſpublica in campeſtribus Sinear, quo, ex Aſſyria, ſive in Cananitidem, Adami natalem terram, quam prius fortaſſe incoluerat Noachus, hac migraturi via, ſive inveſtigaturi locum Paradiſi, ſive ob cauſam aliam devenerant, & ubi tractus illius amœnitate ac fertilitate mira capti, omnibus ſibi ſtatuerant permanendum. Sed jam poſt centum annos aucti erant tanta multitudine, quantam unius regionis anguſtiis, cum totus orbis terrarum ad habitandum pateret, concludi, nec ſatis hominibus conſultum videbatur, nec ipſi Deo gratum. Omnibus enim uno in loco minus commoda victus ratio ſuppetebat. Inſuper bellorum morborumque popularium calamitas, toti hominum generi communis, erat multo crudelior futura; & cum impiis ſceleratisque hominibus conſuetudo & convictus neceſſarius, religioni, moribusque bonis, multo magis periculoſus. Tum igitur Noachus, ſeptingentorum jam annorum ſenex, liberis nepotibusque ſuis, ceu credere juvat, autor fuit, in diverſas regiones proficiſcendi, deducendi colonias, & conſtituendi civitates. Id antequam fieret, unam omnes urbem ingentem, & in ea *Turrim* immenſæ multitudinis moliuntur. Joſephus hujus cœpti *Nimrodum* autorem facit, qui audax & manu promtus, hominibus perſuaſerit, non Deo, ſed propriæ virtuti præſentem felicitatem eos debere, atque operæ pretium eſſe Turrim ædificare, longe *excelſiorem, quam quo aqua aſcendere poſſit*, ſi aliud Diluvium Deus intentet. Verum hæc, quam Joſephus aſſignat, non videtur eſſe condendæ Turris cauſa genuina.

nuina: A Diluvii enim metu homines facile immunes præſtabat Dei ſacramentum, & Iridis ſignum. Huic promiſſioni ſi diffidebant, cui bono, relictis montibus, in plana, & quidem vallem deſcendebant, fixuri ſedes inter duos fluvios vaſtiſſimos, Euphratem & Tigrim, quorum inundationibus Babylonia eſt obnoxia? Adde, quod experientia edocti, potius de ligneis navibus, quam lapidea Turri conſtruenda, conſilium inire debuiſſent.

Nec magis probo illorum opinionem, *qui ad evitandum univerſale incendium*, Turrim, ædificatores illos excitare voluiſſe arbitrantur. Quis enim in generali Orbis incendio ſperet in turri ſe evaſurum? aut in ejus cacumine ſe tutum fore ab igne cœlitus delapſo? cum metu fulminis, terræ potius ſpecus, quam ſumma petantur. Sed & bitumen quo lateres cohærebant, commodum incendio pabulum præbuiſſet.

Ipſa Scriptura nobis ſatis perſpicue indicat, quis finis & intentio fuerit ædificantium, cum eos Geneſ. X. 4. ſic ſe mutuo hortatos eſſe confirmat: *Venite faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum antequam dividamur in univerſam terram.* Inde ergo colligimus, hanc fabricam conditores exſtruere voluiſſe, ut quia mox imminentem diſperſionem animo præſagiebant, immortale ſibi nomen pararent apud poſteros, idque teſtabatur ipſa ædificii moles, quæ, tota ad pompam, minime vero uſum erat comparata.

Ineſt autem *Hyperbole* illi ſermoni, cum Scriptura dicit, id propoſitum fuiſſe hominibus, ut Turrim ædificarent, cujus faſtigium ad cœlos usque aſſurge-

ſurgeret. Nam, quæ Auguſtini lib. 16. de Civ. Dei de Hyperbole verba ſunt, *hoc modo, ut cæteris tropis, uti ſolere Scripturam, nullus, qui eam didicit, ambigit.* Solet autem ea vocem *Cœlum* adhibere, cum maximam altitudinem ſignificare vult: contra vero, verbo *Abyſſus*, aut *Infernus*, ſummam profunditatem, & locum imum deſignat. Nempe ſic Deut. I. 28. & cap. IX. 1. ſimili loquendi genere, de Cananæa regione prædicatur, *fuiſſe in ea urbes magnas, & ad cœlum usq; munitas*, & Pſal. CVII. 26. navigantes *ad cœlos aſcendere, deſcendere ad abyſſos* dicitur. Ita Servator noſter, urbi Capernaum extrema prædicens, apud Matth. XI. 23. ait: *Et tu Capernaum, quæ usq; ad cœlum exaltata es, usq; in infernum deſcendes.* Atque talia paſſim occurrunt. Merito ergo Reyherus in Matheſi Moſaica p. 191. abſurdiſſimos pronunciat, qui verba Scripturæ de Babylonica Turri craſſe accipiunt, ejusque altitudinem ad cœlum usque extendunt. Si enim ponatur verticem Turris ad infimum Planetarum circulum, nempe Lunæ orbitam extruendam fuiſſe, ſequi inde, illam minimum quinquaginta ſemidiametros terræ altam eſſe debuiſſe. Cum autem Semidiameter una, juxta Tychonem, contineat 860. milliaria Germanica, quæ, multiplicata per 50. producant pro altitudine turris 43000. milliaria Germanica, ſequi hinc, ſi modica huic altitudini craſſities reſpondere debuiſſet, quinquaginta terræ globos vix Turri illi ſufficientem materiæ copiam ſuppeditare potuiſſe. Addunt alii, Turrim ad Cœlum pertingentem, terram loco ſuo dimoturam fuiſſe.

Cæterum, cum deſtinata exequi vellent homines, atque lapides deeſſent, *lateres* proinde coquere, &

calcis inopiam, bitumine, quod ex eo ſolo paſſim exæſtuat, ſupplere, ipſumque opus gnaviter urgere cœperunt. Iſtos inſanos conatus, ut diſturbaret Deus, irritosque faceret, repente *lingua unica*, qua uſi hactenus fuerant mortales univerſi, in plures variasque, prodigio repentino, diſtracta eſt, ita ut jam ſocius ſocium non intelligeret, nec ad obſequium deſtinati, imperantium juſſa aſſequerentur.

Sublata igitur ſermonis communione, quaſi mutuæ ſocietatis coagulo, hæc diremta eſt, nihil enim moleſtius, quam cum eo agere, cujus ſermonem quis non intelligit, ita ut quis canem malit contubernalem habere, quam eum, cum quo verba commutare non licet. Quamobrem, *ab opere incboato ceſſandum*, & alioverſus, prout lingua aut cognatio quosque jungebat, factis agminibus migrandum erat. Nec enim audiendus Rudbeckius, qui in Atlantica tomo 1. c. 3. in diſperſione tantum 4. aut 5. paria una iviſſe arbitratur. Illud magis probamus, quo obſervat, potuiſſe quidem homines a Turri extruenda facile averti tempeſtatibus, fulmine, terræ motu, vel modis aliis, verum ad homines ab hominibus ſegregandos, nihil fuiſſe linguæ confuſione validius aut promtius, ſicut ex adverſo nullum convictus atque converſationis humanæ vinculum, ipſo ſermone, fortius eſſe deprehendatur. Addit probe, hominibus diſperſis, ad vias commode inveniendas, uſum præſtitiſſe *flumina*, quæ & curſus ſuos nocte dieque conſtanter ſervabant, &, iter facientibus, ſuppeditabant alimenta.

Interea loci, Urbs inchoata, ex linguarum operisque confuſione, Hebræis *Babel* appellata eſt, *confundere* enim ipſi בלבל *bilbel* vocant. Nec refragamur

gamur Germanis Criticis, aſſerentibus, quod exinde Babbeln/ Gebabbeln/ Herbabbeln/ (id aliqui Babeln Gebabel / Herbabeln / ſcribunt,) in noſtram linguam promanarint. Pro Babel, Græci Latinique poſtea *Babylonia* dixerunt.

Mira, & neſcio an a quoquam, hactenus credita, fuit ſententia Nobiliſſimi & ſupra modum ingenioſi *Stiernhelmii*, qua, quod laudatus Rudbeckius teſtatur, putavit, confuſionem linguarum a Deo hominibus immiſſam, *unum tantum atque alterum diem duraviſſe*, tanquam ſingulare aliquod hominum ab invicem ſegregandorum inſtrumentum: hominesque hac ratione ſegregatos, poſtmodum ad linguam veterem & communem rediiſſe, quæ nihilominus, cum tempore, in varias abierit dialectos, pepereritque omnes eas, quas vulgus hodieque pro linguis toto genere diſcrepantibus falſo habeat.

Omnibus ſemper viſum fuit, ſemel in hominibus invectam a Deo linguarum *confuſionem*, *duraſſe* in omne volubile ævum, & iſtud de reverſione, poſt illius oblivionem, ad linguam priſtinam, miraculum, citra neceſſitatem, cum nullum ejus indicium Scriptura præbeat, temere confingitur.

Bochartus non minus eleganter quam vere l. 1. Phaleg cap. 15. *Neq; enim momentanea fuit maledictio quam in homines inflixit Deus ex occaſione turris Babylonicæ. Ea hodieq; durat; & durabit in poſterum, usq; ad mundi conſummationem. Vnde fit, ut linguæ omnes, paucis exceptis, quas ex communi illa clade immunes libri præſtant, ſint in perpetuo fluxu, & ſingulis prope ſeculis magna ſui parte mutentur atque alterentur. Vsque adeo verum eſt quod a Poëta dictum:*

Multa renaſcentur, quæ nunc cecidere, cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Itaq; paucæ ſunt linguæ, de quarum antiquitate conſtet.

Quot numero Linguæ in iſta confuſione ortæ ſint, definire non licet. Hebræos hæc perſuaſio tenet, deſcendiſſe Deum ad ædificatores Babylonicæ turris, comitatum LXX. Angelis, atque disjectaſſe illos in LXX. nationes, totidem linguis utentes: commiſiſſe autem quamque gentem tutelæ Angeli alicujus, ſibi interim Hebræorum gentem linguamque tuendas ſervaſſe. Hinc quoque contendunt, Joſuam cum Legis δευτέρωσιν lapidibus, ceu Joſ. VIII. 32. legitur, inſcriberet, LXX. uſum linguis, ut a quavis gente poſſet intelligi. Ex eodem fonte promanat, quod neminem Synedrii Magni Senatorem evadere potuiſſe perhibent, niſi LXX. linguas promte intelligere, & proloqui poſſet, quo nimirum cum omnibus mortalibus, ſine interprete, cuique ex illo Magiſtratu agere liceret, & querelas ad ſe delatas cognoſcere. In quem finem (ut obiter hoc addamus) etiam magiæ gnaros eſſe oportuit, ut veneficiorum reos, ex ſua arte poſſent criminis convincere. Superſtructa eſt de LXX. Nationibus Linguisque ſententia, capiti X. Geneſeos; tanquam fundamento, in quo numerantur trium filiorum Noë tum filii tum nepotes LXX. nempe ex Japheto XIV. ex Chamo XXX. & XXVI. ex Semo.

Græci Patres, quos Latini fere ſequuti ſunt, LXXII. nationes Orbis, & totidem linguas numerant, nempe propter Eliſam, Japheti filiis, & Cainanem Semi nepo-

nepotibus in Græca verſione additos. Itaque Epiphanius de Turris conditoribus: *Diſſipavit* (Deus) *illorum linguas, & ex una diſtribuit in LXXII. pro hominum numero, qui illo tempore repertus; unde & meropes dicti ſunt, propter diviſam vocem.*

Non defuere qui LXX. Nationes & Linguas ex eo collegere, quia Chriſtus LXX. *Diſcipulos* adſcivit, ut ſcilicet unaquæque gens haberet doctorem ſuum; pro LXX. autem Diſcipulis, LXXII. numerat Autor qui Sec. VII. ſcripſit de mirabilibus Scripturæ.

Sed, dubium nullum eſt, & olim *extitiſſe plura quam LXX. aut LXXII. loquelæ idiomata*, & in hanc diem ſupereſſe. In uno Regno Mithridatis, qui ne centeſimæ quidem parti orbis terrarum præerat, XXII. gentes, linguis diſtinctæ morabantur. Quod ipſum tamen leve eſt, præ *Dioſcuriade Colchidis*, in qua Timoſthenes trecentas nationes, quæ diſſimilibus linguis utebantur, conveniſſe prodidit. Videndus Plinius l. 6. Hiſt. Nat. c. 5.

Ecquæ primæva mortalium ante confuſionem Lingua fuerit, jure bono quæritur. Hic autem, ut alios taceamus, Scaliger ad Euſeb. n. 1617. Voſſius de arte Grammat. & Grotius ad Geneſ. c. XI. 1. volunt, catholicam ante diluvium linguam, in linguarum confuſione penitus intercidiſſe, neque ſuperare hodie, niſi quasdam ejus in cæteris linguis diſperſas reliquias.

Verum, & jam olim, ac nunc quoque, inter Viros pios doctosque receptior ſententia fuit, Lingua Hebræa, eos, qui ante cataclyſmum vivebant, in ſermone uſos eſſe. Quid Antiqui ſenſerint, teſtimonium dicit Auguſtinus l. 16. de Civ. Dei c. 11. *Lin-*

gua omnium hominum communis, remanſit in Eberi gente, a cujus nomine nomen accepit. Et magis diſerte, ac ſine circuitione, Hieronymus Epiſt. 144. *Ebræam linguam, qua Vetus Teſtamentum ſcriptum eſt, eſſe initium oris & communis eloquii, univerſa credidit antiquitas.* Recentiorum turbam, quibus idem ſemper viſum fuit, omittimus, ad unum, ſed qui plurimorum inſtar eſt, multiſcium Bochartum in Phaleg. l. 1. c. 15. provocare contenti. Et favet huic opinioni ratio, cum ex ſola Hebræa lingua, etymologiæ omnium nominum, quæ perſonis & locis a mundi exordio ad diſperſionem uſque gentium fuere indita, poſſint arceſſi, & explicari. Tum vero, ſervant omnes, quibus homines colloquuntur, linguæ, Hebræi idiomatis luculenta veſtigia, referuntq; matricem ſuam linguam manifeſtis indiciis.

Accedunt iſtis, *duæ novæ, & prioribus incognitæ obſervationes*, quas tamen minime aliis obtrudimus, cuique liberum relinquendo, fidem iis addere an demere malit. Earum una noſtra eſt, cujus millies amplius fecimus periculum, rogando doctos, indoctos, vocem aliquam, ſibi minime intellectam, pro libitu comminiſcerentur, ac ore proferrent; quod cum feciſſent, ac nemo ex illis qui aderant, (ſæpe enim ne res teſtibus careret, aliis præſentibus experimenta capiebam,) ad ullam linguarum quarum notitia pollebant, peregrinum ſonum accommodare poſſet, ſemper ego oſtendi, vocem illam Hebræam eſſe; ut liquido inde colligere cogamur, Hebræa verba, naturæ ipſius vocabula reputanda, non humani inſtituti.

Altera obſervatio *Franciſcum Mercurium Helmontium* autorem habet, cui, quod nobis de verbis Hebraicis,

braicis, ſic idem pariter de literis in mentem venit. Vult enim ille, in, de Alphabeto vere naturali, noſtra vernacula & Latina quoque linguis, edito libello, atque adeo in rem præſentem Lectores ſuos vocando, adjectis imaginum figuris commonſtrare nititur, Hebraicas literas, imo & iis debita puncta, naturæ ipſius, non vero ab hominibus provenientes, ductus eſſe, qui non forte fortuna, & ex mero caſu, quod in aliis linguis fit, ſed ad effigiandam oris, linguæ, palati, dentium & labiorum (quæ loquelæ inſtrumenta ſunt) habitudinem, cum quæque litera aut punctum profertur, ſic pingantur. Sed ipſum coram huc adducere & loquentem audire ſatius eſt. Talia autem ſatur: *Scriptura Hebraica nihil eſt aliud, quam variorum humanæ linguæ motuum, artificioſa repræſentatio, inq; hoc ipſo, proprie loquendo, illius natura conſiſtit, nec in alio quoquam conſiſtere poteſt. Et certe, ſi fundamento ullibi niteretur alio, annon æque temeraria, vana atq; muta foret, ac omnes omnium linguarum ſcripturæ aliæ, ne unica quidem excepta, quarum ne minima quidem, debita illa ac genuina recte ſcribendi principia, in characteribus ſuis exhibet, ut quis ex ſola literarum figura, oris linguæq; motum cognoſcere, adeoq; exinde vocem articulatam formare queat, quod profecto Hebræa præſtat quam exactiſſime. Hæc enim ſola eſt vera ac legitima recte ſcribendi ratio, quæ non ex cæco impetu, & temerario ductu nata, ſed tanquam vox picta, ſic primitus inſtituta eſt, ut ſicut loquendi organa, internum animi characterem auribus, ita illa eundem per loquendi organa expreſſum, oculis ſubjiciat. Primarium autem loquendi organon lingua eſt, e cujus vario motu atq; alliſu, loquela oritur.*

Quid

Quid ergo, ſi loquela pingenda ſit, aliud pingi poterat, quam varia ejuſdem linguæ commotio atq; configuratio? &, ſi Hebræi ſcribendo ſic olim depinxerunt loquelam, quid magis ad ipſam naturam, ejusq; verum ordinem accedere poterit, quam ſapientiſſima ipſorum ſcriptura?

Qui Hebræam linguam primigeniam negant, illud, quod ab originatione Nominum Propriorum, quibus perſonæ & loca ante linguarum confuſionem inſigniebantur, deſumpſimus validiſſimum argumentum, ſic labefactare conantur, ut dicant, nomina iſta, a Scriptoribus Sacris, in uſum Hebrææ gentis, a naturali & genuino ſono mutata eſſe, uti Latine Sylvam Ducis, Herbipolin, Regiomontum, pro vernaculis Hertzogenbuſch/ Würtzburg/ Königsberg/ dicimus. At, elumbis eſt hæc exceptio: quippe, ſi hoc erat Scriptorum Sacrorum, quod illis viſum eſt, inſtitutum, cui bono retinuerunt in ſuis libris alia propria nomina, extra controverſiam, Perſicæ, Samaritanæ, Arabicæ ac Ægyptiacæ originis?

Nec magis *Maronitæ*, quos inter Georgius Michaël Amira Edenienſis e Libano, in præludiis Grammaticæ Syriacæ facile eminet, audiendi ſunt, qui Syram, ſive, quæ eadem eſt, Chaldaïcam linguam, omnium primam faciunt, eadem, de Nominibus Propriis priſcorum mortalium, ratione uſi, cum & eorundem ſignificationes ad iſtam linguam quadrent.

Enim vero, etſi hoc in cæteris utcunque ſuccedit, tamen cum ventum eſt ad Adami verba Gen. II. 23. *Vocabitur vira, quia ex viro ſumta eſt*, tum aqua eis hæret. Hebraice, ut איש *Iſch* pro viro, ſic אשה *Iſcha* pro fœmina aut muliere, vox uſitatiſſima eſt, cujus etymologiam ipſe Protoplaſtus aperit, cum mulie-

mulierem dicit ideo אשה Iſcha vocari, quia מאיש ex Iſch, hoc eſt, viro, ſumta eſt. Id Chaldæi cum ſuo idiomate conciliare non poſſunt, quia ad virum & fœminam ſignificandos, deſtituuntur conjugatis vocibus, peritque gratia alluſionis apud illorum Paraphraſtas, nam pro muliere deſignanda, Onkelos אתתא Itteta, Jonathan אתא Itta expreſſere, pro viro vero innuendo: ille בעל Baal hic גבר Gevar adhibuit, hoc eſt, plane diſſonas viri & mulieris appellationes, & nihil quicquam affinitatis mutuo habentes.

Imo, nonne hoc monſtri ſimile eſt, nec reperiri, quantum conſtat, in orbe Linguam aliam, in qua illa, quam Adamus inculcavit, viri & fœminæ appellationum analogia, (quod tamen crebro fieri debuiſſe quis opinetur) obtineat, Lutheri enim Männin / & Symmachi ἀνδρὶς factitia ſunt, *Virago* vero, qua voce Vulgatus Interpres, eam cum verbo *Vir* componendo, emphaſin Hebræam utcunque reddere ſtuduit, non mulierem ſimpliciter, quæ tamen ſignificatio unice eſt hujus loci, ſed mulierem fortem, animo & virtute virili præſtantem notat, unde *Diva virago Diana* apud Senecam in Hippolyto, &, *bello metuenda virago Pallas* apud Ovid. 2. Metam. Recte igitur Lyranus: *Virago, non ſignat mulierem de viro ſumtam vel derivatam, ſed viriliter agentem.*

Non carebit, quod reor, voluptate, ſi ex Hieronymi Megiſeri Theſauro Polyglotto oculis ſubjiciam, quam in nulla uſitatarum linguarum viri & fœminæ congeneres ſint appellationes, quo ipſo, exemplo ſimul aliquo patebit, confuſionis, & diſpa-

rilita-

rilitatis linguarum, qua humanum genus luit, enormitas.

VIR.		MVLIER.	
Hebr.	*Iſch, Geber.*	Heb.	*Nekebách, Iſchſcháh.*
Chald.	*Gabra.*	Arab.	*Mara.*
Abyſſi.	*Booſi.*	Punic.	*Elmara.*
Gr.	Ἀνήρ.	Gr. vul.	Γυναῖκα.
Latin.	*Vir.*	Gr.	Γυνὴ.
Ital.	*Huomo.*	Lacon.	Ἀνθρωπώ. Μεσοδόμα.
Hiſp.	*el Varon.*	Latin.	*Mulier.*
Gal.	*Homme.*	Ital.	*Donna.*
Germ.	Ein Mann.	Hiſp.	*Muger.*
Dan.	*Mand.*	Gall.	*Femme.*
Angl.	*a Man.*	Germ.	Ein Weib/ Frau.
Pamphil.	Ἀδρὶ (*pro* ἀνδρί, *viro*)	Belg.	*Een Wyf.*
Ægypt.	*Manoſch.*	Angl.	*a Woman.*
Sclav.	*Mosh.*	Vaſcon.	*Emaztea.*
Dalm.	*Muux.*	Dan.	*Quinde.*
Polon.	*Maż.*	Sclau.	*Sbena.*
Bohem.	*Muz.*	Dalm.	*Xena.*
Tur.	*Er.*	Polon.	*Niewiaſta.*
Hung.	*Ferſiu.*	Bohem.	*Zena.*
Scythic.	*Æor,* αἰόρ.	Turc.	*Avurath.*
Camb.	*Gur.*	Hung.	*Aſſonyalath.*
Sarac.	*Raſol.*	Sarac.	*Amara.*
Arme.	*Air.*	Lapon.	*Captella.*
Cingar.	*Krocner.*	Canad.	*Enraſeſco.*
Cuevenſ.	*Chui.*	Perſ.	*Sen. Rabbe.*
Novo. Canad.	*Aguelhum.*	Ægyp.	*Gagi.*
Lap.	*Olmuelke.*		

VIR.

VIR.		MVLIER.	
Hochel.	*Aguebum.*	Malac.	*Paranpoan.*
Malac.	*Lacky. Oran.*	Javens.	*Tadon.*
	Orang.	Antongi-lens.	*Lello.*
Javen.	*Lana.*		
		Cuevens.	*Ira.*
		Noromb.	*Paragruaſta.*
		Hochelag.	*Agovaſta.*
		Zerg.	*Loſena. Spiga. Velame.*
		Tovoupin.	*Quoniam.*

De *lingua primæva* illud adhuc monendum, non defuiſſe, qui hanc *homines cum beſtiis communem* habuiſſe, contenderent, ſed quos merito fabularum conſarcinatoribus Bochartus in libro Phaleg accenſuit, haud procul ab initio. Reprehendit tamen illum hoc nomine Reyherus in Matheſi Moſaica p.199. & quodammodo ſalvare conatur de hominum & brutorum mutua loquela commentum, qui, etſi fruſtra operam ſumſiſſe videtur, nihilo ſecius audiendus. *Ex eo*, inquit, *quod dicitur ante* (linguarum) *confuſionem*, omnem terram fuiſſe labium unum & verba una, *colligunt nonnulli, etiam beſtias eandem cum hominibus habuiſſe loquelam. Ita enim Plato:* Saturni alumni, tanto otio & facultate, non ſolum cum hominibus, ſed & cum beſtiis colloquendi, hisce omnibus ad Philoſophiam utebantur. *Philo:* Narratur olim animantium omnium terreſtrium, aquatilium, & volucrium eandem fuiſſe vocem. *Licet autem fabulatores nimium hac in parte tribuerint brutis, non tamen prorſus illorum opinio rejicienda eſſe videtur, quemadmodum Bochartus exiſtimavit,*

vit, ſed, cum certo modo toleranda eſt. Nimirum pleraſq; beſtias caruiſſe tunc voce articulata; aliquas, hominum voces imitari potuiſſe, ſed, ob certas cauſas, facultatem iſtam loquendi, aut potius imitandi loquelam amiſiſſe; aliquas vero aptitudinem loquendi retinuiſſe. Quia igitur loquela brutorum eſt & fuit ſimulacrum quaſi loquelæ humanæ, hinc neceſſario ſequitur, beſtiarum loquendi facultate præditarum linguam ubiq; eandem fuiſſe, poſt confuſionem vero etiam in plures linguas fuiſſe diviſas; ita hodie habentur Pſittaci, qui Luſitanica, vel etiam Belgica verba loquuntur, vel utroq; idiomate utuntur. Fuiſſe aliqua animalia, quæ primis temporibus loqui potuerint, poſtea vero ob certam cauſam obmutuerint, probatur exemplo Serpentis, qui ob eam cauſam Geneſ. 3. 1. *dicitur* ערום מכל חית השדה callidus præ omni beſtia agri, *quia vafritie & agilitate reliqua bruta omnia anteceſſit, & propterea (quæ Bocharti in Hierozoico part. 1. l. 1. c. 4. verba ſunt)* Diabolus hoc organo ad ſeducendum hominem uſus eſt, quod veroſimilius fuit, a tam vafro animali, tam vafra conſilia proficiſci, ne fraudem ſuboleret Eva. *Quoniam itaq; tum temporis Serpens ob corporis agilitatem & pulcritudinem ſe magis inſinuare poterat, quam reliqua animalia, inſuper etiam loquelam Evæ imitari poterat, Eva cum ipſo libenter converſata, tempus terere conſuevit. Cumq; fortaſſis aliquando Eva prope Arborem cognitionis boni & mali ambularet, Satanas, occaſione arrepta, Serpentem inſtigavit, ut de fructibus vetitis comederet, & procul dubio hoc argumenti loco adhibuit, ut perſuaderet Evæ, fructus iſtius arboris non eſſe mortiferos, ſed vim maximam habere, augendi eloquentiam & ſapientiam. Unde*

Eva

Eva forſan putavit, ſe & Adamum, mediante illo fructu, adeo perfectos fieri poſſe, ut ipſi Deo ferme ſimiles evaderent, præprimis cum Serpens, brutum antea animal, edendo de illa arbore, tantum, & humanæ prudentiæ ferme æqualem, perfectionis gradum conſecutus fuerit.

De *Hebræa* quoque *Lingua*, ex Bocharti Phaleg l. 1. c. 15. notandum, ejus *puritatem*, poſt diſperſionem, variis dialectis non modice fuiſſe turbatam. Parum enim differebat Chaldæorum, Syrorum, & Palæſtinorum ſermo, ab eo, quo utebatur Abrahamus & gens Hebræa; imo Canaanitis Hebraicum idioma prorſus tribuit Capellus in Chronologia Biblica, & in eo elucere dicit divinam bonitatem & providentiam, quod ad propagandam diſcendamque veram religionem, Noacho & filiis ejus, plurimiſque deſcendentibus, eandem reliquerit linguam: nec ſolis tantum Pelegi poſteris, idioma illud Hebræum, ut communis fert opinio, conceſſerit.

Ad illud vero, quod quidam commenti ſunt, Noacho, & Patriarchis, illud a Deo tributum eſſe, ut linguas omnium a ſe deſcendentium intelligere poſſent, quo ſic eos ad viam ſalutis erudirent, quale donum Apoſtolis in die Pentecoſtes conceſſum, non opus eſt ut confugiamus.

Noviſſime, facto ad Pelegum receptu, notatu quoque dignum, cum eo præterea *ætatem hominum* inſigniter defeciſſe. Cum enim avi ejus omnes vixerint ſupra 400. annos, nec ipſe, nec e poſteris quiſquam, annum vitæ 240. attigit.

Nimirum, Ætatis præcipitatio, facta eſt per Diluvium. Elementa enim, & alimenta corporis humani

omnia, corrupta jam & impura, vivacem illam naturæ vim debilitabant:

Semotiq; prius tarda neceſſitas
Letbi, corripuit gradum.

Singulis enim ætatibus, hominum creſcente numero, ætas diminuta eſt; donec tandem mille circiter a cataclyſmo annis, infra centum annos conſtitit. Nec enim hæc noſtra tempora multum ab iſtis diſcrepant; Vatis divini, dum Pſal. XC. 10. humanam vitam ſeptuaginta aut octoginta annis definit, teſtimonio. Berbiccæ igitur, quod eſt apud Ælianum l. 4. Var. Hiſt. c. 1. viros annum ſeptuageſimum egreſſos, mactabant, fœminas ſtrangulabant. Centum anni in omni deinde ævo, pauciſſimis obtigere. Vnde *Seculum*, Varroni a *Sene* dictum videtur, quod longiſſimum ſpatium id ſit, ſeneſcendorum hominum. Et Seneca lib. de brev. vitæ, eum, cui centeſimus premitur annus, ad ultimum ait ætatis humanæ perveniſſe.

Succedunt nunc *Judæorum de Turri Babylonica fabulæ.* Secundum hos igitur, mulieres, a Diluvio, ob recentem divinam benedictionem, tam fœcundæ erant, ut mox tertio poſt conceptionem die parerent: pueri vero, recens in lucem editi, continuo diſcurſitabant, & rationis ac ſermonis uſura fruebantur.

In Turri exſtruenda innumerabilis hominum multitudo ſeſe occupabat, atque lateres afferentes, per gradus ibi fabrefactos, aſcendebant in parte orientali, deſcendebant verſus occidentem. Si lapis cuidam excidiſſet, cuncti dolebant eam jacturam: ſi vero homo laberetur in præceps, & caput frangeret, neminem illius cura tangebat.

Funda-

Fundamentum Turris, occupabat milliaria duo qua quaverſum, atque altitudo ejus jam producta erat ad milliaria 70. Cujus deinde tertia pars a terra fuit abſorpta, tertia, periit incendio, & tertia etiamnum ſupereſt.

Non idem omnium finis erat in ædificanda turri. Quibusdam enim id conſtitutum fuit, ut ibi habitarent: atque iſtos Deus per omnes regiones diſperſit. Alii volebant ibi Idololatriam exercere, atque impoſuerant cacumini Idolum ingens, quod gladio vibrante cœlo minabatur: horum igitur ſermo confuſus fuit. Denique, quidam, Numini bellum inferre, & cœlum ſupremum perforare deſtinaverant, ut quæ ſupra illud ſunt aquæ, ſenſim defluerent, ne novo diluvio ſuppeteret porro materies. Atque horum pars in ſimias & cercopithecos, pars in ſatyros & ſylvanos abiit.

REGV.

De *Regu* nihil præter nomen cognitum habemus.

Incidit in hujus tempora NIMRODI Dominatus, Chami, ex Chuſo, nepotis: quem nos ex illorum numero minime fuiſſe exiſtimamus, qui Turrim moliebantur: ſive quod tum puer adhuc erat, ſive nondum natus. Nam, ſi verum foret, quod ſupra Joſephum ſcripſiſſe indicavimus, fuiſſe nimirum illum adeo cæteris mortalibus autorem & exactorem tanti operis, utique cladem communem non evaſiſſet, ſed coactus fuiſſet alio terrarum commigrare, cum tamen de eo Gen. X. 10. dicatur, principium Regni ejus fuiſſe Babylonem, qua, nondum exſtructa, conditores diſſipati ſunt. Dedit Nimrodus, quippe audaci & ambitioſo ingenio natus, primo venationi operam, quo inſtituto, magnam apud

homines, cum quibus una agebat, inivit gratiam. Cum enim pauci numero, vagi & palantes eſſent, ſub dio plerunque, aut in tabernaculis, ſine vallo & mœnibus, quibus ſe ab inſidiis ferarum, quarum Babylonia & Arabia refertæ erant, tuerentur, degentes, juvenum manum collegit, & a nocivis beſtiis immunem præſtitit regionem. Poſtquam pleroſque ſic obnoxios ſibi reddidiſſet; cum ſequacibus, quos continua venatione ad bellicarum expeditionum labores tolerandos induraverat, auſus eſt majora conari, & converſis viribus a feris in homines, in hos imperium ſibi arrogare. Contulit autem ſe magna multitudine ſtipatus, in terram Sinear, quam, poſt cladem divinitus illatam, aliquandiu, & memoria tantæ diſſipationis adhuc recenti, deſertam ac incultam jacuiſſe, credibile evadit. Ibi vero; allectus ſine dubio ſumma regionis ubertate & amœnitate, Babylonis opus dudum interruptum continuare, & ad finem perducere inſtituit, atque ipſum locum, in quo disjectum fuerat humanum genus, & quaquaverſus diſperſum, regni ſui auſpicium ac metropolin conſtituit. Atque hinc etiam, multis poſt ſeculis, apud Michæam c. V, 6. Babyloniæ, terræ Nimrodi nomen inditur.

Expoſuit Scriptura Sacra, ex quorundam ſententia, pluribus circumſtantiis Nimrodi Dominatum, ut ſic politici imperii, ſaltem poſt diluvium, initia oſtenderet. Ac Euſebius in Chronico, & Auguſtinus l. 16. de C. D. c. 17. annos 65. ejus regimini aſſignant; eſtque de illius ſucceſſoribus Julii Africani fragmentum in Euſebii Chronico.

Voſſius l. 1. de Idololatr. c. 24. probat, Nimrodum eundem cum BELO eſſe, hac maxime uſus ratione,

quod

quod conditorem Babylonis Gentiles Belum vocent; at Babylonem a Nimrodo conditam eſſe, conſtare e ſacris literis. Erat autem *Bel*, Chaldæorum ſeu Babyloniorum propria vox, ab Hebræo בעל *Baal* quod *Dominum* ſignificat: a quo excidente litera ע factum בל *Bel*, ſecundum morem Chaldaicum; quam vocem etiam Eſaias c. XLVI. 1. adhibuit.

Ergo illud *Bel* aut *Baal* Nimrodi cognomen fuit, ei, tanquam κατ' ἐξοχὴν *Domino*, inditum; haud diſpari ratione, quam qua Galliarum Rex vulgo *Sire*, & Rex Hiſpaniæ *Señor*, Moſcoviæ Dux *Zar*, audiunt. Sub Beli autem, ſive Baalis iſto cognomine, Nimrodus, poſt exceſſum ſuum, pro Deo coli cœpit, atque ſic Idololatria originem habuit. Qua invaleſcente, poſterorum deinde ſuperſtitio varios ſibi Belos vel Baalos excogitavit, quos, divina humanaq; monumenta commemorant.

Conſecravit quoq; poſteritas memoriæ æternæ, ingens illud Nimrodi, & ab ipſa Scriptura prædicatum, venationis ſtudium, eumq; ſub Orionis nomine, in omne deinceps ævum, patronum, præſidem, ac velut tutelare Numen Venatorum conſtituit. Hinc in Chronico Alexandrino legitur: *Chus procreavit Nemrod gigantem, Babyloniæ conditorem, quem Perſæ ajunt in cœlitum ordinem relatum, in aſtris apparere, quem vocant Oriona.* Eſt hoc ſidus maxime illuſtre, quod, ſub noſtrum aſpectum cadentes ſtellæ 17. abſolvunt. Earum tres caput exornant, in utroque humero ſingulæ apparent. In cubito dextro una, in manu una, in zona tres, in gladio ſimiliter tres micant: in utroque genu, quin & in pedibus quoque, ſingulæ conſpiciuntur.

SERVG.

De hoc quoque, æque ac de Regu, parente illius, nihil in Divinis Scripturis proditum eſt.

Ejus ætate cœpiſſe creditur REGNVM ÆGYPTIACVM, cui regioni, principio Deos & Semideos præfuiſſe, fabulata eſt Antiquitas. Dicitur autem Ægyptus, vel ab *Ægypto*, Danai filio, vel potius a Thebaidos urbe *Coptos*, accedente ab initio אי Æ, quæ vox, Hebræis *Regionem*, *Provinciam*, *Inſulam* denotat. Fuit autem Coptos Plinio teſte, Ægyptiorum & Arabum commune emporium. Solet ſucceſſio Regum, ſecundum *Dynaſtias* diverſas, hoc eſt Regiarum familiarum mutationes, dividi: quarum prima fuit *Menitarum*, altera *Thenitarum*, tertia *Memphitarum*, & ſic deinceps: de quibus eſt apud Scaligerum in notis ad Euſebium. Numerant vero in univerſum, inde a jactis Regni fundamentis, ad Cambyſen usque, Dynaſtias XXVII. iisque aſſignant annos 5169. minime utiq; ex vero, cum is numerus, mundi natales antevertat. De eo conſtat, *Cambyſen* deviciſſe ultimum Regem *Pſammenitum*, atque Ægypto in poteſtatem redacta, transmiſiſſe illam ad Succeſſores. Elapſis a Cambyſe annis paulo ſupra centum, ſub Dario nimirum Notho, *defecere Ægyptii* iterum a Perſis, quibus Reges aliquot ordine imperarunt, perpetua bella, cum Perſis, a Græcis adjutos, gerentes. Dehinc ab *Alexandro M.* ſubacti fuere, eoq; mortuo, *Ptolemæo Lagidi* ceſſit Ægyptus, manſitque apud poſteros, donec *Cleopatra* devicta, Regnum illud in provinciæ formam a Romanis redactum fuit. Ab his, *Orientalium Imperatorum* proprium factum eſt, quibus Sec. VII. a Chriſto nato, *Caliphæ* illud eri-

puerunt.

puerunt. Iſtos, poteſtate dejecere *Sultani*, atque hos *Mamalucci*. Tandem A. 1517. Turcarum Imperator *Selymus*, Ægyptum ſibi vindicavit, cujus Succeſſores etiamnum tyrannidem ibi exercent.

Etiam SICYONII REGNI primordia, in hæc tempora conjiciunt Scriptores, quod *Ægialeus* auſpicatus eſt, annis 52. illud adminiſtrans. Fuit autem *Sicyon* Peloponneſi (quæ nunc Morea audit) urbs, 4. milliaribus ab ora ſinus Corinthiaci, in colle ſita, Corintho vicina. Nunc funditus diruta jacet, ejusque ruinæ *Vaſilica* vocantur. Ab Ægialeo, tota Peloponneſus *Ægialea* dicta eſt, eumque exceperunt Reges XXVI. ad ultimum usque *Zeuxippum* A. M. 2854. fato functum. Inde per annos 35. regimen, *Apollinis Sacerdotibus* commiſſum: donec A. 2887. exiguum hoc Regnum, in poteſtatem *Regum Mycenarum*, aliorumque vicinorum populorum tranſiit, poſtquam mille annos duraſſet.

NAHOR.

Abrahami avus is fuit, cujus nepotum, quia multum ad Scripturæ Sacræ intellectum id confert, ſeriem exhibeo in tabella:

THARA.

Nahor.

Thara.

Abraham,	Nahor,	Haran,		
is, ex *Sara* nepte, ſuſcepit Iſaacum, qui, ex *Rebecca*, pater *Eſavi* & *Jacobi*	ex *Milca* nepte, præter alios genuit *Bethuelem*, patrem *Labanis* & *Rebeccæ*.	*Sara* uxor Abrahami, unde & nurus Tharæ dicitur Gen. 11,31. eadem videtur Tharæ filia fuiſſe ex adoptione Gen. 12, 10. c. 20, 12. & c. 11, 29. *Jeſca* dicta eſſe.	*Milca* nupſit patruo *Nabori* Gen. 11,29.	*Lot*, ex filia majore ſuſcepit *Moabum*. ex minore, *Ammonem*. Gen, 19.
ex *Agare* Ægyptia, ſuſcepit *Ismaëlem*, e quo *XII. Principes* memorati Gen. 25,13 ſeqq. & *Machlat*, ſive *Baſemeth*, quæ nupſit Eſavo, Gen. 28, 9. c. 36, 3.	ex *Roma* concubina, ſuſcepit memoratos Gen. 22, 24.			
ex *Ketura*, ſuſcepit eos, qui recenſentur Gen. 25, 1.				

THARA.

Thara, *Abrahamum*, omnium credentium patrem, progeneravit. Conjugis nomen ſacris literis haudquaquam proditum eſt, quod tamen Talmudiſtæ ſuggerunt ex traditione. Nimirum *Emtelai* dictam fuiſſe, patremque *Car-Nebo* habuiſſe perhibent. Rabbinis ſi credimus, Thara non Idololatriæ tantum ſe mancipavit, ſed & idola ſuis manibus effinxit, atque ex illorum venditione quæſtum fecit maximum. Forte, negotiorum cauſa, iter aliquando ei ſuſcipiendum erat; Abrahamum igitur tabernæ, in qua idola ad venditionem proſtabant, præfecit. At vero hunc ſi quis accederet emtor, quærebat Abrahamus ex eo, quot annos natus eſſet? Iſto vero annorum numerum ediſſerente, tum Abrahamus, quæſo te, inquiebat, mi homo, annon oppido inſanis, qui cùm tantam ætatem agas, tamen idolum adorare inſtituis, quod heri demum e rudi ligno fuit edolatum? Quamobrem ſuffuſi pudore quotquot emtum venerant, infecta re diſceſſerunt. Advenit poſtremo anus quædam, offam geſtans, ſacrificatura eam, ut ajebat, omnibus, quæ in Abrahami taberna ordine diſpoſita extabant Numinibus. Ibi tum Abrahamus, ira percitus, amplius ſe continere non valens, accepto fuſte, omnia Numina confregit, ſolo inter ea majore, incolumi relicto, cujus manibus fuſtem ipſe commiſit. Interea temporis reverſus Pater, illamque ſtragem cum horrore aſpiciens, quis eam edidiſſet, Abrahamum interrogat. Enim vero, inquit Abrahamus, neſcio quæ vetula adventaverat, offam conſecrans iſtis Numinibus. Ibi tumultus in-

ter ea ortus eſt longe maximus, unoquoque ſibi offam depoſcente. Denique eo res rediit, ut magnum illud, reliquisque valentius, arrepto fuſte, minorum temeritatem compeſcere, & pœnam, quam, mi Pater, vides, de iis ſumere cogeretur. Negante Patre id fieri potuiſſe, cum ſenſu omni Numina ſua careant; tum vero exprobrare ei cœpit Filius ineptiſſimam ſuperſtitionem, quod ea pro Numinibus venditaret, quæ inanima eſſe ipſe agnoſceret: quodque opem ab iis præſtolari juberet homines ſimplices, quæ a ſuis capitibus exitium avertere non potuiſſent. At Thara, ſana conſilia non admittens, adverſus filium apud *Nimrodum* accuſationem inſtituit: qui, vocatum Abrahamum, jubet ignem adorare illico. At Abrahamus, magis eſt, inquit, ut Aquam quis adoret, hæc enim Ignem extinguit. Ergo, quando ita viſum eſſet, jubetur Aquam venerari Abrahamus: ſed is, imo, excipit, potius Nubes adorandæ ſunt, nam hæ Aquas ſuſtinent. Nubibus cultum deferre juſſus, majori jure hunc Vento competere regerebat, quod hic Nubes diſpergeret. Verum, nec ad illum divino cultu proſequendum, permoveri potuit, cauſam allegans, quod Homo adverſus Ventum adhuc queat conſiſtere, nec proinde æquius quid videri, quam ut Homines ſeſe invicem adorent. Tum Nimrodus ſentiens ludum & jocum tantum ſe eſſe Abrahamo, in fornacem ardentem actutum eundem conjici juſſit. Id ubi audivit frater Abrahami *Haran*, eventum rei ſpectaturus accurrit, ſecumq; ſtatuit, ſe quoque Abrahami Deum impoſterum culturum, ſi frater illæſus evaderet. Manſit Abrahamus incolumis, atque tum Haran illius

lius religionem profeſſus , mox & ipſe tyranno jubente ut Ignem adoraret , cum tergiverſaretur , in clibanum injectus fuit. Hujus autem erga Deum fiducia quia minor longe erat , quam qua Abrahamus pollebat, itaque crematus periit , Patre inſpectante. Non recens eſt hoc commentum, quippe cujus pleraque habentur in Alcorani 21. quæ de Prophetis inſcribitur Surata. Imo & aliqua ejus S. Hieronymus in Traditionibus in Geneſin ita affert , ut illis aſſenſum præbere videatur.

HISTORIA MONARCHIARVM.

MOnarchiæ vocabulum, alio ſenſu Hiſtorici, alio Politici accipiunt. *Politicis*, generatim notat Statum Reipublicæ, in quo penes unum eſt ſumma poteſtas, & rerum arbitrium. At, *Hiſtorici*, ſpeciali magis notione, Monarchiam, vocant Imperium in terris eximium, omnibus aliis Regnis illa tempeſtate potentius; neque id tamen ſemper monarchice adminiſtratum, ſed aliquid nonnunquam ex aliis formis trahens. Harum Monarchiarum *quatuor* vulgo numerant, primam Aſſyriorum; alteram, Perſarum; tertiam, Græcorum; quartam, Romanorum. De illis ſciendum, idem Regnum non ſemper in eodem ſtatu permanſiſſe, ſed, ut ſunt humana, ſæpe multa detrimenta paſſum eſſe, &, interdum ab externis, non raro & a ſuis ſubditis, concuſſum fuiſſe ac labefactatum. Nec tamen propterea ceſſaſſe dicitur, quoad ita cecidit, ut amplius conſurgere non poſſet.

MONARCHIA I.

ASSYRIORVM, MEDORVM & BABYLONIORVM.

NINVS.

NInum, quidam Eruditorum, eundem cum Nimrodo, alii, Filium illius faciunt; aliis, ambos gente & proſapia longe ſegreges fuiſſe, vehementer contendentibus, pro quibus controverſiis, nemo tyronum, (nam de confirmatis in hoc doctrinæ genere alia res eſt) ciccum interduit. In eo tamen fere conveniunt profani Scriptores omnes, Ninum, *Belo*, quem, vero nomine, Nimrodum vocatum eſſe prædiximus, patre procreatum fuiſſe.

Cæterum, a Nini imperio, iidem Scriptores, hiſtoriarum faciunt initium: narrantque, ipſum, peſſimo exemplo, finitimis bella intuliſſe, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, ad terminos usque Libyæ perdomuiſſe. Agnoſcunt quidem ſimul, antiquiores fuiſſe *Vexorin* Ægypti, & *Tanaum* Scythiæ Reges, quorum ille, in Pontum, hic, in Ægyptum usque exceſſerit; ſed illos non cum accolis, verum longinqua bella geſſiſſe. Ninus autem, domitis proximis, cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret, & proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius Orientis populos ſubegit. Dehinc, coactis undique viribus, ſupra *Tigrim* fluvium urbem ſtatuit, eamque ex ſuo nomine *Ninum*, quæ, in Libris ſacris *Ninive* dicitur, appellavit.

Poſtre-

Poſtremum illi bellum fuit cum *Zoroaſtre* Bactrianorum Rege, adverſus quem, (ſi Cteſiæ apud Diodorum Siculum fides) peditum decies & ſepties centena millia, equitum millia ducenta, currus vero falcatos paulo minus decem millibus & ſexcentis, eduxiſſe dicitur. Erat autem *Bactriana*, regio ad mare Caſpium, quæ nunc ſub Tartaria comprehenditur, *Coraſan* dicta, cujus urbs primaria eſt *Maracanda*. Juſtinus, ex Trogo, tradit, Zoroaſtrem, primum artes magicas inveniſſe, & mundi principia, ſiderumque curſus diligentiſſime ſpectaſſe: unde Arnobius l. 1. inter Aſſyrios & Bactrianos, non ſolum ferro & viribus, ſed magicis quoque artibus decertatum fuiſſe annotat. Sed, *magum illum Zoroaſtrem*, plerique Perſam faciunt, & multis demum poſt hæc ſeculis vixiſſe confirmant.

Ninum *telo* trajectum periiſſe, dum urbem quæ defecerat, oppugnat, ſcribit *Oroſius*. Apud Ælianum l. 7. Hiſt. var. c. 1. legitur ex Dinone, *Semiramidem*, conjugem illius, cum a marito quidvis petendi facultatem accepiſſet, ſtolam regiam, Aſiæque Imperium ad quinque dies efflagitaſſe. Id cum impetraſſet, mandaſſe illam, ut Regem ſatellites interficerent, atque ſic ipſam Aſſyriorum Imperium obtinuiſſe.

CONTEMPORANEA.

NOAH moritur, anno ætatis 950. qui, & vitæ diuturnitate, & majoris poſteritatis aſpectu, Adamum ſuperavit. Nam & 20. annis fuit illo ætate provectior, nec octavam tantum, ut ille, verum undecimam vidit generationem.

ABRAHAMVM, Deus, Eccleſiæ ſuæ conſervandæ memor, ex Vra, Chaldæorum urbe, trans Euphra-

phratem ſita, evocavit, atque in Palæſtinam contendere juſſit. Falſi enim ſunt Judæi, qui, vocem *Vr* de *igne* in quem conjectus fuerit, interpretantur, cum Vræ loci, in quo, converſus ad Orientem Euphrates, Syriæ Palmyrenas ſolitudines relinquat, etiam apud Plinium l. 5. Hiſt. Nat. c. 24. mentio occurrat. Ammianus quoque l. 5. alterius Vræ, trans Tigrim ſitæ, meminit. Egreſſus autem eſt Abrahamus e natali ſolo, una cum *Lotho*, & uxore *Sara*, quibus parentem *Tharan* nonnulli adjungunt: aliis jam tum e vita ipſum exceſſiſſe opinantibus.

SARAM, quidam ex Gen. X, 12. ſororem Abrahami conſanguineam, alia ſcilicet matre, ſed eodem patre genitam fuiſſe arbitrantur: nonnulli, verba illa de adoptione in familiam Tharæ, poſt mortem Haranis, intelligunt, atque ita filiam Haranis faciunt, eandem nempe cum ea quæ Gen. 11, 29. *Jeſca* dicitur. Hanc ſententiam, nos in tabula expreſſimus, &, ſic Hieronymus quoque animatus fuit, ſcribit enim in tradit. in Geneſin: *Aran filius Thare, frater Abraham & Nachor, duas filias genuit, Melcham, & Sarai, cognomento Jeſcam,* διώνυμον. *E quibus Melcham accepit uxorem Nachor, & Sarai Abraham: necdum quippe, inter patruos, & fratrum filias, nuptiæ ſuerant lege prohibitæ: quæ, in primis hominibus, etiam inter fratres & ſorores initæ ſunt.*

Illa profectione Abrahami, Deus intendebat Nominis ſui prædicationem, per omnes Orientis regiones circumferre, & ad ipſos impii Chami poſteros, virum pietate & ſapientia inſignem mittere, qui intermorientem apud ipſos ſui cognitionem ſuſcitaret, & Meſſiæ adventum ſperare juberet. Quapropter Abrahamo Gen. XII, 3. pollicitus eſt, fore, ut

ſemen e quo populis omnibus ſalus oritura, ex ipſius lumbis ſuo tempore proveniat.

Hoc Oraculo fretus Abrahamus, in *Palæſtinam* pergit, ibidemque prope *Sichemum*, novo firmatur Numinis alloquio, de totius Palæſtinæ poſſeſſione poſteris illius concedenda. Sed fame exorta, in *Ægyptum* migrat, cujus Reges *Pharaones* appellabantur. Qui tum rebus ibi præerat, Saræ conjugis Abrahami, pulchritudine illectus, eam ſibi uxorem aſſociare cogitabat. Mox vero repentinis percuſſus malis, marito, quod citra hæſitationem credimus, reſtituit inviolatam. Neque enim ſcrupulum nobis movet Hieronymus, qui in tradit. in Gen. ob illud quod Gen. XII, 16. dicitur, Pharaonem benefeciſſe Abrahamo propter Saram, adeo ut fuerint ei oves, & armenta, & aſini, & ſervi, & ancillæ, muli & cameli; ne ſcilicet fruſtra Pharao tot ac tanta donaſſe videatur, propemodum in eam inclinat ſententiam, Pharaonem, Saræ corporis uſuram ſibi cepiſſe. Addit vero, ad eam a crimine liberandam, *corpus ſanctarum mulierum, non vim maculare, ſed voluntatem; & excuſare poſſe Sarai, quod famis tempore, ſola, Regi in peregrinis locis, marito connivente, reſiſtere nequiverit.* Subjungit nihilo ſecius: *Tamen poteſt & aliter fœda neceſſitas excuſari: quod juxta librum Heſter, quæcunque mulierum placuiſſet Regi, apud veteres, ſex menſibus ungebatur oleo myrtino: & ſex menſibus in pigmentis variis erat, & curationibus fœminarum: & tunc demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita poteſt fieri, ut Sarai poſtquam placuerat Regi, dum per annum ejus ad Regem præparatur introitus & Abrahæ Pharao multa donaverit, & Pharao poſtea ſit percuſſus a Domino, illa adhuc*

huc intacta ab ejus concubitu permanente. Non vero opus nobis tantis ambagibus, & ſalva omnis res cum Saræ pudicitia eſt, ſi dicamus, Deum, (qui utique pœna ſua honori Saræ conſultum volebat,) ſtatim, ſimul ac ea in ædes Pharaonis admiſſa eſt, in ipſum animadvertiſſe, atque ſic hanc ſine mora inde exactam fuiſſe. Cum autem, ut ille ait apud Comicum, *diſciplina ſit iis, qui ad dominas affectant viam, munerarier etiam ancillas*, quanto magis Abrahamus, quem adamatæ Saræ fratrem credebat Pharao, donis cum procari vellet, ei placandus erat?

Abrahamus in Ægypto agens, veri Dei notitia incolas imbuere ſtuduit; idem & Arithmeticam, Aſtronomiam, aliasque diſciplinas iis tradidit, quas, ab Ægyptiis, multis poſt ſeculis, edocti Pythagoras, Thales, Democritus, & Græcorum alii, in varias terras propagarunt.

Judæorum huc pertinentes affaniæ ſunt: Abrahamum, viris, Saram, fœminis, ubique ſcholam pietatis & artium aperuiſſe. Cumque difficultatem, ceu ipſis viſum eſt, pariat, quare tum primum, cum ambo in Ægyptum proficiſcerentur, Abrahamus uxori dixerit, (Geneſ. XII, 11.) *ecce nunc novi mulierem pulchram aſpectu eſſe te*: prout apprime ad mentem ipſorum verterunt Junius & Tremellius, quaſi ante id tempus hoc ignoraſſet; ad eam tollendam cauſantur, ſolere ſemper fœminis formoſis peregrinationes labem afferre; Abrahamum igitur cum vidiſſet Saræ venuſtati moleſtias itineris nihil obeſſe, id pro argumento habuiſſe inuſitatæ pulchritudinis. Alii dubium ita ſolvunt, ut dicant, Saram, præ nimia verecundia nullam unquam corporis partem nudam monſtraſſe Abrahamo.

 Cum

Cum autem Ægyptum petentibus rivus transeundus eſſet, ibi tum ob aquæ profunditatem Saram veſtes ſublevaſſe, ut cruribus tenus ſpeciem pedum Abrahamus intueretur, atque ſic cognoſceret, quam tota flos eſſet Sara, & naturæ ſpecimen. Hanc ob cauſam arcæ incluſam Saram ſecum poſtea vehebat, ſed in Ægypti limite ubi ſolvendum vectigal erat, cum ad profitendum mercès, arcam aperire cogeretur, hac retecta, fulgore ingenti coruſcans Saræ vultus, omnium qui in civitate erant oculos præſtrinxit.

Pharao præ nimio amore quo erga Saram flagrabat, teſtamentum condidit, eique legavit omnes ſuos theſauros: præcipue vero legavit terram *Goſen*, unde hæc, Saræ poſteris Iſraëlitis, habitanda ceſſit jure hereditario. Dedit quoque idem Saræ *Agarem*, ſuam, e concubina, filiam, ut illa pro ancilla uteretur.

Coacta fuerat Sara una cum Pharaone in thalamum ſe conferre: illico vero ipſum, velut ſideratum, languor corripuit, ut eſſet lorum in aqua. Angelus quoque ſtricto gladio exitium ei intentabat; quem, ſuis precibus liberans Sara, ſimul faſſa eſt, ſe viro junctam eſſe, quanquam minus ex vero hoc dixit. Dederat enim illi Abrahamus, antequam in domum Pharaonis deduceretur, libellum repudii, ut vitium ibi paſſa, ſaltem immunis eſſet ab adulterii reatu.

SEMIRAMIS.

Semiramis, omnibus ætatis ſuæ mulieribus, & ingenio & forma præſtabat. Natam ferunt, in urbe Palæſtinorum *Aſcalone*, matre *Derceto*, (quæ pro Dea illis in locis poſtmodum culta eſt,) ex adoleſcentis cujusdam ſtupro. Hæc vero deinde, peccati pudo-

pudore, ſe in ſtagnum proximum abjecit, cum infantem prius expoſuiſſet, in edito quodam & deſerto loco; ibi, lacte primum coagulato, ex propinquis paſtorum mapalibus rapto, poſt annum, caſeo, aluere eam *columbæ*; unde nomen illi datum Semiramis, quod, *montanam columbam*, Heſychio autore ſignificat. Tandem a paſtoribus inventa, Præfecto Regio *Simmæ*, dono data eſt, qui, cum liberis careret, eam educavit pro ſua. Cum jam nubilis eſſet, Syriæ præfectus *Menon*, ad recenſendos greges illac a Rege miſſus, apud Simmam forte divertit. Tum virgine conſpecta, ita amore ejus flagrare cœpit, ut illam uxorem duceret, ex qua *Japatem* atque *Hydaſpem* filios ſuſcepit.

Poſt hæc, cum Menon Ninum in expeditione adverſus Bactrianos comitatus eſſet, atque ad *Bactra* urbem videret ſibi deſidendum eſſe diutius, amoris impatiens, conjugem ex Ninive accerſit in caſtra. Nec moratur illa, novaque, ad tam longum iter, *ſtola* ſe induit, quæ, ita comparata erat, ut virne an mulier eſſet, haud facile quis dignoſceret; habili præterea, & quæ agilitatem corporis non impediret. Cum veniſſet in caſtra mulier perſpicacis ingenii, magnique animi ſupra ſexum, ſitum urbis & ordinem obſidionis diligenter perluſtravit. Tandem animadvertit, Arcem in rupe ardua & excelſa collocatam, cuſtodiis vacuam eſſe. Neque enim opus videbatur, loco tam a natura munito, & quo nullis patere aditus poſſet, præſidium adhibere: eapropter partem urbis inferiorem, & campeſtrem, potius firmandam exiſtimabant. Semiramis igitur, aſſumta militum expeditorum manu, eorum præcipue, qui locis ejuſmodi abruptis & inviis aſſueti erant, per

Cum autem Ægyptum petentibus rivus transeundus eſſet, ibi tum ob aquæ profunditatem Saram veſtes ſublevaſſe, ut cruribus tenus ſpeciem pedum Abrahamus intueretur, atque ſic cognoſceret, quam tota flos eſſet Sara, & naturæ ſpecimen. Hanc ob cauſam arcæ incluſam Saram ſecum poſtea vehebat, ſed in Ægypti limite ubi ſolvendum vectigal erat, cum ad profitendum merces, arcam aperire cogeretur, hac retecta, fulgore ingenti coruſcans Saræ vultus, omnium qui in civitate erant oculos præſtrinxit.

Pharao præ nimio amore quo erga Saram flagrabat, teſtamentum condidit, eique legavit omnes ſuos theſauros: præcipue vero legavit terram *Goſen*, unde hæc, Saræ poſteris Iſraëlitis, habitanda ceſſit jure hereditario. Dedit quoque idem Saræ *Agarem*, ſuam, e concubina, filiam, ut illa pro ancilla uteretur.

Coacta fuerat Sara una cum Pharaone in thalamum ſe conferre: illico vero ipſum, velut ſideratum, languor corripuit, ut eſſet lorum in aqua. Angelus quoque ſtricto gladio exitium ei intentabat; quem, ſuis precibus liberans Sara, ſimul faſſa eſt, ſe viro junctam eſſe, quanquam minus ex vero hoc dixit. Dederat enim illi Abrahamus, antequam in domum Pharaonis deduceretur, libellum repudii, ut vitium ibi paſſa, ſaltem immunis eſſet ab adulterii reatu.

SEMIRAMIS.

Semiramis, omnibus ætatis ſuæ mulieribus, & ingenio & forma præſtabat. Natam ferunt, in urbe Palæſtinorum *Aſcalone*, matre *Derceto*, (quæ pro Dea illis in locis poſtmodum culta eſt,) ex adoleſcentis cujuſdam ſtupro. Hæc vero deinde, peccati pudo-

pudore, ſe in ſtagnum proximum abjecit, cum infantem prius expoſuiſſet, in edito quodam & deſerto loco; ibi, lacte primum coagulato, ex propinquis paſtorum mapalibus rapto, poſt annum, caſeo, aluere eam *columbæ*; unde nomen illi datum Semiramis, quod, *montanam columbam*, Heſychio autore ſignificat. Tandem a paſtoribus inventa, Præfecto Regio *Simmæ*, dono data eſt, qui, cum liberis careret, eam educavit pro ſua. Cum jam nubilis eſſet, *Syriæ* præfectus *Menon*, ad recenſendos greges illac a Rege miſſus, apud Simmam forte divertit. Tum virgine conſpecta, ita amore ejus flagrare cœpit, ut illam uxorem duceret, ex qua *Japaiem* atque *Hydaſpem* filios ſuſcepit.

Poſt hæc, cum Menon Ninum in expeditione adverſus Bactrianos comitatus eſſet, atque ad *Bactra* urbem videret ſibi deſidendum eſſe diutius, amoris impatiens, conjugem ex Ninive accerſit in caſtra. Nec moratur illa, novaque, ad tam longum iter, *ſtola* ſe induit, quæ, ita comparata erat, ut virne an mulier eſſet, haud facile quis dignoſceret; habili præterea, & quæ agilitatem corporis non impediret. Cum veniſſet in caſtra mulier perſpicacis ingenii, magnique animi ſupra ſexum, ſitum urbis & ordinem obſidionis diligenter perluſtravit. Tandem animadvertit, Arcem in rupe ardua & excelſa collocatam, cuſtodiis vacuam eſſe. Neque enim opus videbatur, loco tam a natura munito, & quo nullis patere aditus poſſet, præſidium adhibere: eapropter partem urbis inferiorem, & campeſtrem, potius firmandam exiſtimabant. Semiramis igitur, aſſumta militum expeditorum manu, eorum præcipue, qui locis ejusmodi abruptis & inviis aſſueti erant, per

aditum vallis præcipitem, ſuperata loci aſperitate, Arcis partem occupat. Magno deinde ad terrorem, excitato tumultu, dat Arcis captæ ſignum obſidentibus. Tum ii, qui urbem propugnabant, Arce, ut putabant, amiſſa, conſternati, relictis mœnibus, fuga ſaluti ſuæ conſulunt, facilem expugnationem hoſtibus relinquentes.

Ninus, urbe capta, mulieris virtutem primò, mox formam quoque miratur, nec ſolum donis cumulat Semiramidem, ſed & uxorem ſibi concupiſcit. Cum vero marito, ut eam miſſam faceret, perſuadere non poſſet, etiamſi filiam ſuam *Suſanem* in vicem polliceretur, minas addit, niſi pareat, oculos ſe illi eruturum teſtatus. Hoc perculſus metu, ſimul & ex amoris impatientia, Menon laqueo ſibi gulam fregit, Ninus Semiramide potitus eſt.

Nino e medio ſublato, Semiramis, nec filio *Ninyæ*, quem alii *Zamem* & *Zamein* vocant, puero immaturo, auſa tradere imperium, nec ipſa palam tractare, tot ac tantis gentibus, vix patienter uni viro, nedum fœminæ, parituris, ſimulat ſe, pro uxore Nini filium, pro fœmina puerum. Nam & ſtatura utrique mediocris, & vox pariter gracilis; figura formæ, & lineamentorum æqualitas matri ac filio ſimilis. Sic primis initiis ſexum mentita, puer credita eſt. Cumque magnas deinde res geſſiſſet, ubi earum amplitudine invidiam ſuperatam putat, quæ ſit fatetur, quemque ſimulaſſet. Neque hoc illi dignitatem Regni ademit, ſed admirationem auxit, quod mulier, non fœminas modo virtute, verum & viros anteiret.

Imperavit Semiramis annos 42. Initio regni *Babylonem*, oppidum adhuc modicum, quod ipſe Ni-

nus

nus, prodigio fortaſſe linguarum diviſionis deterritus, auſus non fuerat, perficere inſtituit, idque tanta induſtria ac magnificentia ab illa præſtitum, ut magis urbem eam condidiſſe, quam ampliaſſe dici poſſit. Quippe ducentorum amplius hominum opera uſa, per 360. ſtadia ambitum illius extendit, Mœnia pedes 200. alta, lata 50. in iisque hortos penſiles conſtituit. Euphratem per mediam urbem duxit, eumque ponte, ſtadia quinque longo, lato pedes 30. conſtravit; quem columnæ ſuſtinebant lapideæ, arte mira in profundum immiſſæ. Regias, juxta flumen, ex utraque pontis regione, duas ædificavit, ut non modo proſpectum præberent in urbem, ſed & pro fræno valerent. Condita Babylone, alias ad Euphratem atque Tigrim civitates, & in his *emporia* fundavit, mercium ex Media & aliis regionibus, per hos fluvios Babylonem deferendarum. Ex Armeniæ quoque montibus lapidem eruit 135. pedes longum 25. latum, craſſumque. Hunc, magna vehiculorum multitudine ad flumen perductum, navique impoſitum, Babylonem detulit, & in via celebri ſtatuit obeliſcum. *Navigia* vero, quæ ſecundo flumine deſcendebant ex Armenia in Babyloniam, orbiculata fuiſſe inſtar clypei, ſcribit Herodotus, e ſalicibus compacta, & circumdata pellibus.

Porro, non contenta Semiramis acquiſitos a viro regni terminos tueri, arma in *Ægyptum* protulit, & *Æthiopiam* imperio adjecit. Deniq; & *Indis* bellum intulit, eductis ſecum in illa expeditione, ſi qua Cteſiæ fides, quadragies centenis millibus militum. Cumque in hoc apparatu *Elephantorum* indiga eſſet, quo præſidio vehementer Indi utuntur, ut hac quoque virium parte nihil concederet, & ſuis metum

eximeret, hoſtibus incuteret, elephantos & ipſa oſtentare voluit, ſimulatos potius quam nullos. Ter centena boum cæſa ſunt millia: carnes datæ ſutoribus, quorum arte, ſimulacra elephantorum ex coriis erant fingenda. Hæc igitur ſtramine ſuffarciebant, ut vacuus in medio locus, & camelo qui geſtaret, & homini qui regeret, relinqueretur. Adduxerat etiam per camelos bis mille naves ſolutiles, quibus cum Indum fluvium tranſire conaretur, vincit quidem Indorum Regem *Staurobatem* prælio navali, ſed, ab eodem, pugna terreſtri vincitur, fugatur, & vix cum tertia parte copiarum ſalva redit.

Cum aliquando circa cultum capitis ſui occupatæ Semiramidi nunciatum eſſet, *Babylonem defeciſſe*: altera parte crinium adhuc ſoluta, protinus ad Vrbem expugnandam accurrit; nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam civitatem in poteſtatem ſuam redegit. Quocirca ſtatua ejus Babylone poſita eſt illo habitu, quo ad ultionem exigendam, celeritate præcipiti tetendit. Diodorus, leonem ejus manu peremtum eſſe teſtatur. Plutarchus in Apophthegmatibus narrat, Semiramidem, cum ſibi Sepulchrum condidiſſet, inſcripſiſſe ei: *Si quis Rex pecunia indiguerit, is, recluſo hoc monumento, ſumat quantum volet:* Darium vero Perſam, illo aperto, nihil ibi reperiſſe, præter hanc unam ſententiam: *Niſi homo nequam eſſes & avarus, mortuorum tumbas non violares.* Sed hoc, Nitocridi Babyloniorum Reginæ ab Herodoto tribuitur. Fertur quoque, Semiramis effigiem ſuam in lapide, cujus longitudo 17. ſtadiorum, exſculpi juſſiſſe, centumque Sacerdotes ſtatuiſſe, qui ſimulacro huic, ſolemni ritu, ſacrificiis litarent tanquam Numini.

Legi-

Legitimo conjugio abſtinuit Semiramis, ne forte Regno excuteretur, militum tamen formoſiſſimis corpus proſtituit, quos deinde protinus e medio ſuſtulit; quin & equum ſibi adhinnire paſſa eſt, ſi Jubæ apud Plinium credimus. Denique, cum inceſtum filii concubitum petiiſſet, ab eodem interfecta periit, ſeu abhorrente illo rem fœdam, ſeu verito fortaſſe, ne pari fato, niſi occupaſſet, interiret, quo reliqui amatores necati fuerant. Aliqui fabulantur eam in *Columbam* tranſiiſſe: compluribus enim avibus domum ingreſſis, & illam una cum reliquis avolaſſe; atque hinc factum eſſe, ut Aſſyrii Columbam pro Dea coluerint.

Abbas Vrſpergenſis, & alii, volunt, Semiramidem privignum *Trebetam* a ſe abegiſſe, atque hunc per varios itinerum errores, in Rhenum, atque inde in Moſellam perveniſſe, *ibiq; Trevirenſem urbem* ſtatuiſſe, annis 1250. ante Romam conditam.

CONTEMPORANEA.

Abrahamus ex Ægypto redit in Cananitidem, vel fame jam ſublata, vel commeatu & annona ſatis inſtructus. Abundabat enim gregibus armentisque; quin & *Lothus* itinerum comes perpetuus, pecorum dives erat. Quamobrem cum regionis ea pars, in qua ſe collocaverant, nimis anguſta videretur, neque tantæ hominum pecudumque multitudini jam ſufficeret, atque lites & jurgia de puteis & paſcuis inter Lothi & Abrahami pecuarios ſubinde orirentur, ſeparatio facta eſt. Lothus igitur, optione facta, vallem ad Jordanem fluvium, quæ cum Edenis horto Ægyptove amœnitate ubertateque ſoli contendebat, inque ea, *Sodomam* urbem ſibi habitandam elegit,

git, Cananitis Abrahamum tenuit, quod ſine dubio cœleſti providentia diſpenſante ſic factum eſt, ut impuræ gentes utrobique haberent, qui pietatem verique Dei notitiam & cultum traderent, ſacroque præirent exemplo.

Ex Judæorum opinione, paſtores Abrahami, homines frugi erant, ab alienis paſcuis ſolicite abſtinentes: ſed Lothi opiliones perverſi fuere, pecus ſemper in arva ab aliis occupata, agentes. Quam ob cauſam cum ab Abrahami pecuariis corriperentur, inde litium cauſa, præcipue quia Lothi paſtores ea utebantur excuſatione, ut dicerent, omnem Cananæam regionem Abrahamo a Deo conceſſam eſſe, cum autem is ſobole careat, perventuram ſic hereditatis ſucceſſione ad Lothum, tanquam proximum agnatum.

MVNDI MILLENARIVS III.

SECVLVM I.

NINYAS.

PEremta Semiramide, Ninyas filius, qui *Zames* & *Zameis* quoq; dictus eſt, ſucceſſit. Hic, contentus elaborato a parentibus imperio, belli ſtudia depoſuit, &, velut ſexum cum matre mutaſſet, raro a viris viſus, in fœminarum & eunuchorum turba conſenuit. Summam enim Regis felicitatem in eo ſitam credidit, ut a curis & moleſtiis immunis, voluptatibus abundaret. Poſteri quoque & Succeſſores, ejus exemplum ſecuti, reſponſa gentibus per internuncios dabant. Ninyas autem deſerta Babylone, in urbe *Nino* ſive *Ninive*, regiam collocavit, atque ex illius, & qui poſt eum imperarunt, ſegnitie, fa-

ctum

ctum eſt, ut plurimæ in Aſia, &, ſi quæ in Africa erant provinciæ, jugum excuterent, & jam Aſſyriacum Imperium, Euphrate ab Occidente, Scythia, Indiave ab Oriente contineretur. Meſopotamiæ, Mediæ, Babyloniæ, & aliis, quæ manſerunt in fide, regionibus, Præſides dati, &, cum exercitu ſemper novo, mutati quotannis, ut hoc fræno ſubditi continerentur in officio, nec tamen Præſides ipſi militesve, poteſtatis & annorum diuturnitate, ad res novandas ſolicitarentur.

CONTEMPORANEA.

Amraphel, Babyloniæ; *Ariochus*, Ponti; *Kedarlaomor*, Elymæorum; *Thideal*, Pamphyliorum a Ninya conſtituti Præfecti, qui & Reges audiebant, ſocietate inita, rebelles *Sodomæ*, vicinarumque urbium, *Gomorrhæ*, *Adamæ*, *Zeboim* & *Belæ* Rectores, ad obedientiam Aſſyriorum, armis revocare inſtituunt. Initio eis feliciter ceſſit expeditio. Nam Arabiam, omniaque Jordani finitima, victricibus armis pervagati, quinque earum regionum Regulos, acie devictos, in captivitatem ducebant, oppidis direptis. Pars prædæ fuit ipſe *Lothus*, recens Sodomæ incola, cum familia fortuniſque omnibus. Ea re audita, Abrahamus victoribus ex improviſo cum exigua manu ſupervenit; iiſque per intempeſtam noctem fuſis ac fugatis, ſalva omnia cum Lotho ſuo recuperavit. Sic cunctis populis patuit, quantum Dei veri potentia, fictitia Numina antecellat. Abrahamo a victoria redeunti, occurrit *Melchiſedecus* Solymorum Rex, cum benedictionibus & commeatu, ac viciſſim ab Abrahamo in gratitudinis teſtimonium, *decimas* omnium bonorum conſequitur.

His temporibus, *Tuiſconem*, Germanorum Regem, ac Parentem, ejusque filios *Mannum*, *Ingævonem*, *Marſumq;* Reges floruiſſe, ac Tuiſconis comitem fuiſſe *Danum*, Danorum conditorem, Aventinus memorat.

ARIVS.

Qui Ninyam ſecuti ſunt Aſſyriaci Imperatores, ad Sardanapalum usque, omnes inglorii fuerunt, quorum fere ſola nomina annique adminiſtratæ poteſtatis, ex Africano & Euſebio habentur, quæ tantum valent ad texendum ſucceſſionis ordinem. De Ario tamen proditum eſt, ipſum Bactrianos ſibi ſubjeciſſe. Imperavit annis 30.

CONTEMPORANEA.

Abrahamus magnis a Deo beneficiis auctus, orbitatem tamen ſuam mœrebat, quod nullam a ſterili conjuge ſobolem ſuſciperet, jam octogenario major. Ergo ratus aliam complendis oraculis uxorem deſtinari, ſuadente Sara, cum *Hagare*, ancilla Ægyptia conſueſcit. Ea gravida facta, cum heram ſperneret, ab ea male habita, fugit in deſertum. Sed Angeli monitu reverſa, *Iſmaëlem* Abrahamo peperit, a Deo ipſo ſic nominatum, antequam naſceretur. Nam, quod Hieronymus in tradit. in Gen. ait, *ſciendum, quod quatuor in veteri teſtamento, absq; ullo velamine, nominibus ſuis antequam naſcerentur, vocati ſunt: Iſmaël, Iſaac, Salomon, & Joſias. Lege Scripturas.*

Anno 99. ætatis, Deus Abrahamo *Sacramentum Circumciſionis* mandavit, quod, in ſe, & Iſmaele filio 13. vel 14. annos circiter nato, executus eſt. Hoc circumciſionis fœdere tam miro, & a gentibus

bus reliquis deſpecto, quod, juſtitiæ ſignaculum Paulus appellat, non Eccleſiæ ſimpliciter, ſed generis Hebræi diſtinctio intendebatur. Solis enim Hebræis, & eorum ſervis, præceptum hóc datum eſt, ceſſaturum, quamprimum Chriſtus natus, & multitudo gentium ad fœderis communionem eſſet vocanda. Quin nec ſimpliciter ad ſalutem circumciſio erat neceſſaria, ac citra eam, non tantum ante illius inſtitutionem, ſed etiam poſtea, multi fuere ſalvati.

Idem annus, *Sodomæ*, *Gomorrhæ*, *Adamæ* ac *Seboim* exitialis fuit. Quæ oppida propter execranda flagitia, ac præpoſteram libidinem, cœleſti igne conflagrarunt. Quo ex incendio ereptus ab Angelis *Lothus*, amiſſa conjuge, quæ contra interdictum poſt ſe reſpectans, in ſtatuam ſalis eſt mutata, primum in urbem *Segor*, quam, imminenti cladi precibus exemit, inde, in vicinum collem ſubiit, ubi per noctem & ebrietatem filias inceſtu polluit. Hinc orti *Moab* & *Ammon*, a quibus totidem populi ſunt propagati. *Statuam ſalis*, in quam Lothi uxor converſa eſt, etiam ſuo tempore ſuperfuiſſe teſtatur Joſephus l. 1. antiq. c. 11. Inſuper Lacum *Aſphaltitem*, & arbores illius regionis, quarum fructus viſu pulchri, ſed cinere intus pleni ſint, deſcribit l. 5. de bello c. 5. Idem hoc inter profanos Scriptores accurate notavit Tacitus l. 5. hiſtor. cujus verba digna ſunt, quæ hic legantur. *Nec Jordanes*, inquit, *pelago accipitur. Sed unum atq; alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neq; vento impellitur, neq; piſces aut ſuetas aquis volucres patitur. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magniſq; urbibus habitatos,*

tos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramq; ipſam ſpecie horridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt.

De *Sodomæorum impietate, ſic nugantur Hebræi:* Si quis pontem apud eos tranſiret, aſſes 4. pendebat pro vectigali, ſed ſi flumen transvadaret, 8. ſolvere cogebatur. Si quis ſocii ſui uxorem tantopere verberaſſet, ut abortus conſequeretur, illi injungebatur, ut ipſam ſecum tantiſper teneret, quoad rurſus gravida facta eſſet. Eum qui vulnus acceperat, pretium lædenti ſolvere oportuit, ob venam ſectam. Venerat huc aliquando Elieſer ſervus Abrahami, quem, cum nonnemo vulneraſſet, adit ille judicem, multum querens de injuria. Verum judex ad pecuniam inſuper ſolvendam ipſum condemnat. Nec mora Elieſer lapidem in caput judicis impingit, &, heus, inquit, pecuniam quam mihi ſolvere teneris, illi numera, qui me læſit. Idem, convivio lauto cum interveniſſet, menſæ accumbit; quæſitus a proximo, quis illum invitaſſet, tu ipſe, ait, me invitaſti: extemplo igitur ille percontator ſurgit & abit, ne male lueret, nefas enim erat peregrinum hominem ſecum convivam adducere; atque, cum hoc ſemper illi cui vicinus fiebat, Elieſer ingeſſiſſet, mox omnibus diſcedentibus, ipſe ſolus dapibus fruebatur, curabatque ſe molliter. Habebant Sodomæi lectum ſplendidum, excipiendis peregrinis deſtinatum, ſed ſi quis ſtatura illum excederet, amputabant ei pedes: contra breviorem, fidiculis torquebant, ut ſpatium exæquaret. Egeno, ſtipem poſcenti, quisque civium aſſem porrigebat, at alimenti quid emere illum prohibe-

hibebant; fame igitur pereunte mendico, ſuum quisque aſſem repetebat. Porrexit aliquando puella mendico homini modicum panis & aquæ, ibi illam melle oblitam exponebant apibus & crabronibus morſicandam. Cœpit tum valde clamare puella, isque clamor cum in cœlum pervaſiſſet, dixit Deus, ecquis iſte ejulatus eſt? oportet deſcendam in terram, viſum, quæ hujus queſtus cauſa eſſe poſſit.

In Itinerario Palæſtinæ, quod his diebus proximis in vicino Furtenſi vico lingua Germanica, literis vero Hebraicis excuſum prodiit, ac *Gelilot Erez Iiſraël* titulum habet, ſua fide, ſerio teſtatur Autor R. Gerſon, ſibi Palæſtinam luſtranti, viſam ſtatuam ſalis, in quam Lothi conjux converſa fuit, poſt noctis medium, plane integram; cum vero paulo ante auroram in eundem reverſus eſſet locum, tantopere illam deprehendiſſe imminutam, ut vix palmi duo ex ea reſtarent. Quærenti ſibi ab accolis, quid hoc monſtri eſſet, & quomodo ad eam parvitatem intra tantillum tempus redacta fuerit ſtatua, fuiſſe reſponſum: Capræ pagi Chorba, urbisque Zoar, quæ more illorum animantium, linctu ſalis mirifice capiuntur, agminatim noctu huc ſe proripiunt, & ſtatuam fere totam abſumunt, ita ut nihil ex ea relinquatur, niſi quod altitudine palmos duos exæquat: id vero veſtigium nulla ratione aboleri poteſt, ac ſemper interdiu, illud quod ſtatuæ deceſſit, nova accretione reſtituitur.

S. Hieronymus in tradit. in Gen. circa verba quibus Gen. XIX. 34. Lothi majoris natu filiæ inceſtus deſcribitur, de Judæis obſervat: *Appungunt deſuper, quaſi incredibile, & quod rerum natura non capiat, coire quempiam neſcientem.* Hoc vult, literam Vau

vocis

vocis בקומה quæ ibi adhibetur, puncto ſuperne notari aliquo majuſculo, inuſitato eo, ad deſignandum myſterium.

Mamræ planitiem, 20 annorum ſedem, deſerit Abrahamus, ſeu vicinorum clade territus, ſeu, incenſo regionis totius horreo, fame compulſus, in regione Auſtrali habitaturus. Judæi comminiſcuntur, ideo ipſum vetus domicilium deſeruiſſe, quod deleta divinitus pentapoli, nulli amplius viatores adventabant, quos hoſpitio exciperet, & doctrina de vero Deo imbueret. Cæterum, in tranſitu, *Gerarem* venit, atque cum Sara, etſi nonagenaria, forma adhuc floreret, ne exinde ſibi periculum naſceretur, idem conſilium quod in Ægypto bene ſucceſſerat, init, fratremque ſe illius appellat, non maritum. Regnabat Gerari *Abimelechus*, qui pulchritudine captus mulieris, eam domum ducit, pro uxore habiturus. Deus vero hanc illatam Abrahamo injuriam non tulit, ſed Abimelecho morbum infligit, omniumque Gerari mulierum uteros obſtruit, ne pariant, neve concipiant liberos. In ſomnis quoque Regi minitatur, eum moriturum, niſi uxorem alienam a ſe ſegreget. Abimelechus igitur, non tantum reſtituit Abrahamo conjugem, ſed armenta etiam, & greges, ſervos & ancillas addit, numosque præterea mille argenteos. Reddita Sara, & intercedente precibus Abrahamo, iterum tribuit Deus Abimelecho & mulieribus, quam ademerat, ſanitatem.

Judæi aſſerunt, quicquid fœminei ſexus erat, Gerari ſterileſcere cœpiſſe, ad lendes usque pediculorum.

Centeſimum annum agens Abrahamus, *Iſaacum* ſuſcepit ex Sara nonagenaria. Eum, poſt octo dies, pater

pater circumcidit, & in ablactatione illius, quam quinto poſt anno factam aliqui putant, magnum convivium exhibuit.

In his epulis, ſi Judæorum fabula vera eſt, Sara, fœminarum præcipuarum, quæ aderant, infantibus omnibus, cum plorarent, mammam præbuit; nutrices enim illæ domi reliquerant, periculum facturæ ex nutricatione Saræ, num vere gravida fuerit: plerisque enim videbatur, illam Iſaacum falſo pro ſuo filio venditare.

ARALIVS.

Clarus quidem ingenio & ſtudio militari fuiſſe dicitur, ſed mulieroſus. Regnavit annos 40.

CONTEMPORANEA.

Abrahamus *Agarem*, cum *Iſmaële* filio, ipſius Dei monitu, domo expellit. Cœperat enim Iſmaël primogenituræ jura ſibi arrogare, & Iſaacum habere ludibrio.

Iſaacus, virili jam ætate, hoc eſt anno, ut putat Joſephus, quinto & viceſimo, a patre immolandus ſiſtitur in monte Moria. Mox ejusdem a quo mactari juſſus erat, Dei imperio, liberatus eſt, *aries que* fato oblatus, qui filii loco hoſtia offerretur. Ex eo tempore, illo in loco ſemper ſacrificia viguere, perpetuum populis teſtimonium, futurum aliquando, ut ibidem Abrahæ filius benedictus, pro mundi vita moreretur, & ex morte redivivus, humano generi ſalutis æternæ autor fieret.

Judæi nugantur, Iſmaëlem, qui, ceu eſt Gen. XXI. 20. jaculandi peritus erat, aliquando cum aves jacularetur, & videret Iſaacum ſolum conſidentem, in eum direxiſſe ſagittam, ut illum interficeret, idque cum

cum vidiſſet Sara, detuliſſe rem ad Abrahamum. Amplius perhibent, Iſmaëlem aliquando dixiſſe Iſaaco, tu quidem non habes cur pietatem tuam deprædices. Ego jam annos natus tredecim circumcidi me paſſus ſum, cum tu die octavo circumciſus ſis, mentis adhuc expers, cujus ſi æque ac ego compos fuiſſes, circumciſionem non eras admiſſurus. Reſpondebat Iſaacus, ſe paratum, ſi ita Deus jubeat, non particulam tantum corporis, qualis præputium ſit, amittendi, ſed & vitam ipſam. Tum Deus periculum facturus num fere hoc jactaret Iſaacus, de eo immolando Abrahamo mandatum dedit.

Saram, *matrem*, uti S. Petrus in 1. epiſt. c. III. 6. vocat, *fidelium*, cum vitæ annos 127. exegiſſet, obiiſſe, ei parentans, tradit Moſes: quo honore, ne ipſam quidem humani generis magnam matrem Evam, proſequutus eſt. Conjugi ſepeliendæ, Abrahamus ab *Ephrone* Hethæo, 400. ſiclis argenti agrum emit, cui ſpelunca duplex inerat.

Poſt matris obitum, Iſaacus uxorem duxit *Rebeccam*, Nahoris, qui frater fuerat Abrahami, ex Bethuele filio, neptem, Labanis Syri ſororem. Quod matrimonium, jubente, & a conjunctionibus mulierum Cananæarum abhorrente Abrahamo, conciliavit *Elieſer* Damaſcenus, ſervus diſpenſator ejus, divini Numinis providentia, ad rem bene gerendam adjutus.

Succeſſere, ipſius Abrahami, cum *Cethura*, quam Hebræi eandem cum *Hagare*, (ſed loco Geneſ. XXV. 6. ubi concubinarum in plurativo numero mentio fit, invito,) faciunt, nuptiæ, ex qua ſex filios ſuſcepit, aliquarum gentium in Syriæ & Arabiæ finibus progenitores.

Audid-

Audiamus fabulantes Judæos : Abrahamus Elieſerem miſit ad capiendum Iſaaco ſponſam, erat enim ætate provectior, ita ut facile ejus fidei ſponſa credi poſſet. Ipſius Iſaaci conſenſus in ablegando Elieſere non requirebatur ab Abrahamo, aberat enim Iſaacus, in Paradiſo agens, ut ibi ſanaretur vulnus quod ei pater in jugulo fecerat, cum illum mactare vellet, ibidemque moratus eſt triennium. *Bethuel*, cum vidiſſet theſauros ingentes, ab Elieſere allatos, veneno cibos inficiebat quos ei comedendos propoſuit, ut illis gazis potiretur. Sed Elieſer, quia antequam epulis frueretur, preces fuderat, a Deo ſervatus eſt, atqve ipſe Bethuel, imprudens, ferales cibos voravit, ac continuo extinctus eſt. Nempe hinc Bethuelis mentio quidem fit Gen. XXIV. 50. cum Elieſer Rebeccam depoſcit, ſed porro de illo ſilentium: quin potius verſu 54. dicitur, Elieſerem ſolum comediſſe & bibiſſe cum viris qui cum illo erant: quia ſcilicet tota Bethuelis familia in luctu erat, ob illum fato ſunctum.

Laban ſciebat, Camelos Abrahami non ingreſſuros domum ſuam, idolis ibi extantibus, omnia igitur removit, atque Elieſeri obviam currens, quod Gen. XXIV. 31. legitur, ait: *cur foris ſtas? præparavi domum & locum camelis.* Rebecca, cum Iſaaco nuberet, triennium tantum nata erat. De Cethura, ex Judæorum opinione, ſic eſt apud Hieronymum in tradit. in Geneſin. *Cethura Hebræo ſermone copulata interpretatur aut conjuncta. Quam ob cauſam ſuſpicantur Hebræi, mutato nomine eandem eſſe Agar: quæ, Sara mortua, de concubina tranſierit in uxorem, Et videtur decrepiti jam Abrahæ excuſare ætas: ne ſenex poſt mortem uxoris ſuæ vetulæ, novis arguatur nuptiis laſciviſſe.*

MILLENARII III.
SECVLVM II.
BALÆVS I.

EJus imperio annos 30. tribuunt. Aliis *Xerxes* dicitur.

CONTEMPORANEA.

Iſaacus, Rebeccæ conjugis 20. annorum *ſterilitatem* precibus diſcutit, & fœcunditatem ei impetrat. Quæ, uteri moleſtiis afflicta, & periculum partus verita, Deum conſuluit, & reſponſum de edendis uno partu gemellis, eorumque fato tulit. Opinio eſt, eam vel Patriarcham quendam, *Semum* nempe, aut *Eberum*, vel *Melchiſedecum* interrogaſſe. Quanquam illorum magis probabilis videtur eſſe conjectura, qui conceſſiſſe putant ſolam in locum aliquem ſecretum, orandi cauſa, precibusque importunis a Deo conſecutam, ut hoc myſterium, ſive per inſomnium, ſive per alloquentem Angelum, ſive per vocem cœlitus demiſſam, ſive inſpiratione quadam tacita illi aperiret. Peperit ergo Rebecca *gemellos*, filium unum colore ruffo, & piloſa cute, claro indicio, hominem ferinis moribus futurum, ceu res ipſa poſtea comprobavit: isque *Eſavus* dictus fuit. Nondum ille totus exierat, cum prodit alter, apprehenſo manu fratris calcaneo, quaſi retracturus ac prohibiturus ne naſceretur prior, quare illi nomen *Jacobus*, ſive *Supplantator* inditum.

Secundum Judæos, Iſaacus, poſt annos 20. quibus Rebecca ſterilis fuerat, elapſos, illam aſſumſit, atque profectus cum ea eſt ad montem Morija, in locum ubi ſuper aram ligatus fuerat, & preces fudit pro ejus fœcunditate, atque ſic illico voti damnabatur.

Quia

Quia Scriptura Gen. XXV. 22. dicit Eſavum & Jacobum adhuc in utero exiſtentes colliſos fuiſſe, inde colligunt Judæi, quoties Rebecca idoleum præteribat, Eſavum, ſed cum prope Synagogam ambularet, Jacobum ex utero erumpere voluiſſe.

Circa hæc tempora ARGIVORVM REGNVM condidit *Inachus*, cujus filiæ *Jo*, quam *Iſidem* deinde vocarunt, *Jupiter* Cretenſium Rex, Deus poſtea ſtulta gentium credulitate habitus, ſtuprum intulit. Numerantur ad ultimum Regem *Acriſium* Reges XV. ſub eo vero defecit hoc Regnum, translatum *Mycenas* Peloponneſi, circa tempora *Ehud* Judicis Iſraëlitarum.

ARMAMITHRES.

Hic Imperavit annos 37.

CONTEMPORANEA.

Semus, Noachi filius, qui unus omnium poſt diluvium diutiſſime, hoc eſt 600. annos, vixit, moritur. Qua in parte terrarum annos univerſos 400. exegerit, ſilente Scriptura, divinare non licet.

Haud diu poſt *Abrahamus* ſuperfuit, quem tamen aliqui ante Semum mortuum volunt: nos autem diverſa opinantes ſequimur. Vixit annis 174. ac hereditatem omnem, quæ ingens erat, *Iſaaco* attribuit, *Iſmaëli* vero, &, quos ex Cethura habebat, filiis, certa quædam legata aſſignavit, illosque ſeparatim ab Iſaaco, ad Orientalem plagam, in confinio nempe Syriæ & Arabiæ, habitare juſſit. Id omne factum eo conſilio, tum ut Iſaacum heredem, ea levaret ſolicitudine; tum ut ab Iſaaco, Cananitidis herede, cæteros quamprimum ſejungeret: tum,

ne reliquorum filiorum poſteri, a poſteris Iſaaci, poſt annos 400. ad poſſidendam Cananæam reverſis, (quod futurum, Deus, ceu eſt Gen. XV. 13. 16. prædixerat,) aut ejicerentur, aut delerentur funditus. *Sepultus eſt Abrahamus* ab Iſaaco & Iſmaele filiis, in ſpelunca, quam emerat, propter Saram recubans.

Congeram huc in unum, quæ in Alcorano de Abrahamo traduntur. Illi ergo ſi credimus, patrem Abrahamus habuit *Aſerem.* Adoleſcens, Solem, Lunam, ac Stellas pro Diis colere nolebat, quod ſidera iſta oriantur & occidant, Deo autem conveniat, ut ipſe creaturis ſemper præſens ſit. Conjectus ob ſpreta hæc Numina in ignem, a Deo fuit liberatus. Primus *Sabbathum* coluit, genuitque filios *Iſmaëlem* & *Jacobum*, e quibus priorem, in condendo *Meccano* templo habuit adjutorem. Æque ac Moſes libros conſcripſit, in uſum poſteritatis. Rogabat Abrahamus aliquando Deum, ſibi oſtendere dignaretur rationem futuræ reſurrectionis mortuorum. Juſſit ergo Deus eum quatuor volucres minutatim concidere, easque partes per vicinos montes diſpergere, & poſtea avibus illis imperare, ut ad ſeſe veniant. Id cum feciſſet Abrahamus, ad nutum præſto advolabant enectæ inque fruſta ſectæ volucres, vivæ jam, & corporibus integris.

De *Lotho*, Angelisque hoſpitio ab eo exceptis, quin & de Sodomitarum impietate, creber in Alcorano ſermo. Nihil ejus notatu dignum, præter unum illud, quod non uno loco aſſeritur, Lothi conjugem, minime cum marito & filiabus urbe exiiſſe, ſed apud Sodomitas permanſiſſe, ac una cum iis periiſſe in panoletria.

Iſaa-

Iſaacus, variis peregrinationibus & incommodis exercitus, *Eſavo* filio, (qui jam ante *Jacobo* fratri primogenituræ jus, ut lenticulæ, quod iſte paraverat, edulio veſci poſſet, ceſſerat,) bene precaturus, venatu prius ab illo parari ſibi epulas jubet. Sed hortante matre clam obrepens Jacobus, paternam benedictionem intervertit. Mox, fratris inſidias veritus, ad *Labanum* avunculum fugit. Quo in itinere, oblata ſibi per quietem, Dei, ſummis ſcalis incumbentis, ſpecie, ac promiſſis quoque ejus animatus eſt.

Secundum Judæos, verum pretium, quo Eſavus jus primogenituræ vendidit, non erat illud edulium lenticularum, ſed potius *ſacer Gladius*, quem Abrahamus arcanis artibus paraverat, & cui, quod myſticis divinis nominibus totus notatus eſſet, vis incredibilis inerat. Iſto, quia Eſavus in bello adverſus Nimrodum omnino opus ſibi eſſe cenſuit, itaque ut eum Jacobus frater, cui ab Iſaaco patre (ad quem ab Abrahamo devenit) donatus fuerat, ſibi concederet, primogenituræ jure ſeſe abdicavit. Epulæ, in quibus lenticulæ comedendæ apponebantur, ſucceſſere, contractu jam inito, more atque inſtituto hominum. Sic enim ſolent ementes & vendentes, cum circa inſignis rei alienationem convenerunt, convivium agitare. Ratam habuit primogenituræ venditionem ipſe Iſaacus, bonoq; animo eſſe Eſavum juſſit, ſimul, prout Gen. XXVII. 42. legitur, prædicens: *Gladio tuo vives.*

Credunt quoque Judæi, *Tunicam*, quam Deus paravit Adamo, poſtea Nimrodo, ac dehinc Eſavo obtigiſſe: atque hunc, eam Rebeccæ matri ſervandam dediſſe; ipſam vero Jacobum illa induiſſe, cum bene-

dictionis cauſa ad Iſaacum ingrederetur. Alia omnia tamen Hieronymus a Judæis acceperat, nam in tradit. in Gen. ſcribit: *Et ſumpſit Rebecca veſtimenta Eſau filii ſui majoris, quæ erant deſiderabilia apud ſe domi. Et in hoc loco tradunt Hebræi, primogenitos functos officio Sacerdotum: & habuiſſe veſtimentum ſacerdotale: quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in ſacerdotium legeretur.*

Cum dicatur Gen. XXVII. 11. de Jacobo in itinere pernoctaturo ſub dio, *tulit de lapidibus qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo dormivit in eodem loco:* ut ſic plures lapides illum accepiſſe ſignificetur, ſequatur autem deinde v. 18. de illo ex ſomno expergefacto; *ſurgens Jacob mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo*, ubi unius tantum lapidis fit mentio: ad ea concilianda docent Judæi, Jacobum multis lapidibus ſe circumvallaſſe, ut adverſus feras tutus cubare poſſet; noctu vero inter lapides contentionem & pugnam ortam eſſe, cum quisque eorum capiti Jacobi ſuppoſitus eſſe vellet. Ad hanc igitur componendam, Deum ex omnibus lapidibus unicum effeciſſe.

In eodem capite XXVII. Geneſeos v. 12. legitur, Jacobum per quietem vidiſſe *Scalam*, cujus cacumen cœlum attingebat, & *Angelos quoq; Dei aſcendentes & deſcendentes per eam.* Hic vero difficultatem Judæis parit, *quomodo Angeli, quorum in cœlo manſio eſt, prius aſcendiſſe, quam deſcendiſſe dicantur?* Sic vero huic dubio occurrunt, ut dicant, quamque regionem ſuos habere cuſtodes angelos, quorum poteſtas limitibus illius regionis circumſcribitur. Cum ergo Jacobus profectione ſua, ſub veſperam, in novam regionem delatus, ſomnum caperet,

peret, aſcendebant Angeli qui eum hactenus per ſuum territorium comitati fuerant, in cœlum, quippe officio ſuo defuncti, aliis, in hoc munere ſucceſſuris, deſcendentibus. Nec deſunt, qui contendant, Angelos tutelares Jacobi, aſcendiſſe in cœlum, ad evocandos inde ſocios Angelos, ut Jacobi dormientis ſpeciem ſpectarent, ſibique notarent, quam accurate ea conveniat, cum illius effigie, Throno gloriæ inſculptæ.

Amplius ibidem mox v. 13. memoratur, ipſum Deum Jacobum dormientem ſic affatum eſſe: *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui & Deus Iſaac: terram in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo.* At, quia valde anguſtum ſpatium erat, quod Jacobus dormiens occupabat, vix illi ſoli, nedum poſteris ejus præbiturum domicilium: ideo perſuaſum Judæis, Deum, totam Palæſtinam, in qua quietem captabat Jacobus, quaſi convolviſſe in glomum, atque illi dormienti ſuppoſuiſſe.

Æqualis horum temporum fuit *Seſoſtris*, Ægyptiorum tyrannus, qui, ut ſubjectos ſibi deprimeret, mores ipſorum, ac pæne naturam invertit, lege lata virorum officia mulieribus, mulierum, viris injungendo. Eo defuncto, ſucceſſit filius, qui Herodoto *Theron*, Diodoro, ſimiliter *Seſoſtris* dicitur, cui cæcitatem a Diis inflictam volunt ob impietatem. Cum enim *Nilus*, præter ſolitum, ſupra 18. cubitos excreviſſet, veſanus Rex, ulturus injuriam, ſpiculum in aquas contorſit, unde luminibus repente orbatus fuit. Cum vero fatigaſſet precibus & ſacrificiis Deos, ut viſum redderent, undecimo tandem anno oraculum editum eſt, exactum jam eſſe pœnæ tempus, foreque ut viſum reciperet, ſi mulieris vi-

rum alienum non expertæ, lotio, oculos abluiſſet. Exorſus igitur ab uxore ſua Rex, cum & hanc, & plurimas alias exploraſſet, nullam reperit incorruptam, præter pauperculam cujusdam hortulani conjugem. Quam, ſanitati redditus, fecit ſuam, reliquas vero adulteras, in eodem concluſas vico, quaſi purgandas concremavit.

In Attica, & Ogygia, quæ poſtmodum Bœotia dicta eſt, regnavit hac tempeſtate *Ogyges*, notus famoſo *Diluvio*, quod, eo imperante, omnem Græciam devaſtaſſe dicitur, ita ut diu deſerta ac inculta manſerit. Vniverſali cataclyſmo ſexcentis fere annis poſterius fuit, nec tam pluviarum diuturno impetu, quam undique terram obruentis pelagi ſævitia accidit. Cum novem & amplius menſibus diem continua nox inumbraſſet, *Delon*, propinquam Inſulam, ante omnes terras radiis ſolaribus illuſtratam, adeptam nomen exinde ferunt, cum prius *Ortygia* vocaretur. Inde fabula quoque nata videtur, de Apolline & Diana in Delo natis.

BELOCHVS.

Hic *Priſcus* vocatur, ad differentiam alterius *Junioris*, præfuitque rebus annis 36.

CONTEMPORANEA.

Jacobum, in Meſopotamiam ablegaverant parentes, quod ibi avitæ religionis veſtigia adhuc clariora ſupereſſe judicarent. Verum ibi quoque pietas & juſtitia refrixerant, & Rebeccæ frater *Laban*, animum ad idola adjicere cœperat. In hujus familiam admiſſus Jacobus, & *Rachelis*, Labanis filiæ, amore captus, eam pro ſeptennii ſervitute paciſcitur. Hoc finito,

finito, Labanus pater ſimulat ſe illam daturum, & nuptias parat. Quoniam vero ejus loci ac ſeculi mores ferebant, ut nuptæ non niſi velatæ, ac in tenebris, in thalamum ſponſi deducerentur a patre, itaque *Lea*, ſoror Rachelis, natu quidem major, ſed minus formoſa, & oculorum vitio laborans, pro ipſa Rachele noctu ſubſtituitur. Pari igitur aſtu quo majori filio minorem Rebecca mater, etiam Labanus pater minori filiæ majorem prætulit: quaque ratione Jacobus ipſe perſonatus impoſuit Jacobo, eadem arte a Labano deceptus eſt. Noluit tamen repudiare Leam, partim ob metum, quia ſolus in Meſopotamia hærebat, & videbat ægre ſe evadere poſſe, niſi conditionem oblatam in ducenda Lea acceptaret: partim in gratiam Leæ, quam defloratam, & fortaſſe gravidam factam, maluit ducere, quam in perpetuo opprobrio relinquere.

Ergo pollicetur alterum ſeptennium Jacobus, ut Rachele potiatur, atque ſic ambas ſorores habet in conjugio. Quia vero Rachelem præ Lea amabat, illa ſterilis, hæc quatuor filiorum mater divinitus redditur, quorum nomina: *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Juda*: valetque pro ſymbolo vox, RuSLI.

Ægro animo tulit hanc Leæ fœcunditatem Rachel, atq; ut aliqua ratione ſuæ ſterilitati conſuleret, ex Ancilla ſua maritum liberos tollere jubet; nam Ancillas utrique filiæ Labanus dederat, *Zilpam* Leæ, Racheli *Bilham*. Ex Bilha igitur duos generat filios Jacobus, quibus Rachel, quaſi materno jure, *Dan* & *Naphtali* nomina impoſuit.

Quia vero jam ſterileſcere Lea cœperat, & ipſa ſororis conſilium imitatur, Jacobo *Zilpam* ancillam adjungens, quæ ſimiliter filios duos peperit, *Gad* &

 Aſer

Aſer a Lea dictos. Sed & hanc, plures petentem liberos, Deus exaudivit. Quintus igitur Jacobo ex ea natus eſt filius, *Iſaſchar*, quem *Sebulon* excepit. Ac ſeptimo tandem loco, poſt tot filios, unicam filiam parit, quam *Dinam* vocavit.

Rachelis quoque tandem meminit Deus exoratus, eamque filio donavit, cui gaudens ipſa, *Joſephi* nomen indidit.

Judæorum huc pertinentes traditiones ſunt: Mirum videri poterat, Jacobum, filiumfamilias, a parentibus ad capiendam ſibi uxorem in Meſopotamiam miſſum, illac omnibus bonis deſtitutum veniſſe, ita ut nihil quicquam haberet, quod Racheli ſibi obviam factæ donaret, cum tamen olim Elieſer ſervus, Iſaaco hero conjugem quæſiturus, tantis bonis inſtructus iverit. Nimirum, abunde quoque Rebecca Jacobo de viatico & opibus proſpexerat, ſed in iter facientem impetum fecit *Eliphas*, Eſavi filius, illum juſſu patris occiſurus. Huic autem bonis verbis precibusque perſuaſit Jacobus, ut omnibus facultatibus ſe nudaret, iisque ad Eſavum perlatis, diceret, hæc eſſe ſpolia interfecti Jacobi.

Lea nimio fletu oculos corruperat, quippe fidem ei fecerant homines, ſic eſſe in fatis, ut ipſa, tanquam major natu, Eſavo connubio jungatur, Racheli minori, obventurum Jacobum. Cæterum, ob vitium illud oculorum, non poterat Lea libero aëri ſe committere, nec gregibus, ceu æquum erat, parentis paſcendis vacare, itaque hoc officium Rachel, quintum tantum, cum Jacobus huc deferretur, agens annum, coacta fuit obire.

Fidem propemodum excedit, Jacobum, cum ejus in torum adducta Lea eſſet, hanc vel ex ſermonis indicio

dicio non agnoſcere debuiſſe, in cujus contubernio per univerſum ſeptennium vixerat. Dicendum igitur, Rachelem conſciam fuiſſe doli, quo parens ſororem pro ſeſe in tenebris ſuppoſiturus erat; itaque ne hanc e loquela agnitam, Jacobus ex lecto quateret foras, ipſa pietate mota, lecto ſe ſubjecit, ac pro ſorore verba fecit, quoties Jacobus inſtituebat percontationem,

Rachel cum ſe ſterilem animadverteret, rogabat Jacobum, ut pro ſe apud Deum intercederet, quo fœcunda redderetur, quoniam idem hoc pater quoq; ejus feciſſet, nomine Rebeccæ, orbitatem ſuam deflentis. Sed reſpondebat Jacobus, Rachelem haud æquum petere, nam Iſaacum quidem ob Rebeccam merito Deum precibus fatigaſſe, omni videlicet prole deſtitutum. At nunc aliam rem eſſe, cum ipſe ex Lea liberos ſuſceperit.

Quandoquidem ipſamet Lea filios Jacobo pepererat, non videtur conveniens fuiſſe, ut Silpam ancillam marito inſuper adjungeret. Sed vero credebat, Deum ob moderationem illam, qua erga maritum utebatur, conceſſurum, ut ipſa porro liberos edat, neque enim id intendebat ut ancilla prægnans fieret. Jacobus alternis noctibus apud uxores dormiebat, vendidit autem aliquando Rachel noctem qua Jacobus ſecum cubare debebat, Leæ ſorori, ob Dudaim, ſive violas, quas in agro filius ejus Ruben repererat. Ob hunc autem contemtum conſuetudinis cum marito, male rebus ſuis Rachel conſuluit, eaque pœna illam manſit, ut a communi cum Jacobo ſepulchro excluderetur, cujus Lea conſors facta. Tenendum, Jacobi conjuges ſemper gemellos edidiſſe, cum maſculo nimirum fœmellam; atque uno

partu

partu editi, ſemper deinde inter ſe contrahebant matrimonium: neque enim filii Jacobi in Scripturis extra domum paternam uxores ſibi quæſiviſſe leguntur.

Joſepho, ut ad ſeria nos recipiamus, nato, reverti parabat Jacobus in Cananitidem; res enim ipſa poſtulare videbatur, ut propriæ aliquando familiæ conſuleret tot liberorum pater, non ultra ſerviret alienæ. Contra Labanus, agnoſcens Deum ſibi ob generum favere, ne diſcederet ille precibus inſtabat, quodque vellet, operæ porro navandæ, pretii, ei faciebat optionem. Permoveri ſe paſſus Jacobus, nullam ſe mercedem poſtulare ait, quod ea quam forte oblaturus Deus eſſet, contentus ſit futurus. Jubet igitur tolli ex omni grege quicquid varii aut fuſci coloris eſſet, aut punctis maculisve conſperſum deprehendebatur, & procul ſegregari, albas vero tantum pecudes ſuæ fidei & cuſtodiæ committi. Ex his autem quicquid deinde fuſcum aut varium punctisque conſperſum naſciturum ſit, ſtipendium depoſcebat, quod hac ratione conſtare poſſet, ſi quid benedictione divina ſuis rebus acceſſerit, non illud ſe furatum aut malis artibus conſecutum eſſe. Labanus, judicans ſuo commodo hanc conditionem futuram, nec enim ex albis, fuſcas variive coloris oves facile prodituras, eam accipit, ac protinus gregum fit luſtratio. Verſicolores atque fuſcæ pecudes amoventur, ac Labani liberis traduntur paſcendæ, trium dierum itinere, a Jacobo, ne quis fraudi locus eſſet, ſejunctæ.

Jacobus, *arte* quadam, ſive a majoribus tradita, ſive a Deo monſtrata, præmium laboris, quo ipſum fraudare Socer intendebat, conſequitur ampliſſimum.

Ex

Ex populo enim arbore, amygdala, caſtaneàque, virgas quaſdam virentes, &, cortice variis modis detracto, albicantes, inter potandum pecudi objecit in canalibus, ut iis conſpectis, fœmellæ prægnantes ejusdem coloris hœdos agnosque parerent. Felix admodum ſucceſſu hoc artificium fuit, cui aliud quoq; additum. Nam, quos nactus eſt hœdos agnosque, variis maculis atque notis reſperſos, præire ſemper voluit, oculisque Labanicarum pecudum obverſari: ſuos autem haud paſſus eſt reſpicere, aut cum Labani gregibus commiſceri. Eligebantur etiam tempora, quia bis quotannis pecudes pariebant, ac in vernali maxime admiſſura, ovibus virgæ proponebantur, quando pecudes robuſtiores, robuſtiores etiam fœtus generabant. In ſerotina, ſive autumnali admiſſura, nulla eſt ars adhibita, ut Labano tantum infirmiores naſcerentur. Ægre Labanus tulit hanc Jacobi felicitatem, cujus cauſam artemque ignorabat. Hinc mutare vices viſum fuit, atque ipſe optat ſibi varias oves; albas, ut ſteriliores, Jacobo relinquit. Sed huic, albæ non minus erant fœcundæ, eique ex variegatis, uno ſimul anno naſcitur albarum grex, unde iterum, ac ſæpius, imo decies conditionem variavit Labanus, pari ſemper, minusque proſpero ſucceſſu.

Arte ac induſtria Jacobo mirifice opes jam accreverant, inde fremere ac murmurare Labanici omnes, Socerum a Genero ſpoliatum; ſui patris damno diteſcere Jacobum: nec Labanus, qua ſolebat, fronte hilari hunc intuebatur. Ergo, divino monitu confirmatus *Jacobus, cum omnibus ſuis, clam Socero diſcedit*, & verſus Palæſtinam proficiſcitur. Eum Laban cum Cognatis in itinere aſſequutus, a violentia

qui

quidem, Deo jubente, abſtinet, graviter tamen clandeſtino diſceſſu reprehenſo, furti inſuper generum inſimulat. Et vero abſtulerat Rachel patris *Teraphæos*, qui, minuta erant, hominum aut aliarum rerum ſimulacra, quæ Labanus pro Diis Penatibus venerabatur: ſive id factum, ut patrem Rachel a cultu idolorum revocaret; ſive, ut cum aurea & argentea eſſent, pro mercede valerent, qua Jacobum Labanus fraudaverat; ſive, ut, quod Judæi volunt, prohiberet, ne pater imaginum iſtarum adminiculo divinaret ac reſciſceret viam fugæ; ſive, quæ Chryſoſtomo maxime placet ſententia, ex ſuperſtitione inveterata, ut haberet aſſuetos familiareſque ſibi Deos, quos adoraret. Tandem, poſt gravem altercationem, diſcedit Labanus, fœdere pacis prius inito.

Jacobus, ab Angelis confirmatus, *fratrem Eſavum de adventu ſuo certiorem facit*, quem audiens ſibi obviam cum copiis adventare, ſibi vehementer timet, ac Dei auxilio implorato, fratri munera mittit. Mox poſt gravem cum Angelo, increato utique, luctam, victor, *Iſraëlis nomen* brabei loco reportat.

Eſavus, Jacobo fratre benigne excepto, munera, precibus ejus victus, accipit, & ſe cum ſuis itineris comitem offert, eoque renuente diſcedit, Jacobus vero in Sichimorum regionem, cum ſuis pervenit. Ibi *Dina*, per urbem obambulans, rapitur a *Sichem filio Hemoris* Principis, atque vitiatur; quod flagitium *Simeon* & *Levi*, fratres puellæ, clam patre, Sichimitarum internecione, & urbis direptione ſunt ulti.

Dehinc Jacobus, juſſu Dei, *Bethelem* proficiſcitur, luſtrata prius familia, ubi, votum olim conceptum, perſolvit, Deboram, nutricem Rebeccæ matris, ſepelit,

pelit, & priorum benedictionum accipit confirmationem. Inde profectus, Rachelem in itinere, dum *Benjaminem* parit, amittit, *Bilham* vero quam Rachel ei quaſi uxorem ſecundariam dederat, *Ruben* inceſtu violat. Eam rem tam indigne tulit Jacobus, ut etiam poſteà in ſupremis ad filios verbis, illam execrari non intermiſerit, illamque ob cauſam Rubenem primogenituræ jure privaverit. Tandem cum ſuis ad *Patrem* Iſaacum revertitur, quem poſtea mortuum, ipſe & frater Eſavus in Hebron ſepeliunt.

Si Judæis fides, erant Teraphæi, capita hominum primogenitorum, occulta arte aromatibus condita. Inſcribebatur amplius nomen immundi ſpiritus laminæ aureæ, eaque lamina linguæ ſupponebatur. Sic paratum caput collocabant ſuperſtitioſi homines in ara, accendebant coram illo lucernas, atque ſupplicabant ei, & tum loquebatur & futura revelabat. Patris Teraphæos cum Rachel clam furtim abſtuliſſet, eosque Laban requireret, dixit Jacobus, ceu eſt Gen. XXXI. 32. *Apud quemcunq; inveneris Deos tuos necetur coram fratribus noſtris*. Eam imprecationem, quamvis imprudens, & neſcius Rachelem furtum feciſſe, Jacobus ſic proloquutus fuerat, tamen non caruit eventu, & haud multo poſt Rachel, minus annorum habens quam ſoror, ante hanc obiit in itinere.

Scriptura Gen. XXXII. 22. de Jacobo, qui adverſum ſe tendenti Eſavo, obviam proficiſcebatur, ait: *Cumq; maturè ſurrexiſſet, accepit duas uxores ſuas, cum duabus ancillis ſuis, & undecim filios ſuos, & trajecit vadum Jabok*. Quare autem Dinæ filiæ nulla hic mentio fit? Cauſa in promtu: Scilicet, ciſtæ eam incluſerat pater, ne illam Eſavus videret, atque conjugem

jugem ſibi expeteret. Ob hoc præpoſterum conſilium, Jacobus deinde Dinam a Sichemo defloratam vidit: debebat enim Eſavo illam uxorem dare, ut hæc ipſum ab impietate, ad veri Dei amorem perduceret.

Angelus, qui cum Jacobo colluctabatur, læſit acetabulum femoris illius, atq; ſic effecit, ut claudicaret, ne ſcilicet ipſe coram Eſavo congenulare cogeretur, hic autem crederet, Jacobum, iſtum honorem ſibi detuliſſe.

Filiis Jacobi, eorumque poſteris, ademta poteſtas comedendi nervos qui ſunt ad acetabulum femoris, quia parentem in illa pugna deſeruerant, nec fuere ei auxilio.

Angelus, poſtquam manum cum Jacobo conſeruerat, ait huic: (Gen. XXXII. 26.) *Dimitte me nam aſcendit aurora.* Cui Jacobus: Anne fur es, quod auroram times, & res tuas in tenebris miſces? Reſpondebat Angelus: noli credere me furem eſſe. Sed ex illo quo creatus ſum, tempore, nondum me ordo tetigit, ut coram Deo mane canerem triſagion, niſi nunc: itaque oportet officio fungar. Nolebat autem Angelus ille nomen ſuum Jacobo notum facere, nec enim Angeli facile nomina ſua patefaciunt, cum ea ſi cognita habeantur, in adjurationibus, exorciſmis, & incantamentis, magnum uſum præſtent.

Populi contermini Sichemo, nolebant ulciſci internecionem, quam ejus urbis cives a filiis Jacobi paſſi fuere. Dicebant enim, merito hoc iis evenit, quia religione avita deſerta, profana ſacra, & fœdum ritum circumciſionis admiſere. Vindicarunt ergo Numina noſtra ſui contemtum.

Jure

Jure miretur quis, unde factum, quod Gen. XXXV. 8. mors *Deboræ, nutricis Rebeccæ*, & ſepultura ejus, qua Jacobus defunctus eſt, memorentur, cum nuſpiam meminerit Scriptura, quomodo hæc, & ob quam cauſam ad Jacobum pervenerit. Sciendum igitur, Deboram, a Rebecca matre ad Jacobum miſſam eſſe, ut illum hortaretur, tandem patrios lares repeteret, & ad ipſam reverteretur: hæc autem cum in itinere fato functa eſſet, Jacobus illi juſta funebria perſolvit.

De *Bilba* minime exiſtimandum, quod illam Ruben inceſtu polluerit; nihil enim egit aliud, quam ut torum paternum diſturbaret. Nempe, quoad ſuperſtes erat Rachel, ſemper in hujus tentorio torus Jacobi erat locatus. Mortua vero Rachele, cum mox Jacobus torum ſuum in Bilhæ tentorium transtuliſſet, venit Ruben, querens, de injuria matri Leæ illata: &, ſi maxime, inquiebat, Rachel matertera, matris meæ fuit cordolium, nunquid par eſt, ut etiam materteræ ancilla, matris meæ cordolium eſſe debeat? proinde indignabundus torum paternum disjecit, & foras extulit e tentorio.

MILLENARII III.

SECVLVM III.

BALÆVS.

HVjus imperio 52. anni aſſignantur, isque, ad differentiam prioris, *Junior* vocari ſolet.

CONTEMPORANEA.

Gliſcens inter *Joſephum*, & *cæteros fratres, ob ſomnia quædam ſimultas*, quod iis prædici videbatur, fore cum omnibus ſuperiorem, mox in apertum

odium erumpit: itaq; de tollendo illo conſilium initum eſt. Quod ſcelus, etſi Deus clementur prohibuit, nihilominus mercatoribus *Midianitis* venditus Joſephus, *Potipharis*, Satrapæ Ægyptii, mancipium efficitur. Hujus autem, conciliante Deo, tanta gratia uſus eſt, ut totius domus adminiſtrationi præficeretur. Sed, cum illum hera ad fœdos amores ſolicitaret, atq; ipſus tantum facinus conſtanter averſaretur, falſi criminis reus factus, conjicitur in carcerem. In hoc, *Pincernæ*, & *Piſtori Regis Pharaonis*, Aulicis primariis, (nam, quod ait Hieronymus in tradit. in Geneſ. *Apud Reges barbaros usq; hodie maximæ dignitatis eſt Regi poculum porrexiſſe*,) qui ibi luebant, miniſtrans, cum utrique ſomnium eventui convenienter eſſet interpretatus, viam ad libertatem dignitatemq; ſibi ſtravit.

Quippe Pharao, ſomniorum ſuorum, quibus vaccas ſeptem præpingues, totidem vorare macilentas, & ſeptem ſpicas plenas ſucci, totidem aridas ac tenues deglutire viderat, interpretationem; a ſuis Sapientibus minime conſecutus, Joſephum, audita ejus in interpretandis ſomniis peritia, e carcere accerſit, ab eoque non explicationem tantum, ſed & conſilium optimum contra famem venturam accipit. Vnde Joſephus, ex omnium Procerum conſenſu, univerſo Regno præficitur. Ducta poſtea *Aſnath*, filia *Potipheræ*, Præſidis Oniorum, duos filios, *Manaſſen* & *Ephraimum* ille ſuſcipit ante famis initium, ac interea loci tantum annonæ colligit, quantum famis tempore, ad totam Ægyptum ſublevandam, & ad ſuppeditanda aliis regionibus alimenta, ſufficiebat.

Cum

Cum deinde dira fames circumjacentes regiones premeret, *Joſephi fratres Ægyptum ad annonam emendam petunt*; ubi a Joſepho, quis ſit, diſſimulante, agniti, callide explorationis incuſantur, & in carcerem conjecti; non prius dimittuntur, quàm dato *Simeone* obſide, hærentem domi fratrem minimum *Benjaminum* ſe ſtituros promitterent. Jacobus, fame coactus, Benjaminum, & reliquos filios, iterum commeatus parandi cauſa, ad Joſephum in Ægyptum ablegat. Quibus ille, cum prius magnum metum, quaſi Benjaminum, ob fictum furtum, in ſervitutem rapturus eſſet, iis incuſſiſſet, ſe manifeſtat, & juſſu Regis, curribus, commeatu, muneribusque inſtructos, remittit ad patrem, ad totam familiam celeriter adducendam.

Jacobus, divinitus confirmatus, cum univerſa familia, omnibusque facultatibus, anno ætatis 130. in Ægyptum ſe confert, & terram *Goſen* habitandam accipit: ubi benigne a Joſepho ſuſtentatur, dum interea loci, Ægyptii omnes, exceptis Præſidibus, ſumma penuria laborantes, jumenta, agros, denique ſuam libertatem vendere coguntur, & a patriis ſedibus abducti, ſe agros Regis culturos, certis conditionibus recipiunt.

Nunc, Judæis fabulantibus opera paulisper danda eſt. Joſephus per inſomnium viderat, *Solem, Lunam, ſtellasq; undecim* ſeſe coram ipſo proſternentes. Id ſomnium, cum quo pertineret, fratres intelligerent, atq; Joſephum eapropter odiſſent, Jacobus, ut horum odium imminueret, ait illis: vos quidem deſipitis, credentes, aliquod huic ſomnio momentum ineſſe. Ecquomodo enim fieri poteſt, ut ego, & mater Joſephi, una vobiscum nos incurvemus coram ipſo,

cum mater illius Rachel pridem mortua ſit? Ergo vanitatem ſomnii neceſſe eſt agnoſcatis. Sed iſta in ſpeciem ſic proferebat Jacobus, probe gnarus, non temere hæc ſomniaſſe Joſephum, &, illud de matre, ad Bilham attinere, quæ ipſum educaverat, quamque is coluerat pro matre.

Primum Joſephi ſomnium, *de faſcibus ſegetum* a fratribus colligatis ſeſe coram Joſephi faſce incurvantibus, non involvebat ad patrem & matrem reſpectum aliquem: nam, principio, ſoli fratres ſe coram Joſepho proſternebant, & quidem annonæ cauſa, cujus faſces ſegetum ſymbolum erant.

Fratres, in Joſephum, acres *moloſſos* ſuos concitaverant, ut ipſum dilaniarent: ſed illum Deus tutum præſtitit.

Haud temere Scriptura Gen. XXXVII. 25. indicium facit, Iſmaëlitas mercatores, quibus Joſephus venditus eſt, *portaſſe aromata*, *oppobalſamum & ſtacten*. Nempe, ante id tempus, perpetuo rebus fœtentibus quæſtum exercuerant illi, ex more gentis: ſed nunc, præter conſuetudinem, Dei nutu, rebus ſuaviter olentibus camelos oneraverant, ne Joſephus ſanctiſſimus fœtore & graveolentia offenderetur.

Ruben, cum Joſephum fratres venderent, aberat, apud patrem agens, cui alternis diebus, unus eorum faciebat miniſterium.

Pincerna, Pharaonis juſſu in carcerem detruſus, in eo deliquit, quia Pharao in poculo quod ipſe miniſtraverat, muſcam reperit: *Piſtori*, id crimini datum, quod a Pharaone lapillus inventus in pane ab illo excocto. Merito igitur Pincernæ venia data, muſca enim illa fortaſſe inciderat in poculum, cum illud ad Pharaonem deferret, aut, cum jam ipſe Pharao id

manu

manu ſua teneret, ut ſic Pincerna a culpa omni immunis eſſe potuerit. Aliter de Piſtore res ſe habebat, cujus utique vitio lapillus inter depſendum pollini fuit admixtus : ac proinde in hunc Pharao ſupremo ſupplicio animadvertit.

Magnum diſcrimen obſervare licet, inter Pharaonem & Nebucadnezarem, de ſomniorum ſuorum interpretatione ſolicitos : Pharao enim ediſſerebat ſomnium, quid ſibi vellet percontans. At Nebucadnezar apud Danielem, mirifico, ac inaudito prorſus poſtulato, vult, ut Sapientes & Harioli ſibi dicant, quid per quietem viderit. Sic ergo habendum : Pharaoni non tantum ſomnium objectum fuiſſe, ſed & oſtenſam ſimul ejus interpretationem. Somnii meminit, ſed explicationis oblitus eſt : nihilo-ſecius tantum memoria ſuggerebat, ut poſſet rejicere ineptas Aſtrologorum ſuorum de ſeptem filiabus naſcituris, & totidem morituris, explicationes : ſciebat enim, de iſtis, per quietem nihil ſe accepiſſe, etſi dicere non poterat, quid vere edoctus fuiſſet. Simul ac vero Joſephus ſuam ſomnii expoſitionem ordiebatur, illico Pharao agnovit, hanc illam ipſam eſſe, de qua dormiens fuerat monitus. Amplius, ſomnium Pharaonis attinebat ad rem mox eventuram, idcirco, quia eventus de veritate interpretationis erat perhibiturus teſtimonium, nihil impediebat quo minus ſomnium ille ediſſereret. Alia omnia obtinebant circa Nebucadnezaris ſomnium : nam, nec revelata ei fuerat illius interpretatio, ac res quas portendebat, poſt longorum ſeculorum decurſum demum accidere debebant. Hoc ergo ſomnium ſi indicaſſet Nebucadnezar, neſciviſſet, ecquæ inter tot hariolorum diſcrepantes interpretationes vera eſſet ac genuina.

Aſnat, Joſephi Conjux, erat Dinæ filia, quam, ex concubitu cum Sichemo peperit. Hanc, cum filii Jacobi, fratres Dinæ, perimere vellent, ut ignominiam, quam proles illegitima familiæ inurebat, tollerent, ſcripſit illi Jacobus amuletum, idque de collo puellæ ſuſpendit, ne quis mortalium nocere ei poſſet, atque ſic domo ipſam ejecit. Erat autem amuleto quoque inſcriptum, illam a Jacobo genus trahere. Cæterum, Aſnat, a Gabriele Angelo, in Ægyptum, domumque Potipharis fuit perducta, quam uxor illius, quod maritus eunuchus eſſet, educavit pro ſua. Poſthæc, Joſepho in dignitatem evecto, certatim mulieres virginesque Ægyptiorum dona aurea ac argentea offerebant. Ibi Aſnat, monilibus aliis deſtituta, amuleto ſuo Joſephum donat, quam exinde agnitam, ipſe connubio ſtabili ſibi junxit.

Joſephus, a fratribus in Ægyptum profectis, dignoſci non poterat, quia cum eum venderent, barba carebat, quæ nunc genas illius veſtiebat. Inſuper, nec Joſephum, ſed *Zophnat Paaneach* vocari ipſum audiebant.

Simeon, cum cæteri fratres in Palæſtinam, annona aucti, dimitterentur, juſſu Joſephi vinculis conſtringebatur, quia ipſe ſuis manibus Joſephum ligatum in foveam projecerat. At, cum diſceſſiſſent fratres, libertate frui ei conceſſum fuit.

Cum *Scyphus Joſephi* repertus eſſet in Benjaminis ſacco, iraſcebantur illi fratres, dicebantque: nimirum, proprium tibi tuisque furari. Mater tua patri ſuo Teraphæos furto ſubduxit: nunc tu ſcyphum clepſiſti. At, quia falſo illum fratres probri inſi-

ſi-ula-

mulaverant, ideo meruit Benjamin, ut Sanctuarium deinde in illa Palæſtinæ parte, quæ ei ſorte obtigit, conderetur, & ut ex illo prodiret Mardochæus, ſoſpitator Iſraëliticæ gentis, qui cultu regio veſtiebatur. Cæteris fratribus, quandoquidem falſum nuncium de morte Joſephi parenti afferendo, cauſa illi fuerant, ut veſtimenta ſua (quod Gen. XXXVII. 34. legitur,) ex mœrore dilaceraret, jure obvenit, ut cum Scyphus apud Benjaminem inventus eſſet, ſuas quoque veſtes (ceu eſt c. XLIV. 13.) ſcindere cogerentur.

Poſtquam Joſephus fratribus, quis ſit, aperuiſſet, ii, de illo necando conſilium ineunt. Sed Angelus de cœlo deſcendens, protegebat Joſephum, & fratres obtorto collo correptos, quatiebat in angulum palatii. Tum *Judas*, amare clamare cœpit, tanta vocis vehementia, ut præ nimietate ſoni, Joſephus de ſolio deturbaretur, univerſi viri fortes totius regionis exhorreſcerent, Ægypti mœnia collaberentur, omnesq; prægnantes mulieres paterentur abortum.

Joſephum, fratribus, diſſimulatione finita, veſtimenta donaſſe Geneſ. XLV. 22. memoriæ proditum eſt. Nempe, ſua illi ſciderant, nec poterant cum laceris veſtibus honeſte prodire in publicum. Præter veſtes, Benjamini, & quidem ſoli, trecenti etiam argentei numerati; quia nihil huic ex pretio, quo Joſephus venditus fuerat, obvenit: id vero quoniam reliqui inter ſe diviſerant, igitur nunc inanes dimiſſi.

ALTADAS.

Idem quoque *Sethus* dictus eſt, & regnavit annis 32.

CONTEMPORANEA.

Poſt 17. annum habitationis in Ægypto, diem ſupremum obit Jacobus, annos natus 147. exacto prius a filio Joſepho juramento, de corpore ſuo in ſpeluncam duplicem, ſepulchrum Majorum, ubi Abrahamus & Sara, Iſaacus & Rebecca, Lea quoque conjux conditi erant, inferendo. Quippe, cum illis dormire, cum iisdem expergiſci ac reſurgere unice deſiderabat. Hoc autem eo expetivit ardentius, quo fidem ſuam certamque teſtaretur ſpem, fore ut poſteritas, promiſſis Dei, ac hereditate Cananitidis frueretur. Itaque, in ſuis, eandem fidem atque fiduciam, ſuo exemplo excitari ac ſtabiliri voluit, ne, obliti eorum quæ pollicitus erat Deus, in Ægypto ſedes figerent. Fortaſſe etiam norat ex Numinis revelatione, Chriſtum, in ea terra, generis humani redemtionem peracturum. Jusjurandum autem exigebat a filio, non quod ejus haberet ſuſpectam fidem; ſed partim, ne ſua in Cananitidem translatio, crearet invidiam Joſepho, quaſi Ægyptus, quæ vivum aluerat, indigna videretur, quæ teneret mortuum; partim vero, ut, quanto magis hæc a ſe res agebatur ſerio, tanto diligentius, ex ſe nati poſteri, de reditu ſoliciti eſſent. Et vero, effectum dedit Joſephus, quod receperat, funusque patris Jacobi, ab ipſo, & univerſa Regia Aula magnifice curatum, inque Palæſtinam deductum eſt, non quidem recta ad Hebronem via, ſed per Idumæam & Moabitidem, trajecto deinde Jordane: quo itinere, Iſraëlitæ poſtea, in Cananæam redierunt.

Judæi nugivenduli triplicem cauſam afferunt, quare Jacobus in Ægypto terræ condi noluerit. Principio

cipio, ſciebat, inquiunt, Moſen olim Ægypti pulverem converſurum in pediculos, quibus cadaver morſicandum exponere nolebat. Deinde, cum extra Palæſtinam nulla ſit mortuorum reſurrectio, atq; alibi humati ſub imo ſolo ſeſe illuc provolvere cogantur, ſic demum ex morte, una cum cæteris revicturi: ab hac quoq; moleſtia corpus liberare inſtituit. Deniq; metuebat, ne, ſi corpus ſuum Ægyptii tenerent, illud conſecrarent, atq; ſeſe in Deorum numerum referrent. Nimirum, ejus præſentia, non exigua felicitate beaverat Ægyptum. Quoad enim Jacobus ſuperſtes fuit, nulla ibi abortivit fœmina, nec cuiquam hominum unquam dens doluit.

Cum Joſephus patrem in ſpelunca duplicata ſepelire vellet, accurrebat *Eſavus*, ut mortui illationem impediret, cauſando, ſepulchrum æque ſibi, ac Jacobo, ex hereditate patris Iſaaci obtigiſſe, cumque Jacobus jam Leam ibidem humaverit, eum ſolum, qui ſuperſit, vacuum locum, ſibi deberi. Reſponſum eſt Eſavo, ipſum, partem ſuam ſepulchri vendidiſſe Jacobo, atque ſupereſſe in Ægypto venditionis inſtrumentum. Negabat id Eſavus, ac eapropter miſſus eſt *Naphthali*, velocitate capreas antecedens, ut inſtrumentum afferret. Cum interea temporis, quoad ille rediret, ſepultura differretur, percontatur *Chuſchim*, filius Dan, qui ibi inter cæteros aderat, &, qui auribus ob hebetudinem male utebatur, quid ſibi mora hæc vellet? cumque accepiſſet, Eſavum prohibere ſepulturam, donec Naphthali revertatur: tum vero ira commotus clavam ſumit, eaque cum caput Eſavi diverberaſſet, proſilientes inde oculi, ad pedes Jacobi fuere prolapſi: unde hic, ſuos adaperiens oculos, in riſum ſolutus eſt.

Eſavo peremto, malus illius genius *Zapho*, ingenti cum exercitu armatus, ſepulturæ Jacobi obſtabat. Hunc autem Joſephus, eorum quos ſecum habebat, auxilio, devicit, ipſumque Zaphonem in Ægyptum captivum deduxit, ſervavitque aſſidue vinctum. At, Joſepho mortuo, evaſit ex cuſtodia, & in Italiam dilapſus, primus urbi *Romæ* Rex præfuit.

MAMYTHVS.

Bellicoſus fuiſſe traditur, & regnaſſe annis 30.

CONTEMPORANEA.

Joſephus, cum vixiſſet annos 110. Ægypto vero præfuiſſet, annos 80. tandem, felicitatis, vitæque ſatur, fato concedit. Moriturus, hoc unum apud ſuos gentiles mandatum depoſuit, ne, in patriam redituri, ſuum in Ægypto corpus relinquerent. Nempe, futurum aliquando prædixit, ut ſui promiſſi memor Deus, ex Ægypto Iſraëlitas evocet, ac poſt annorum aliquot ſervitutem, in eam terram reducat, quam Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, juratus promiſerit. Sua igitur ut oſſa profecturi ſecum deportarent in Cananæam, ac in Majorum conderent ſepulchro, ſummopere obteſtatus eſt, atque ut id certo certius fieret, ſacramento fratres obligavit. Hanc ob cauſam, exanime cadaver, aromatum ſuccis imbutum eſt Ægyptiaco more, & in arcam deinde repoſitum, quoad in Cananæam felix fieret reverſio.

Sic finitur *Geneſis*, ſive primus liber Moſis, qui annorum circiter 2310. hiſtoriam complectitur.

Notandum obiter, extare in *Alcorano*, ad Joſephum attinentem Suratam integram, eamque Latinam feciſſe Thomam Erpenium. In hac, inter cætera

tera legitur, cum Joſephus dixiſſet patri, quod per inſomnium undecim ſtellas cum Sole & Luna ſe ſibi incurvantes vidiſſet, ibi tum reſpondiſſe patrem: Noli, o filiole mi, narrare viſionem tuam fratribus tuis, ne forte dolum tibi ſtruant: eſt enim diabolus hoſtis manifeſtus generis humani.

Sequuntur fabellæ aliæ: Fratres, conjecto in ciſternam Joſepho, patrem Jacobum adeunt, eique dicunt: nos, dum curſu invicem certamus, periculum facturi, ecquis noſtrum pedibus magis valeret, Joſepho id negotii dedimus, ut veſtes noſtras, & cæteras reculas, interea temporis cuſtodiat. Huic curæ dum ipſe intentus eſt, devorat illum immanis lupus. Atque, ut aſſerto fidem conciliarent, ſimul monſtrant Joſephi tunicam, quam cruentaverant. Negabat pater hæc ita ſucceſſiſſe, ipſoſque perfidiæ inſimulat.

Turba hominum, iter faciens, ex ciſterna, in qua Joſephus agebat, aquam haurire volens, ſitulam demittit. Commodum in hanc ſe conjicit Joſephus, ſicque protrahitur in lucem: cujus miſericordia ducti viatores, veſtibus illum operiunt, venduntque poſtea æquo pretio.

Potipharis, cui Joſephus ſerviebat, conjux, capta ſervi hujus amore, illius uſuram corporis expetebat. Sed ille, abſit, inquiebat, ut Heri mei torum inquinem. Fugienti manum injicit hera, eumque retrahere volens, tunicam a tergo lacerat, ac interveniente forte marito, queritur, Joſephum caſtitatem ſuam temerare voluiſſe. Negabat Joſephus rem ita ſe habere, & plenus erga Deum fiducia, dè ſua innocentia teſtimonium dicere jubet in cunis ibi jacentem puerum, nondum ſermonis potentem. Neç mora, ſic fari incipit infans, elinguis cætera:

Si

Si Joſephi tunica ea parte quæ pectus tegit, lacera eſt, certa res, Joſephum Conjugi tuæ vim facere voluiſſe: at, ſi a tergo lacera deprehenditur, Conjux tua in reatu per id conſtituitur, minime vero Joſephus. In rem inquirens Potiphar, & Joſephi tunicam a tergo ſciſſam deprehendens, mulierem increpat, & ſic, tum quidem Joſephum criminis abſolvit. Succubuit autem denique mulieris dolis & criminationibus, inque carcerem detruſus, ibidem univerſum exegit novennium.

Cum innotuiſſet *fœminis aliis*, Potipharis uxorem ſervum ſuum amore impotente deperire, vitio id ei vertebant, quod vile mancipium affectu ſuo dignaretur. De hac re certior reddita, convivium parat, omnesque fœminas primarias ad id evocat. Iis epulantibus, ingredi jubet Joſephum: quo conſpecto, tantopere mulieres omnes ex admiratione rapiuntur in ſtuporem, ut oculis in eum penitus defixis, non animadverterent, ſe ciborum loco proprios digitos diſcindere: neque ſe continebant, quo minus exclamarent: Bone Deus! non homo nobis, ſed Angelus ſiſtitur. Tum Potipharis conjux: ecce vobis eum, quem ardeo: quid vobis videtur hoc mancipium?

Joſephus, poſtremo fratres dimittens, ait illis: capite vobis hanc *tunicam*, eamque ad parentem reverſi, oculis ejus imponite, quo ſic reddatur ipſi amiſſa videndi facultas. Nondum illi advenerant, ſed adhuc in itinere conſtitutis, derepente exclamare occipit Jacobus, odorem aliquem Joſephi, naribus meis percipio.

Affaniis miſſis, illud deniq; monendum, tum aliis, tum imprimis Voſſio l. 1. de idololatr. gent. c. 19. viſum

viſum eſſe, Ægyptios, Joſepho poſt obitum divinos honores tribuiſſe, eumque coluiſſe ſub *Apidis* nomine. In Teſtamento Patriarcharum, quod Bibliothecæ Patrum inſertum, proditum eſt, *oſſa Joſephi*, in Ærario Regum Ægypti cuſtodita fuiſſe, quia Magi prædixerant, iis deportatis, tantas in Ægypto futuras tenebras, ut alter alterum, ne quidem ad lucernæ lumen ſit agniturus.

In hæc tempora, haud ſine veriſimilitudine, refertur *Hiſtoria Jobi*, integro libro in ſacris literis deſcripta. Talmudiſtæ quidem, quibus Maimonides accedit, negant Jobum unquam extitiſſe, contendentes, nihil illius libro tradi aliud, quam patientiæ poëticum exemplar. Idem ſenſit ex Chriſtianis Junilius Epiſcopus Africanus. At, vitam inter mortales egiſſe Jobum, & omnia ita ſucceſſiſſe, prout narrantur, fidem facit non ſolum, quod ejus nominatim Ezech. XIV. 14. & Jac. V. 11. mentio injicitur; ſed &, quoniam illius uxor, liberi, amici, opulentia, calamitates, modus quo facultates amiſſæ, denique univerſa ejus vita & obitus, diſtincte recenſentur, quod in parabolis neutiquam fieri ſolet. Plerique Patres, cum Hebræis quibusdam & LXX. Jobum, faciunt *Jobabum*, alterum Idumæorum Regem, Joſephi ex Raguele & Zara pronepotem, cujus Gen. XXXVI. 33. mentio extat. Recentiores, volunt, Jobum, ipſius Abrahami, ex Ceturæ filio aliquo, nepotem fuiſſe. Quicquid de hoc ſit, ſaltem quod ante Moſen Jobus vixerit, variæ evincunt rationes. Vti 1. quia vita ejus ad 200. annos producta fuit, cujus terminus, tempore Moſis erat contractior. 2. Quia tanquam paterfamilias ſacrificavit, quod ſub Lege, & poſt eam, non licuit. 3. Quia Legis latæ, & miraculorum

Dei

Dei erga populum Iſraelis, nuſpiam meminit. 4. Quia nulla veſtigia in libro Jobi, ætatis Moſaica inferioris, occurrunt. 5. Quia divinarum revelationum frequentia & modus, Patriarcharum temporibus magis conveniunt. *Jobi uxorem* Arabiſſam quandam LXX. Interpretes, alii vero, inter quos Chaldaica Paraphraſis, *Dinam*, Jacobi filiam, fuiſſe perhibent. *De ejus libro*, Autor Commentariorum in Job, qui Diogeni accepti feruntur, ſcribit, quod primitus Syrorum lingua, ſive ab ipſo Jobo, ſive ab Amicis ejus fuerit compoſitus, Moſen vero illum in ſermonem Hebraicum translatum, filiis Iſraël tradidiſſe, cum in Ægypto affligerentur. De *duratione* quoq; calamitatis *Jobi*, non eadem omnium eſt ſententia. Chronologia enim Hebræorum magna 12. menſes, Suidas vero 7. annos continuos eidem aſſignant.

Inter Alcorani ſcita eſt, Jobum ſanitati redditum, cœlitus juſſum eſſe, pulſare humum pedibus, ſic enim promanaturam aquam, qua ſitim reſtinguere, & corpus abluere ille poſſit. Cum uxor ei autor eſſet, ut Numini obloqueretur, ſimiliter cœlitus emiſſa vox eſt: cape tibi fuſtem, & uxorem tuam vapulare jube.

Huic ætati ſuppares fuiſſe creduntur Magiſtri gentium, fabuloſis Græcorum carminibus clari. *Argus* nempe, Argorum conditor, cui ob ſummam mentis perſpicaciam & pervigiles curas, centum oculos affinxit antiquitas. Item *Prometheus*, vanitatis imperitiæque humanæ expulſor: ob id homines finxiſſe creditus. Ejus frater *Atlas*, cum cœli, ſiderumque motuum ſpectator diligens eſſet, hanc ob cauſam cœlum humeris ſuſtinuiſſe dictus eſt.

MIL-

MILLENARII III.

SECVLVM IV.

ASCHALIVS.

Dicitur & Mancaleus, ac rebus præfuit annos 30.

CONTEMPORANEA.

Iſraëlitæ, qui ante annos circiter 130. pauci numero, hoc eſt ſeptuageni deſcenderant, interea temporis, in populum aucti ſunt maximum, ipſisque hoſpitibus formidoloſum. Dicit Ariſtoteles lib. 7. hiſt. an. c. 4. in Ægypto ſolere mulieres non gemellos modo, ſed tres & quatuor fœtus uno partu edere; quod in Judæis quoque fœminis, Ægyptum incolentibus, quas inſuper divina vis fœcundabat, vel maxime ſic accidiſſe, haud abſurde quis ſuſpicetur. Itaque terram, quam incolebant, magis anguſtam indies, quibus vero cum degebant Ægyptios, minus in ſe benignos fieri ſentiebant. Neque vero invidebant tantum incrementis & opibus inquilinorum hoſpites maligni, ſuam hæc infelicitatem interpretantes: ſed & ſummum odium Hebræis conflabat ſacrorum ab Ægyptiis diſparitas, cum unum illi Deum, & præpotentem cœli ac terræ Dominum, hi infinita Numina, atque in iis etiam pecudes, muta ſimulacra, & res viliſſimas venerarentur.

Præeſſe quoque cœpit Ægypto Rex novus, ex alia fortaſſe, quam quæ Joſepho vivente regnaverat, familia ortus, &, *Amenophis* Manethoni dictus, qui omnem depoſuit conſervati a Joſepho regni, auctique tantopere fiſci regii memoriam. Is rationem reperiſſe

ſibi

ſibi viſus eſt, qua Hebræorum multitudinem, potentiam, & fœcunditatem imminueret, & ſimul prohiberet, ne aut hoſtibus accederent, aut ipſi periculum Ægyptiis crearent, ſi permanſiſſent; aut denique fugiendo, prædam opimam e faucibus eriperent. Nimirum, laboribus perpetuis exercendos Iſraëlitas cenſuit, ut Regibus atque Regno commodo ſint, nec fruges inutiliter conſumant. Quamobrem continuo imperatum, ut Iſraëlitæ terram foderent, & coquerent lateres, quibus publica ædificia conſtruerentur. Præfecti quoque & cuſtodes adhibiti, qui invitos vi adigerent, ac verberibus impellerent reluctantes. Eorum igitur opera induſtriaque, *Rameſes* atque *Pythoma* conditæ ſunt, urbes munitiſſimæ, quæ vel æraria vel granaria eſſent Regibus.

Enim vero, magno conatu nihil profecit Rex, quo enim laboribus magis atterebantur Hebræi, eo magis fœcundi reddebantur: tum divino beneficio, tum & natura ſic ferente, cum vulgo quoque pauperes & laborioſos, plures & potioris ſexus liberos, nobiles vero & deſides, paucos & plerunque fœmellas procreare videamus. Inde ira flagrantes Ægyptii, furere omnes ac ſævire erga miſeros Jſraëlitas, ac plane pro mancipiis viliſſimis eos habere cœperunt. *Schiphræ* quoque & *Puæ* obſtetricibus, quarum opera utebantur Hebræorum fœminæ, clam a Rege præceptum, ut in ipſo partu maſculos tollerent, ſolis fœmellis ſervatis; quas, obſtetricum anteſignanas fuiſſe, & reliquis mandata diſpenſaſſe, cum duæ ſolæ tantæ fœcunditati ſufficere non potuerint, ratio credere ſuadet. Obſtetricibus Lucinis, quarum munus eſt infantibus lucem dare, non adimere,

mere, nimis crudele videbatur, mandatum Regis: &, quia familiaris conſuetudo cum Iſraëlitis, ipſas aliqua religione ac pietate imbuerat, ab immani, quod præceptum erat, facinore abhorrent. Cum itaque ſuum intelligeret mandatum negligi Rex iracundus, mandati inſuper habiti arguit obſtetrices. Illæ, validas eſſe ajunt fœminas Hebræorum, longe diſſimiles Ægyptiis delicatis, ut quæ partu leventur, antequam obſtetrices accedant.

Cum minus proceſſiſſet clandeſtinum ſcelus, aperte ſibi Rex graſſandum ſtatuit, ac omnibus Ægyptiis executio feralis ſententiæ demandata: quippe publice intererat, prolem in ſuo regno rareſcere peregrinam, & Iſraëlitas fieri quam pauciſſimos. Vniverſis igitur imperatur, ut quoties Hebræorum fœminæ peperiſſent, vicini accederent ac ſcrutarentur; fœmellis parcerent, in flumen mares abjicerent. Scribit Joſephus, etiam Iſraëlitis pœnam propoſitam fuiſſe, ut cum tota familia tolleretur is, qui fœtum ſuum clam ſuſtuliſſet. At, paucorum menſium hæc videtur fuiſſe crudelitas: decem ait Cedrenus; non autem diu duraſſe vel inde conſtat, quoniam ex Hebræis, poſt annos 80. præter fœminas puerosque, virorum ſexcenta millia hinc in Arabiam profecta ſunt, longe pauciores futuri, ſi tempus diuturnum valuiſſet hoc de mergendis puerulis edictum.

Duxerat paulo ante quam Pharao in Iſraëlitas ſævire cœperet, *Amram*, Kahati filius, nepos Levi, amitam ſuam, ſive patris ſororem, *Jochebed*, quæ filiam *Mirjamem*, ac filium *Aaronem* peperit.

Multum indulſit ſibi Judæorum, circa calamitates quas illorum Majores in Ægypto perpeſſi fuere, ac mirabilem inde per Moſen ſequutam eductionem,

in fabulis effingendis pertinax ſtudium , ita ut nullam hiſtoriam magis, quam hanc, commentis ſuis incruſtarint. Nempe, id negotii ſibi crediderunt dari, ut rem, ad æternam gloriam gentis pertinentem, magnifice extollerent. Iis operam dare, vacivasque, quoties uſus eſt, aures præbere non pigrabimur.

Pharao, Iſraëlitas labore oneraturus, ipſe laterem parabat, eumque e collo geſtabat ſuſpenſum: accepta quoque pala effodiebat argillam. Illius exemplum, cum hortantibus Ægyptiis, impigre, ceu æquum erat, ſequuti eſſent Iſraëlitæ, atque illa die multos lateres formaſſent, vimque immenſam argillæ eruiſſent e terra, ratione diurni hujus laboris inita, tantundem quotidie præſtare juſſi ſunt.

Legitur Ex. I. 16. dixiſſe Pharaonem obſtetricibus: *Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit: ſi maſculus fuerit, interficite eum: ſi fœmina, reſervate.* Ineſt his verbis difficultas. Nam, ſi ad jam in lucem editos infantes ſermo attinet, quomodo permiſſuri erant parentes, & , quos adſciſcere licebat, neceſſarii ac familiares, ut infans ab obſtetrice perimeretur? At, ſi de nondum plane uterum matris egreſſis infantibus ſermonem accipere oportet, unde conſtare poterat Obſtetricibus, maremne an fœminam mater ſit paritura? Ergo ſciendum, hoc dixiſſe Pharaonem eo ſermone quo obſtetrices affatus eſt. Velim clam in ipſo partu, dum opem fertis parturientibus, mihi pueros Hebræorum enecetis. Facilis hæc res eſt, nec quisquam ſiniſtri quid de vobis ſuſpicabitur, credent enim omnes, infantem jam in utero matris periiſſe. Vt vero vobis conſtet, cujus ſexus ſit fœtus qui naſci anhelat, ſcitote, pueros edendos vultum habere in ter-

ram

ram directum, puellas vero ſurſum reſpicere. Vera res eſt, ſed cauſam Pharao ignorabat, quæ, in eo conſiſtit, quod in partu ſervatur memoria primæ originis. Vir enim e terra, fœmina ex illius coſta prodiit. Tum vero cum fit conceptio, vultus quoque genitores ſimiliter habent diſpoſitos.

Cæterum, obſtetricum illarum, quibus Pharao mandatum ferale dederat, una fuit *Jochebed*, mater Moſis, altera vero, ſive *Mirjam*, prioris filia, ſive *Eliſchaba*, filia Aminadabi, quam Aaron duxit uxorem.

Poſtquam Pharao edictum de Hebræorum pueris in Nilum projiciendis propoſuerat, mulieres gravidæ, cum partitudo propinqua appeteret, in agros ſe conferebant, ibique, fœtu edito, illum adhuc ab utero rubentem, poſt ſe reliquere. Tum miſit Deus Angelos, qui pueris lotis, unctisque, lapides binos appoſuerunt, e quorum altero lac ſugebant, ex altero mel eſitabant; capilli ad genua penduli, corpus molliter tegebant. Ea res cum ad Pharaonem perlata eſſet, juſſit ut pueri illi tollerentur e medio. Verum terra dehiſcens ipſos ſuſcepit. Ergo imperat Pharao, omnem illam terram aratro vertere: quod quidem factum eſt, ita tamen, ut ſalvi & illæſi manerent infantes: qui celeriter, graminis inſtar germinantes, & e terra agminatim prodeuntes, domum quisque ſuam ſe conſerebant. Hanc rem memoriæ conſecravit Pſalmus CXXIX. verbis: *Supra dorſum meum araverunt arantes, prolongaverunt ſulcum ſuum.* Item Pſalmus LXXII. in quo legas: *Illi florebant ſicut herba terræ.*

SPHÆRVS.

Iſte, annis 20, imperium adminiſtraſſe dicitur.

CONTEMPORANEA.

Amram, promulgato jam Pharaonis de Hebræorum pueris tollendis decreto, ex *Jochebed*, ſuſcipit alterum filium: quem, cum parentes viderent puerum elegantem ſummæque ſpei, quoad fieri potuit, hoc eſt tribus menſibus, celarunt. Cum diutius occultare non auderent, in arca papyracea, pice illita, in fluminis junceto exponunt, cujus fatum *Mirjam* ſoror e longinquo ſpeculabatur. Accedebat tum forte Pharaonis filia, Joſepho *Thermutis*, Artapano apud Euſebium, *Merris* dicta, cum ancillis ad flumen, lavandi cauſa, quæ, arcam in junceto conſpicata, ad ſe deferri juſſit. Invento illic puero pulchro, ſed amare vagiente, facile agnovit eſſe ex Hebræis unum, quos, ad flumen, ſui patris damnaverat immanitas. Dum ancillæ dominaque ſimul formam elegantem pueri contemplantur, ſoror infantis Mirjam, tanquam ad ſpectaculum accurrit novum, & quaſi certum ſit, debere ſervari, de nutrice quærit, *velitne* Princeps aliquam accerſi ex Hebræis? Vbi velle accepit, ſuam atque infantis matrem Jochebed *illico* adducit, atque huic a Thermuthi magna mercede filius proprius alendus traditur. Itaque puer, facile ſuo, hoc eſt materno lacte, adolevit: atque poſt annos paucos ablactatus, in Aulam Regiam defertur, ac Thermuthi redditur, quæ deinceps illum pro ſuo habuit, in Regiam familiam adſcivit, ac *materno* jure impoſuit nomen *Moſes*, nec nominis rationem diſſimulavit, eo quod ex aqua periturum *ſuſtuliſſet*. *Mos* enim, (ſi Philoni Judæo credimus, aut Joſepho, quique hos ſectatur Clementi Alexandrino)

Ægy-

Ægyptiorum lingua *Aquam* ſignificat; *Mos* & *Iſes*, Joſephus, *ex aqua ſervatum* interpretatur. Quanquam illorum originatio verior, qui ab Hebræo משה *Maſcha*, quod *extrahere* denotat, eam repetunt, ut nomen *Moſes* illum innuat, qui ſit *ex aquis extractus*; & omen quoque occulte contineat futuri eventus, quo per eum, ex malorum & miſeriarum undis, erat populus Iſraëlitarum extrahendus. Nam Hebræo puero, Hebraicum nomen conveniebat magis, quod ab ancillis, aliisve didiciſſe Thermuthin nihil prohibet. Niſi putemus, utrique forſan linguæ fuiſſe nomen commune; aut aliud, eodem ſenſu, Ægyptiacum impoſitum, quod poſtea in *Moſes* mutatum. Abeneſra enim teſtatur, reperiſſe ſe in libro Arabico, quod *Monion*, primum fuerit & verum Ægyptiacum nomen; *Moſen* eadem ſignificatione dictum Hebraice.

Miretur quis, filiam Regis tanto amore puerum eſſe complexam, expoſitum, &, quemadmodum ipſa ſuſpicabatur, Hebræum: Regem vero ipſum, hoſtem inexorabilem Hebraici nominis, æquo tuliſſe animo hanc filiæ ſuæ indulgentiam, monſtri ſimile eſt. Sed illam, forma pueri ſupra modum captam, Joſephus aſſerit. Hunc, Philo deceptum ait, fingente filia uteraum, & hujus filii mentiente partum. Verum, iſta ſine dubio ita temperavit cœleſtis providentia, quæ, non modo eripere populum ſuum, quaſi ex lethi faucibus, ſed hoſtes ipſos, ejus libertatis atque ſalutis quodammodo autores eſſe voluit. Nempe, qui e ſervitute vindicaturus erat populum Iſraëliticum, ac educturus ex Ægypto, a filia Regis liberatus eſt, & in aula Regis, inimici atrociſſimi, fuit educatus.

Jam vero, qui Regis nepos habitus eſt, etiam regio more fuit inſtitutus, ac Stephani Act. VII. 22. teſtimonio, diſciplinis omnibus Ægyptiorum eruditus. In his numerandæ ſunt Geometria, Aſtronomia, Arithmetica, Muſica, Militaris ars, Civilis prudentia, & Phyſica. Ac Geometriam quidem in illa gente neceſſitas excoluit, turbatis, increſcente Nilo, agrorum finibus. Ad Aſtronomiam, planities ampla, & ſine nube cœlum invitabat: utraque vero, Arithmeticæ notitiam exigebat. Muſicæ modis, Deorum, Regum, Heroumque laudes celebrabantur. Militaris ars, ad tuendam Regni incolumitatem conferebat. Civilis prudentia, legibus continebatur. Phyſica, rerum naturalium cauſas, & vim illam, quam qualitatem dicimus, oſtendebat. Atque oportuit ſic ejus ingenium excoli, qui futurus erat tanti populi Dux. In Aula Regis præterea, regioque more educari æquum erat, ut regiis virtutibus jam tum a puero inſtructus, majore cum autoritate apud Ægyptios popularesque ſuos, Liberatoris munere perfungeretur. Quod Philo addit, Græcanicis eum artibus imbutum quoque, nimio laudandi ſtudio facit. Græci enim, diu poſt hæc tempora demum cœperunt philoſophari, nec Moſis ævo literas adhuc noverant.

Quæ nos aſſeruimus, ſic ſatis Sacris Literis conſona ſunt, quæ *Judæi tradunt*, non æque. Sunt vero præcipue ſequentia.

Cum Pharao juſſiſſet omnes Hebræorum pueros, recens natos, in profluentem abjicere, *Amram*, qui inter ſuos eximia erat autoritate, ne impoſterum Judæi liberos tantum morti deſtinatos, ſuſciperent, cum uxore divortium fecit: cujus exemplum cæteri

teri omnes Iſraëlitæ ſunt imitati. At, patris inſtitutum improbavit *Mirjam* filia, ſic eum affata: Tuum decretum, decreto Pharaonis longe eſt atrocius. Pharao enim tantum de maſculis præceptum dedit, tuum mandatum maribus & fœmellis ex æquo adverſatur. Pharaonis lex ad hunc tantum mundum attinet, tuum autem conſilium, & hanc, & futuram vitam reſpicit. Pharao, cum impius ſit, dubium relinquitur, num decretum ejus ratum an irritum fiat; tu, cum juſtus ſis, controverſia caret, tuum edictum futurum inviolabile. Sic repetiit Amram uxorem repudiatam, &, poſt legitimi tori uſum, conceptus Moſes eſt.

Sub id tempus, Pharaoni dormienti *ſomnium* viſum eſt. *Senex* coram eo ſtabat, manu libram geſtans, cujus in altera lance univerſa Ægyptus, mares, fœminæque conſpiciebantur: in altera, puer unicus erat, qui toti regno præponderabat. Rex, dum quæ objecta erant, animo verſat, protinus vocatis Sapientibus ac Magis, quos inter *Bileam*, *Job* & *Jethro* quoq; immixti fuere, illud expoſuit. Attoniti omnes pavidiq; ſtabant, cum Bileamus, hoc ſomnio Ægypto damnum terroremq; portendi docuit, quod naſciturus puer ſit, Ægyptum magno malo affecturus, quare autor Regi fuit, omnes Hebræorum filios interfici juberet, ſi forte hoc medio pueri fatis obſiſtere liceat.

Jochebed, cum Moſen concepiſſet, ineunte, poſt id, menſe ſeptimo, illum in lucem edidit. Partus tempore tota domus veluti Solis aut Lunæ fulgore replebatur, proditque formoſiſſimus infans. Natus eſt autem circumciſus ex utero matris, &, quo die lucem vidit, eodem cum Patre ac matre loquebatur.

Cæterum abſconditus eſt in conclavi menſes tres, occultari vero diutius non poterat. Ægyptii enim uxores ſuas, in terram Goſen, ubi Iſraelitæ morabantur ire jubebant, quæ, cum filios nondum loqui doctos, humeris geſtarent, ibi tum ſimul ac Ægyptius puer quid balbutiret, abſconditi Hebræi lingua ſua utcunque reſpondebant, quod, Ægyptiæ mulieres maritis, mariti Pharaoni dicebant, qui ſpeculatore miſſo, pueros rapiebat ex parentum amplexu ad necem.

Reſcivit Jochebed poſt tertium menſem, Regem de partu ſuo redditum eſſe certiorem: itaque confeſtim puerum, contextæ ex juncis arcæ incluſum, Nili ripæ credit, ſoror autem ejus a longe eventum obſervat.

Ardebat tum Ægyptus æſtu divinitus immiſſo. Hinc Regia Virgo, magna puellarum caterva ſtipata, ad flumen lavatura deſcendit: cumque aquis innatantem arcam vidiſſet, illam adferri jubet, aperit, inventoque puero, ipſum mulieri Ægyptiæ lactandum committere in animo deſtinat. Sed nullius ex Ægyptiis fœminis uberibus admoveri poterat, cum nefas eſſet, ut os, quod cum Supremo Numine ſermones miſcere debebat, impuro lacte aleretur. Ergo mater Jochebed, puerum duobus in diem argenteis alendum ſuſcepit. Biennio poſt, Pharaonis filiæ ſiſtitur, ab eaque adoptatur.

Tertius a nato Moſe annus fluxerat, cum Pharao convivium præberet, cujus dextram Vxor, lævam Filia cum Moſe tenebant: Proceres, ante Regem ſedere juſſi. Tum Moſes, in omnium oculis, ſublatam a Pharaonis capite coronam, ſuo impoſuit. Mox *Bileamus* Magus, idemque Regius Satrapa, ſtupen-

ſtupentibus cæteris, in memoriam Regi revocat ſomnium, cujus interpretationem ipſe dediſſet, atque puerum capite plecti jubet. Cum conſilium placuiſſet, confeſtim Deus *Gabrielem* Angelum miſit, qui ſuſcepta Principis viri perſona, Regem ſic compellavit: Ego, inſontem minime damnandum cenſeo, multo minus puerum judicii expertem. Verum, agite, puero Gemmam & Carbonem proponamus; ſi Carbonem elegerit, puerilis ignorantiæ indicium erit: at, ſi Gemmam ceperit, damnandus eſt. Nec mora, & Gemma, & Carbo pueri oculis ſubjiciuntur. Moſes Gemmam auferre parabat, ſed coactam ejus manum Angelus Carboni impoſuit, raptimque ori intulit, unde poſtea tardiloquus evaſit: atque ſic Rex Moſi pepercit.

MAMYLVS.

Regnavit 30. annos.

CONTEMPORANEA.

Moſes, in Aula Regis Ægyptiorum feliciſſime agebat, omnibusque dignitate præſtabat, Rege uno minor. At idem, ſuos jam didicerat parentes, ſuum genus, ſuam religionem, ſuum Deum, quem pie colebat uniceque, quique illum fortaſſe jam monuerat, ipſum eſſe deſtinatum a ſe, qui Hebræos in libertatem aſſereret, miſereque afflictis daret ſalutem. Ætate igitur matura, quippe jam quadragenarius, & ſuperſtitionis Ægyptiacæ diu pertæſus, ſplendori aulico, deliciis, opibusque renunciat, & ad ſuos ſe confert populares. Iſti, hominem Aulicum refugere primo, nec ſatis fidere peregrino, utut grandia pollicenti. Ille, quo fidem faceret, ſe illis a Deo

conſtitutum vindicem, & liberatorem, cum forte offendiſſet Ægyptium, (quem aliqui ex Præfectis operum fuiſſe ſuſpicantur) Iſraëlitæ vim & injuriam inferentem, neq; conſcius adeſſet quisquam, Ægyptium, cùm aliter fortaſſe ſummovere illum non poſſet, occidit, vindicavitque Hebræum; mortui vero cadaver in arena condidit, ne quod extaret cædis indicium. Poſtridie vero Moſes, cum e ſuis popularibus duo contenderent, verbis mitibus eos caſtigat, diligere ſe invicem fratres, non affligere debere inquiens, ſatis jam ab Ægyptiis afflictos. At, injuriæ autor, ſatis proterve, Moſen faceſſere jubet, eo quod nemo illum Principem creaverit, quæritque num ſe quoque peremturus eſſet, prout pridie occidiſſet Ægyptium? Poſtquam de cæde Ægyptii audivit Moſes, eam proditam ſuſpicatus, ac vulgo notam, diſcedendum ſibi ex Ægypto judicavit, quod illic diutius tutus permanere non poſſet. Sed & Pharao, ubi de fuga Moſis ex Aula Regia, & Ægyptii cæde reſcivit, eum requirere juſſit, capitis ſupplicio in ipſum animadverſurus.

Quapropter in terram *Midianitidem*, quæ Arabiæ Petrææ pars eſt, Ægypto finitima, ſe fuga proripit Moſes, ratus, liberandi Hebræos nondum adeſſe tempus opportunum. Nec ipſe adhuc maturus videbatur, aut par futurus, (quippe molliter in Aula, & delicate habitus,) tantis, quæ manebant eum, certaminibus atque moleſtiis. Placuit igitur Supremo Numini, hominem ſubducere pauliſper, & in deſerti ſchola erudire, ut paulatim obeundæ tantæ provinciæ idoneum, atque parem redderet. In terram vero Midianitidem conceſſit, quia par fuit, eo maxime in loco ipſum verſari atque morari, unde

brevis

brevis facilisque pateret reditus in Ægyptum, & ubi quæ apud Iſraëlitas agerentur, explorata haberet omnia. Forſitan etiam aliqua Iſraëliticæ & Midianiticæ gentium cognatio, in Abrahamo convenientium, illum invitabat.

Judæi, de his, ſequentia tradunt, quorum aliqua etiam apud Joſephum, & Euſebium ex Artapano leguntur: Moſes fratres viſitans, Ægyptium videt, qui peſſime Hebræum verberibus excipiebat. Hebræus querelam ad Moſen defert, &, Domine, ait, iſte, qui ſuſcitare nos Hebræos ſolet ad laborandum, cum ſummo mane, poſt gallicinium, me expergefeciſſet, atque ſtrato ſurgere coëgiſſet, me abeunte, uxorem meam, credentem quidem mecum ſibi rem eſſe, ſubegit, & nunc, quia id me perſpectum habere novit, me perimere cogitat. Nec mora Moſes Ægyptium interficit. Judæus, domum reverſus, uxorem res ſuas ſibi habere jubet; illa, factum fratribus narrat, qui, vitæ mariti inſidias ſtruunt, unde is fuga ſibi conſuluit. Rex Ægypti, audita cæde quam Moſes patraverat, eum carnifici permiſit, ſed is cervicem illi amputare non potuit. Eodem momento, Deus *Michaëlem* ablegat, qui, aſſumta ducis Spiculatorum forma, Moſen in Regni finibus collocat.

Interea *Bileam*, Labanis filius, ubi conſilium de Judæis exſtirpandis optato exitu carere animadvertit, ad *Necanem* Æthiopum Regem, cum *Jane* & *Mambre* filiis ſecedit. Erat tum inter Æthiopas & Arabes bellum. Necan ad pugnam egreſſus, Bileamum urbis cuſtodiæ præficit, qui, Rege abſente, populum ad ſeditionem excitavit, urbis muros ab uno & altero latere altiores condidit, tertium, ducto

Nilo in foſſas, inexpugnabile reddidit, ultimum latus, convocatis arte magica ſerpentibus, prorſus reddidit inacceſſam. Necan redux, ingreſſu urbis prohibetur, novemque univerſis annis eam nequicquam obſedit. Ad ejus caſtra, Moſes, ex Ægypto fugiens, delatus, Regi ac Proceribus carus eſſe cœpit, in tantum, ut Necane mox diem ſupremum obeunte, Rex conſtitueretur, Necanis vidua illi conceſſa, quam tamen ipſe non attigit, medio inter ſe & ipſam enſe ſemper interpoſito cubans. Dehinc, captas ciconias Moſes in ſerpentes immiſit, atque ſic urbem in poteſtatem redegit, Bileamo, cum filiis, incantamentorum ope, per aërem in Ægyptum ad Pharaonem rurſus avolantibus.

Jam imperaverat Moſes quadraginta annos: ibi Regina, convocatis Proceribus, ſic illis ait: Noveritis, eum quem Regem vobis elegiſtis, me per univerſos hos 40. annos non tetigiſſe, itaque Necanis potius filio, quam alienigenæ, Regnum committite. Cum omnes aſſenſi eſſent, Moſes, divitiis onuſtus, dimittitur, qui recta via in Midianitidem contendit.

MILLENARII III.

SECVLVM V.

SPARETVS.

IDem & Sparthæus vocatur, regnavit vero annos 40.

CONTEMPORANEA.

Moſes, in terram Midianitidem delatus, vagatus diu, ad puteum forte conſedit, feſſus de via, & incertus quo tenderet. Exſpectabat paſtores, qui

qui de hoſpitio docerent. Interim adveniunt ſeptem ſorores, una cum ovium paterno grege, filiæ *Reguelis*, Sacerdotis Midianitici, cui & *Jethro* nomen. Chaldæus Paraphraſtes Principem fuiſſe cenſuit, non ſacrarum rerum Antiſtitem. Sed, haud apprime convenit, virum Principem non alios habuiſſe famulos paſtoresque ovium, præterquam ſuas filias, quas aliorum paſtorum contumeliis atque rixis exponeret. Cæterum, Virgines cum impleviſſent canales aqua, ſuperveniunt repente alii paſtores, & earum laborem intercipiunt, repulſo inde Reguelis grege. At Moſes, ex naturali humanitatis lege, quæ jubet imbecilliores a potentiorum, virgines a virorum tueri injuriis, opem tulit tempeſtive, paſtores abegit, hauſit aquam abunde, & ſic effecit, ut cum ſat greges bibiſſent, ad patrem filiæ ſolito longe maturius redirent. Miratur Reguel, qua id fortunæ indulgentia factum ſit. Quia enim plurimorum gregum is fons erat unicus, morari interdum ad multam usque noctem ſolebant. Filiæ, protinus narrant, peregrini cujusdam Ægyptii beneficium in ſe: ut iſte gregibus aquam hauſerit, ut paſtorum iniquitatem propulſarit. Lætus omnia exaudivit pater, hoc unum indigne ferens, quod in hominem tam benignum ingratæ viderentur, non vocando illum ad ſe, ut eum qui potu impleviſſet gregem, cibo ſaturaret. Proinde ad fontem propere feſtinatur, vocatur ad Jethronem Moſes, & convivio excipitur. Dum mutuo agunt, ita probantur utrique utriusq; mores, ut ad curandum gregem, operam lubentius nulli Moſes collocare quam Regueli, nullius Reguel conducere mallet quam Moſis. Neque tamen is hunc ſervi loco eſſe voluit, ſed generi.

neri, *Zipporam* filiam ei uxorem tradens, ex qua filium ſuſtulit, *Gerſon* dictum; quin & alium poſtea genuit, cui *Elieſeris* nomen impoſitum.

Quadraginta fere jam annos paſtorem egerat Moſes apud Reguelem; de Iſraelitis liberandis omnem deponens ſolicitudinem, ex quo a populari ſuo proditus, in exilium ac prope exitium actus erat. Sed & ipſe Deus, per longum, quod Moſes aberat tempus, pervicacem gentem, & e qua, multos etiam in idolorum cultum inclinatione propendiſſe ex Joſ. XXIV. 14. colligitur, affligi paſſus eſt, quo cervicem libentius ſuo jugo ſubderet. Tandem aliquando fœderis cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo initi recordatus, populi calamitoſiſſimi miſertus eſt, & gemitus eorum ac ſuſpiria benignus exaudivit. Dedidicerat quoque Moſes, longa deſuetudine, in ſylvis inter muta pecora agens, faſtum aulicum: pari enim fere ſpatio, rectorem ſe ovium in deſerto geſſerat, quo nepotem repræſentaverat in ſcena aulæ Pharaonis. Cum ergo paſceret ſoceri gregem in ſolitudine ad Horebum montem, conſpiciendum ſe illi Deus præbuit, in rubo procul ardente flagranteque, nec tamen flammarum vi conſumto. Cepit Moſen cupido explorandi, quid hoc eſſet magnæ & inſolitæ rei, cumque appropinquaſſet, audivit vocem ſe compellantem ex medio igne, & imperantem, ne accederet, ſed calceos exueret, eo quod ſacra eſſet, quam pedibus calcabat humus. Moſes divina territus voce, calceos deponit, quin & faciem velat, neminem arbitratus poſſe vivere, qui vidiſſet Deum; unde & Angelos velare faciem ſuam, quod immenſam Dei gloriam non ferant, apud Eſaiam VI. 2. legimus. Injungit deinde Deus Moſi,

ut

ut Iſraëlitas in libertatem vindicet, ac in terram promiſſam deducat. Tergiverſanti, Nomen proprium revelat, quidque Senioribus populi dicendum ſit, inculcans, felicem ſucceſſum pollicetur. Etiam nunc fluctuantem Moſen, cauſantemque, Iſraëlitas fidem nullam legationi habituros, quod nullo indicio ſignoque probatum dare poſſit, ſibi conſpectum Deum, triplex ſignum edere jubet: baculum ſcilicet in ſerpentem convertendo; manum ſanam illico lepra inficiendo, & fluminis aquam reddendo ſanguinolentam. Neque tamen ſatis hæc Moſi, unde facundiæ inopiam prætexere occipit: cui Deus commotior jam, ſe fratrem Aaronem, promtum diſertumque eloquio, illi in hoc munere ſocium & adjutorem additurum promittit.

Iraſcente Deo, non ulterius effugia ſibi quærenda recte judicavit Moſes, quare domum properat ad ſocerum Reguelem, impetratque veniam, in Ægyptum diſcedendi, ſuosque viſendi populares. Cum uxore igitur & liberis, unum aſinum onerantibus, itineri ſe accingit ſolus, pedes, & baculo tantum divino juſſu inſtructus, qui Ægyptum & Cananæam expugnaturus erat. Viæ cum aliquam partem emenſus eſſet, & in diverſorio ageret, Deus occurrit iratus, mortem, aut morbo gravi, aut vi alia illaturus, eo quod filium ſuum natu minorem, nondum ſacra circumciſionis ceremonia initiarat, cujus religionis neglectæ pœna mors Gen. XVII. 14. denunciatur. Erat autem hoc myſterii violati peccatum, tanto gravius in familia Judicis atque Vindicis deſignati, quod peſſimo exemplo, plurimis id offendiculo erat futurum. Uxor, domi præpotens, & amori materno nimium indulgens, impedierat hactenus illum

ritum,

ritum, majoris filii offenſa vulnere. Cum autem vidéret jam, aut filii ſanguinem fundendum, aut amittendam eſſe conjugi vitam, ipſa, quanquam invita, filio pelliculam præſcindit, abſciſſam ante pedes projicit, irata & fremens, viro crudeli & ſanguinario ſe nuptam vociferans: velle igitur protinus ſe in patriam & cognatos ſui amantiores redire, ne graviora ſibi accidant. Vindicatus ab exitio Moſes, in itinere opereque ſatis per ſe moleſto, impedimento futuram uxorem relinquendam putavit, & ad parentes una cum liberis remiſit. Ipſe ad montem perrexit *Horebum*, ac ibi, mandato divino excitum, obvium habuit Aaronem, qui ſalutem atque adventum Moſi gratulatus eſt, illi contra Moſes mandata divina expoſuit.

Nunc Judæi rurſus audiendi ſunt. Moſes in Midianitidem delatus, Regueli innotuit, quem cum de nomine ac gente ſua certiorem reddidiſſet, conſilium is cepit de eo necando, ac ideo illum in carcerem compegit, ut fame ibi periret. At Zippora, cui Moſes placuerat, ſingulis diebus cibum ſufficiebat, patremque tandem permovit, ut libertati illum redderet. Sub idem tempus Jethro publico præconio filiæ matrimonium ei pollicetur, qui virgam quæ in horto ejus creverat, ſapphirinam, quæque Dei ineffabile nomen inſcriptum habebat, evelleret. Hinc Reges ac Principes certatim accurrere, ſed inanes voti receſſerunt. Interim Moſes dum per hortum forte obambulat, virgam facile e ſolo extractam ad Reguelem defert. Ille miratus, Zipporam ex pacto uxorem dedit, virga generum donavit, qua ille poſtea ad edenda miracula perpetuo uſus eſt.

Anti-

Antiquatum quidem decretum fuerat, de Hebræorum filiis in profluentem abjiciendis, non tamen ideo melius cum ea gente agebatur. Pharaonem enim lepra corripuerat, ita ut doloribus cruciaretur vehementiſſimis. Cum fruſtra tentaſſet omnia, tandem didicit, puerorum ſanguinem eſſe præſens adverſus lepræ ſævas titillationes remedium. Quapropter quotidie centum pueros ex Hebræis jugulare juſſit, ac in eorum ſanguine corpus abluit. Ætate provectiores inter Hebræos, mancipiorum inſtar, laceri, ſeminudi, compedibus vincti diſcurrebant, & verberibus ad labores adigebantur, quibus ſæpe fuere immortui. Atque hinc Deus Moſi, cum ei in rubo ardente apparuiſſet, dixit, tangi ſe miſeratione, ob mala quæ Hebræi patiantur.

Aſinus, cui Moſes, in Ægyptum profecturus, uxorem liberosque impoſuit, is ipſe erat, quo vectus eſt Abrahamus, cum filium mactaturus, ad montem Morija tenderet. Atque hujus aſini tergum olim quoque Meſſias premet.

Genius quidam malus, Moſen in diverſorio commorantem, correptum, deglutivit a capite usque ad genitalia, & iterum alternis a pedibus, usq; ad genitalia eadem. Intellexit ergo Zippora, omiſſæ in Elieſere recens nato, circumciſionis, rem agi, quamobrem arrepta acuta ſilice, filio præputium amputat. Atque ſemper antiquiſſimis, quæ Abrahamum ſecuta ſunt, temporibus, lapide fiebat pelliculæ reſectio: cum vero David, Goliathi caput, quod totum, ferrea galea impenetrabili munitum erat, e funda ſilice petere vellet, dicebat Angelus qui Lapidum præfecturam gerit, ſocio Angelo, cui Ferri tutela commiſſa, permitte quæſo, ut Davidis ſilex diffindat

galeam, & frontem Goliathi pertundat, concedamque tibi in vicem præmii loco, ut impoſterum aſſidue ferreis cultris fiat circumciſio Judæorum: atque hoc etiam utrinque factum eſt.

Aaron, cum Moſi ex Midianitide reduci, Deo jubente occurriſſet, ac videret Zipporam, filiosque ex ea natos, iniquiſſimo id tulit animo: &, jam, inquiebat, primoribus gentis noſtræ ſatis ſuperque pridem viluimus, anne tu igitur inſuper noſtri contemtum, uxore peregrina, & hibrida prole augebis? His auditis, Moſes, actutum uxori, ut cum liberis ad patrem reverteretur imperat.

Cecrops, ex Ægypto in Atticam profectus, ad *Iliſſum* fluvium *Athenas* condit, quæ urbs inde *Cecropia* dicta, in qua & *Regnum* conſtituit. Ferunt, (quam tamen fabulam in Mythicis ex aliis paulo aliter enarravi) *Neptunum*, cum *Minerva*, de nomine Vrbi imponendo contendiſſe, tandemque inter ambos ita conveniſſe, ut appellationem inderet, qui utilius humano generi munus ediδiſſet. Cumque Neptunus *Equum*, Minerva *Oleam* produxiſſet, victum uno ſuffragio Neptunum, Minervæ ceſſiſſe; quæ, de ſuo nomine Vrbem Athenas vocaverit. Cicero I. de Orat. Athenas prædicat *omnium doctrinarum inventrices, in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt, & perfecta.* Ajunt Cecropem primum inter Gentiles *ſacrificia* ordinaſſe, legibusque ſancitis, ſubjectos, ad civiliorem perduxiſſe vitam. Idem, & *Judicium* prope Athenas inſtituit, in tumulo ſeu colle, quod deinde *Areopagus* dictum eſt, penultima correpta, ceu probat Joh. Baptiſta Ricciolius in Proſodia Reformata. Nec enim, quod e Suida colligitur, πάγος hic [illegible]*gum* aut

vicum

vicum ſignificat, ſed *rupem*, *ſcopulum*, *locumq; excelſum*. Appellationi occaſionem dedit, quod Ἄρης, ſive Mars, eo in loco primus capitis cauſam dixit, judicantibus XII. Diis, de cæde *Halirrhothoii*, Neptuni filii, quem ideo interemerat, quod filiæ ſuæ ex Aglauro, *Alcippæ*, vitium intuliſſet: ubi ſex tantum ſententiis abſolutus eſt, gratia prævalente. Illic deinde judicia de parricidiis magnisque cædibus, ubicunque in Græcia patratis, agebantur. Præfuit Cecrops rebus annis 50. ejusque Succeſſores, quorum XVI. erant, per 487. annos, usque ad *Codrum*, Melanthii filium, poteſtatem adminiſtrarunt. Poſt hunc, nemo Athenis regnavit, quod memoriæ virtutis ejus tributum eſt; ſed *Archontes* perpetui præeſſe cœperunt, a *Medonte* filio Codri, usque ad *Alcmæona*. Dehinc, *Archontes decennales* electi, a *Charope* usq; ad ſeptimum *Eryxiam*. Vlterius annui erant, quorum primus *Creon*. Cum Athenienſes res in Sicilia male geſſiſſent, Vrbe a Lacedæmoniis occupata, XXX. Tyranni eidem impoſiti, a quibus liberata, poſtmodum Macedonibus, dehinc Romanis, inde Græcis Imperatoribus ſubjecta fuit. Exin ſub *Palæologis* peculiares Dominos ſeu Duces nacta eſt, ex *Acciajolorum* gente, donec An. 1455. a Mahomete II. occupata, in Turcarum poteſtatem conceſſit: quibus nuper Veneti eam rurſus extorſerunt.

Diluvium Deucalionis, ad hæc tempora referendum, quod Poëtæ, atque hos inter nominatim Ovidius, cum univerſali illo Noachi confundere ſolent, qua de re in Mythicis actum eſt. Fuit *Deucalion*, Theſſaliæ Rex, Promethei filius, cui Epimetheus patruus, *Pyrrham* filiam connubio junxit.

ASCATADES.

Hujus imperio annos 40. aſſignant.

CONTEMPORANEA.

Moſes & *Aaron*, *Pharaonem*, cui, ceu volunt, *Acencheres* cognomen fuit, conveniunt, una cum primariis popularium ſuorum viris, denunciantque, Iſraëlitarum Deum velle, ut liberum dimittat populum ſuum, ad feſtum ejus Numini in deſerto publicum celebrandum. Ad ea, Pharao, non tantum ſuperbe reſpondit, ſe neutiquam Iſraëlitis diſcedendi poteſtatem facturum, ſed & majore labore onerandos cenſuit, operarum præfectis imperans, ne quod ſtramen, ut fieri ſolebat, conficiendis lateribus porro traderetur, neque tamen quicquam de penſo minueretur quotidiano. Cum vero hinc Iſraëlitis per univerſam Ægyptum ad colligendum gramen disperſis, opus ipſum interea temporis retardaretur, vapulabant illi graviter ab operarum præfectis, unde male omnes Moſi & Aaroni precari cœperunt, quod ſuos prodidiſſent populares, & Pharaoni ac Ægyptiis magis reddidiſſent exoſos.

Ergo Deus diris cladibus, atque ſuppliciis inauditis, quæ quidem interdum *Janes* & *Jambres*, præſtigiatores Ægyptii, eludere conati ſunt, eo Regem & populum Ægyptium vel invitos adegit, ut gentem Iſraeliticam Ægypto excedere compellerent. Plagæ ipſæ, quibus Deus in Pharaonem animadvertit, X. numerantur, notæ ex Sacris Literis, & comprehenſæ memoriæ juvandæ cauſa, vulgo cognitis verſiculis:

Prima rubens Vnda; Ranarum plaga *ſecunda:*
Inde Culex triſtis; *poſt* Muſca nocentior iſtis:

Quinta

Quinta Pecus ſtravit; Anthraces, *ſexta* creavit:
Roſt ſequitur Grando; *poſt* Bruchus dente nefando:
Nona tegit Solem; primam necat *ultima* Prolem.

Imprimis mirandum, omnes has pœnas ita temperaſſe Deum, ut Iſraëlitæ, quamvis mixtim inter Ægyptios habitarent, earum immunes eſſent: quod in aquarum corruptione, & tenebrarum immiſſione, tanto magis ſtupendum.

Graviſſima omnium fuit *plaga poſtrema*, qua primogeniti, aut ſeniores eo tempore omnes, tam hominum, quam animalium, una nocte ab Angelo fuere proſtrati, nullis, niſi Iſraëlitarum domibus, hujus cladis expertibus. Ante hanc calamitatem, mandatum Iſraëlitis a Deo, ut vaſa aurea & argentea, gemmas, monilia, inaures, veſteſque pretioſas, armenta quoque & pecudes mutuo ab Ægyptiis acciperent, nunquam reddituri. Sic enim Ægyptii ſuis maximis divitiis, autore Deo, cujus ſunt omnia, ſpoliati fuere, quod Iſraëlitis, hæc operum, tantorumque laborum merces deberetur. Ipſis quoque Ægyptiis multo præſtabilius videbatur, ut Hebræis abeuntibus, quæ poſcebant, futuri ſuperſtites concederent, quam ut permanentibus, morituri, omnia relinquerent.

Inſtitutum inſuper a Deo, multa cum cura, & circumſtantiis diligentiſſime enarratis, alterum Eccleſiæ Hebraicæ Sacramentum, *Agnus Paſchalis*, plenum myſteriis, & typum Filii ſui, olim mactandi continens. Nimirum imperatum, ut menſem Abib ſive Niſan, qui nobis Martius eſt, Aprilisque pars, primum deinceps haberent Judæi totius anni, ratione ſacrarum & Eccleſiaſticarum rerum: nam, civi-

lium reſpectu, a Tiſri, ſive Septembri menſe, inchoare annum porro licebat. Deinde præceptum, ut Niſanis decimo die, ſingulæ familiæ Iſraëlitarum, agnum, aut hœdum maſculum, integrum, anniculum, ex gregibus eligerent, Deoq; dicarent: dicatum; immolarent decimo quarto die ſub veſperam: immolatum, aſſarent igne toſtum, una cum pedibus capiteque; oſtii prius ſuperliminari, & poſtibus, hyſſopi faſciculo, agni ſanguine tincto, aſperſis. Sic aſſatum, familiæ ſingulæ ſeparatim, cum pane azymo, herbisq; amaris, (acerbæ ſervitutis ſymbolo,) ſuccinctæ veſtibus, calceatæ pedibus, baculo inſtructæ ad iter, ſtantes expeditæ, & quaſi feſtinantes, raptim comedere debebant. Si familia minor, agno comedendo non ſufficeret, aliunde ubi ſupererant, juſtus numerus complendus: oſſa pecudis haud frangenda: ſi quid ſupereſſet cœnæ, una cum adipe comburendum: nihil in craſtinum reponendum; nihil foras efferendum. Peregrinos, niſi præputiis ſuis & ſuorum reſectis, ad cœnam vocare nefas fuit: denique hujus convivii participes, ante auroram ædibus exire prohibebantur. Hic autem ritus *Paſcha* dicendus fuit, id eſt, *Tranſitus*, itemque *Præteritio*. Ea enim nocte tranſiturus erat Angelus per omnem Ægyptum, maximos natu ex liberis, in ſingulis peremturus familiis, nec non in pecudum fœtu, Deos etiam proculcaturus Ægyptios; Agnorum vero ſanguine in Hebræorum ædibus conſpecto, præteriturus, atque illis parſurus ædibus. Neque ſemel tantum hæc peragenda ſacra, ſed annis in Cananitide ſingulis repetenda; quo miraculorum beneficiorumque tantorum, grata perpetuo recoleretur memoria, poſterisque traderetur per manus.

Obſer-

Obſervandum obiter, *multa circa hunc Ritum, eſſe imperata factaq; in Ægypto, quæ poſtea in Cananitide uſu amplius non fuere recepta.* Nec enim illa regione ſubacta, in ſua quisque domo convivabatur, ſed in eadem urbe omnes, ubi Arca Dei collocabatur, immolantibus Agnum Sacerdotibus, in Tabernaculi, vel Templi atrio. Non ſemper decimo die electus atque dicatus eſt Agnus: non poſtes aſperſi ſanguine. Nec calceati, ſuccincti, ſtantes ac feſtinantes, cum baculis amplius edebant Judæi, ſed vel ſedentes, vel recumbentes; quo ſe jam quieſcere ſecuros, non timere, non fugere docerent. Non tota nocte ſe in ædibus continebant, quod primæ noctis periculo tributum eſt.

Amplius conſtituit Deus, *ut maſculi omnes primogeniti, ſibi dedicarentur*, tam ex hominum ſobole, quam pecorum fœtu, immolandi nimirum, aut certo ære, vel alio animale redimendi.

Porro, liberationis ex Ægypto, æternum quoque monumentum eſſe debebat *Feſtum Azymorum*, quod Paſchate perfunctis, ſeptem diebus continuatis annuatim erat celebrandum, a XIV. die primi menſis, ad XXI. usque veſperam. Tanta enim fuit feſtinatio cum Judæi diſcederent, ut tempus deeſſet ad farinam fermentandam. Itaque fermentum per hos feſti dies, ne in ædibus quidem fuit tolerandum. Primus atque ultimus e ſeptem illis diebus, uterque erat ſacer habendus, in quibus nihil operum ſervilium fieri licebat, reliqui etiam ſacrificiis honorandi. Septem vero dies huic dabantur Feſto, quia non ante ſeptimum, Ægyptiorum exercitus ſubmerſus, & Hebræis plena parta libertas.

Cenſa ſunt Iſraëlitarum, ex Ægypto exeuntium, ſexcenta millia, omnes viri, & juſtæ ætatis. Quod ſi fœminæ, infantes, ſervi in numerum referantur, ſumma ad tricies centena millia aſcendere fortaſſe potuit. Cæterum, calumniantur Scriptores quidam profani, *Diodorus Siculus* puta, *Tacitus*, & *Juſtinus*, quaſi ob lepram, aut aliam tabem contagioſam, Judæi Ægypto fuerint exacti. Sed magis eſt Davidem Pſal. CV. 37. audiamus, teſtantem, nullum inter omnes morbo fuiſſe affectum, ſed proſpera omnes uſos eſſe valetudine.

Egreſſum ex Ægypto populum, non recta in Palæſtinam via, ſed per *deſerta, mari Erythræo vicina*, Deus deducere maluit; tum ut eum purgaret prava Ægyptiorum conſuetudine corruptum, tum ne ſi mox occurreret armata gens Palæſtinorum, tranſitu illum prohibitura, ipſe perterritus, itinere facili refugeret in Ægyptum, & ſe in eam redderet ſervitutem, unde tanta vindicatus fuerat opera. Præceſſit autem Deus, Columna quadam nubis, obſcura dum lucebat Sol; per tenebras vero nocturnas, ignea, & prælucente. Nec oblitus eſt Moſes *Joſephi oſſa*, quod jurati promiſerant Iſraelitæ ſe facturos, ex Ægypto ſecum abducere, in tumulo majorum ſepeliendа. Aliorum quoque Fratrum Joſephi cadaverum reliquias, Hebronem a nepotibus deportatas fuiſſe, autor eſt Joſephus.

Cum Hebræos fugere Pharaoni nunciatum eſſet, mox cum delectis copiis, libertatis quam ipſis conceſſerat, pœnitens, eos inſequitur: montibus marique circumcluſos, aut fame conficere, aut ferro, certus, ni propere ſub excuſſum ante jugum redirent. Illis metu trepidis, & cœlum ſuſpectantibus, colu-

columna nubis, quæ hactenus præiverat, poſt principia, ad oram & extremitatem agminum ſe transfert, Hebræos ab Ægyptiis ſeparans, ac his tenebras offundens, illos clara luce beans. Mox quoq; Moſes, a Deo monitus, virga percuſſos maris Erythræi fluctus, ſubito in montes ſtatuminat, viamque Hebræis per fundum ejus imum aperit, quod iter fuit 4. milliarium.

Non animadvertebant hæc fortaſſe Ægyptii, per caliginem; & ſubſequentes in litore, ſentiunt Hebræos impune progreſſos in mare. Rei miraculo attoniti, ſtupebant; ſed quibus Pharao horrorem excuſſit præcipiti audacia, jubens, ut ſua auſpicia ſequantur; nec enim præcluſam eſſe viam dominis, quæ mancipiis pateat. Jam in medium fere mare delati erant, cum ex nube, ſub auroram, Deus intonare cœpit & fulgurare, denſisque imbribus morari properantes currus; quibus rotæ quoque ſimul ablatæ ſunt, ut in via, partim ſaxis aſpera, partim limo & arenis impedita, moveri amplius non poſſent. Quaſi panico igitur terrore incuſſo, conturbati & tumultuantes Ægyptii, de fuga omnes cogitant. Ibi, cum Moſes mare, eadem, qua diductum erat virga, iterum percuſſiſſet, coit illud, magno fragore, & boatu horriſono, reditque ad ſolitos alveos; ac poſtea omnes involvit, ne cladis quidem nuncio ſuperſtite. Si Oroſio fides, extant etiamnum certiſſima horum monumenta geſtorum: tractus nempe curruum, rotarumque orbitæ, non ſolum in litore, ſed etiam in profundo, quousque viſus admittitur.

In litus adverſum jamdudum Iſraëlitæ evaſerant, & extra periculum poſiti, cadavera Ægyptiorum in arenam ejecta contemplantur, quorum arma Joſe-

phus (cæteroqui in hac hiſtoria recenſenda malignior, quaſi ob refluxum maris naturalem, Judæis transeundi facultas data ſit, ſuſpicionem relinquens,) collecta, & viritim diſtributa fuiſſe refert.

Moſes, ob incolumitatem ſuorum, hoſtiumque ſtragem, *Epinicium* Deo Servatori canit, primum eorum Hymnorum, qui plurimi & pulcherrimi in ſacris literis deſcribuntur, omnibusque aliarum gentium Odis vetuſtiorem. Poſtea viæ ſe omnes dant, ac iter cœptum læti perſequuntur. Confecta autem aliquot dierum profectione, Hebræi feſſi & ſiticuloſi aquam requirunt. Ad *fontem* pervenere tandem, ſed amaræ atque inutilis undæ, quem ideo *Maram* appellavere. At, imploratus Deus, Moſi monſtravit *arborem*, cujus immerſo ligno, fontis amaritudinem ſanavit.

Paucis diebus interjectis, *farina*, & *victus*, quem ex Ægypto ſecum Hebræi attulerant, deficere cœpit, & populus rerum omnium penuria laborare. Neque ulla ſpes affulgebat, vel occupandi Cananæam, vel procurandi annonam, quæ ſufficeret multitudini tantæ in deſerto. Sævire igitur omnes, & Moſi atque Aaroni oblatrare fortiter. Hi, cum de injuria apud Deum quererentur, ipſe, ſe veſperi populum carne, mane pane ſaturaturum pollicetur. Dictum, factum. Sub veſperam *Coturnices* advolarunt, & caſtra operuerunt: mane, cum evanuiſſet ros, relictum eſt minutum quid inſtar pruinæ, quo terra eſt undique dealbata. Intuitu rei novæ ſtupentem populum, edocuit Moſes, hunc eſſe *panem*, quem Deus de cœlo daturum promiſerat. Quibusque ergo diebus mane ſinguli colligerent quantum poſſent; non autem pro demenſo accepturos ultra *Gomerum*, (minoris id menſuræ genus, & Ephæ, quæ Sata tria, hoc eſt

ova

ova 432. continebat, pars decima, atque ſic ova 43. cum quinta ovi parte exæquans) in capita; nihil ſeponerent in craſtinum: die tantum ſexto duplicem menſuram eſſe colligendam, & aſſervandam partem; ut ſeptimo, ſacro nempe, quieſcerent. Coquerent ergo, & elixarent, quæ vellent ſexto die, ut ſeptimo eſſet paratus victus: nullam enim foris Mannam, (id nominis edulio cœleſti impoſitum,) eo die inventuros. Obſequebantur plerique Moſis mandato, prout illud acceperant: ſed aliqui, nimis anxii de futuro, aut nimis deſidioſi, ut craſtino labori parcerent, in futuram lucem aliquid recondebant, ſed, quod putidum, vermibus ſcatere cœpit. Aliqui exibant etiam in Sabbatho, Mannam collecturi, verum, impia & inutili opera: nihil enim foris repertum eſt, &, vacuum nudumq; ſolum inanes dimittebat. Quod autem ſexto die ſepoſitum eſt, minime corrumpebatur. Hoc autem cibo veſcebantur Hebræi, annos 40. donec terminos Cananææ attigerunt. Coriandri grano par fuit, colore albicante, ſapor ei velut mellitæ ſimilæ. Humi quotidie, cum fervebat Sol, Manna colliqueſcebat: ſed collecta, induruit, adeo ut mola mortariove conteri, frangique poſſet, coctaque ignem ferret. Juſſit quoque Deus, *aureo vaſe, Mannæ condi Gomerum*, prope ſacram Arcam, quæ fabricanda erat, reponendum, ut poſteri cognoſcerent, quali cibo majores ipſorum in deſerto aluiſſet.

In *Raphidim*, quo Hebræi perrexerant, rurſus eorum murmuratio exorta eſt, ob aquæ inopiam, non ſine Moſis periculo. Ei ergo imperavit Deus, virga illa, qua in Ægypto ad miracula patranda uſus erat, petram quandam in *Horeb*, præſentibus populi Senioribus, percuteret. Id mandatum cum executus

ecutus eſſet Moſes, magna vis aquæ erupit, quam, non Judæi tantum, ſed & aliqui Chriſtianorum, occaſione capta ex Pauli 1. Cor. X. 4. verbis, rivi inſtar aliquandiu Hebræos ſecutam eſſe, aſſeruerunt.

Mox, eodem loco, Deo videlicet populi protervia nonnihil percellere volente, Hebræos *Amalekitæ* incurſant. Adverſus hos autem *Joſua*, Moſis miniſter, populum in prælium eduxit, & dum interim Moſes in monte, extenſis ad cœlum manibus, quas Aaron & Hur ſublevabant, Deum precatur, inſignem victoriam reportat.

Jethro, ſive *Reguel*, de Moſis, generi ſui, ſucceſſu legationis, & Iſraëlitarum liberatione certior factus, filiam, quam cum duobus liberis hactenus domi ſuæ tenuerat, ad illum reducit, eique, & populo, beneficia Dei gratulatus, dato Moſi prudenti & ſalutari, de ſubſtituendis ſibi inferioribus judicibus, conſilio, ad lares revertitur.

Exin, ad *Sinam montem* perventum eſt, atque die a paſchate quinquageſimo, qui erat ſextus Menſis Sivan, Junii noſtri quinto reſpondens, protinus nigreſcere cœpit denſiſſima caligine involutus mons, tellus commovebatur, concutiebatur cœlum, crebra fulgura, coruſcantibus flammis, omnium oculos perſtringebant; aures, tonitruum boatus obtundebant, tubarum acutiſſimis clangoribus accinentibus. Inter hæc, Dei, tubas atque tonitrua exſuperans vox, longe lateque inſonuit, *Moralem Legem, X. præceptis comprehenſam*, promulgans, hac ſententia: *Solus Iſraëlis Deus, pro Deo habendus, nec colendus ſimulacri alicujus figura. Nomine ejus ſancte utendum. Feriæ ipſi ſolemnes agendæ. Genitores honorandi.*

randi. Vitæ proximi cujusq; parcendum. Honeſtas, corporis libidinibus haud temeranda. Nullius hominis opes fortunæq; involandæ. Nemo mendacio lædendus. Poſſeſſiones alterius non appetendæ. Deniq; nec minima cupiditate aut cogitatione quisquam violandus.

Legislatione peracta, populus intolerans terroris, *Mediatorem poſtulavit*, quo intercedente, pleniorem propitiandi Dei modum addiſceret. Itaque, quod ex Deut. XVIII. 19. conſtat, promiſſus eſt alius, ſuo tempore ex Iſraëlitico ſanguine proventurus, quem facile omnes ſuſtinerent. Is *Meſſias* deſignabatur, qui, ut Dei Filius, jam tum populum ducebat, ac cum Moſe in monte colloquebatur.

Tertio, à publicato Decalogo, die, *Moſes, aſſumto Joſuâ miniſtro, in montem aſcendit*, ſtatimque nube, quæ ignita Iſraëlitis videbatur, tectus eſt, ibique jejunus, ſine cibo & potu, XL. dies, totidemque noctes permanſit, ac divina juſſa de cultu Levitico accepit.

Abſente diutule Moſe, flammis conſumtum Ducem Hebræi ſuſpicati, Aaronem compellunt, ut ex ornamentis eorum, magna alacritate detractis & collatis, *Vitulum aureum* formaret, cui homines ſtulti, omnibus quæ viderant audierantque ſusque deque habitis, Ægyptiorum ſuperſtitionem ſecuti, & Apidis ſacra imitati, divinos honores deferunt, feſtumque diem celebrant, magna ſolemnitate.

Hanc ob cauſam, indignatione commotus Deus, Moſen propere deſcendere jubet: qui, cum multis obteſtationibus obtinuiſſet, ne omnes ſtatim celeri ſupplicio perimerentur, regreſſus, populum luxui & ſacrilegio deditum conſpicatus, *duas tabulas*,

qui-

quibus Deus ipſe Decalogum inſcripſerat, manibus tenens, confregit, indignam eſſe gentem teſtatus, cui Lex Divina committeretur.

Poſtridie, cum adhuc de ira Dei ſolicitus eſſet *Moſes*, *iterum aſcendit montem*, & denuo per XL. dies & noctes ſuppliciter Deum deprecatus eſt, ne deleret populum, ut fuerat comminatus. Neq; hoc tantum, ſed & illud a Deo impetravit, ut, quod abnuere propter peccata populi videbatur, denuo promitteret, ſe illos, viſibili ſcilicet illa per Columnam nubis præſentia, in terram promiſſam deducturum.

Dehinc Moſen Deus *duas alias e lapide tabulas conficere jubet*, cui ipſe rurſus, Decem præcepta inſcripſit: Moſi vero, ut enixe petierat, *aſpectabili quadam ſpecie* apparuit; ex quo divini intuitus, & ſermonis commercio, ita fulgere cœpit facies ejus, ut redeuntis ex monte conſpectum, non ferrent Iſraëlitæ, ſed ei velamento vultus opus fuerit, quoties cum aliis colloqueretur.

Secundo, ab egreſſu ex Ægypto anno, *Tentorium ſanctum* inauguratum eſt, ſeu Templum illud portatile, quod mandato & inſtinctu divino, mirabili induſtria & arte, *Beſaleel* de tribu Juda, & *Ahaliab* Danita, collatis in eam rem a populo donariis, efformaverant.

Poſtea, imperante per Moſen ac eligente Deo, Sacerdotes, qui huic templo, & ſacris præeſſent, inſtituti ſunt 4. Aaronis filii, *Nadab Abihu*, *Eleazar*, *Ithamarq;*. His etiam ipſis, ut *Summus Pontifex*, pater præfectus eſt *Aaron*, quos omnes deinde Moſes ante portam Tabernaculi lavit, lotos, veſtimentis induit ſacris, Aaronem vero oleo perfudit ſacro.

Inau-

inauguratus Aaron, Pontificatum ſuum auſpicaturus, ſacrificium propitiatorium pro ſe & populo obtulit, cui poſtea holocauſta & libamina ſucceſſerunt, ac finita eſt ſolemnitas, divinæ approbationis clariſſimo teſtimonio. Ignis enim de cœlo delapſus, holocauſta incendit, magna cum populi lætitia.

Ignis hic, utpote divinus, haberi in poſterum ſacer juſſus eſt; & alendus perpetuo, ſingulis diebus mane Sacerdote aliquo fomitem ſubjiciente: nec alius erat ullo modo in ſacris adhibendus. Hinc fauſta lætaque initia ſacerdotii Aaronici, turbavit luctus inopinatus. *Nadab* enim & *Abibu*, Aaraonis filii, & ſacerdotii conſortes, cum neglecta divina lege, ignem ad ſuffimenta facienda, non ex altari holocauſtorum, ſed aliunde ſumerent, flammis ſubito erumpentibus necati ſunt, non ſecus ac ſi fulmine tacti eſſent. Sunt, qui putant, ipſos vino ingurgitaſſe ſe pluſculum, illico enim poſt hanc cædem Sacerdotum, Lev. X. 8. ab ipſo Deo monetur Aaron, ut ipſe, filiique, ad tabernaculum acceſſuri, abſtineant a vino & inebriante potu, idque, ne moriantur.

Cæterum, Aaronis unica familia, omnium ſacrorum operationi non ſufficiebat, oneri tanto longe impar. Loco igitur primogenitorum hominum, pecorumque, unam ſibi *tribum Leviticam*, & eam longe minimam, cum ſuis pecoribus dedicandam, & donandam Aaroni, popoſcit Deus, ad peragenda inferiora quæque tabernaculi miniſteria, prætulitque Levitas aliis tribubus, quia in ulciſcenda vituli aurei idololatria, fortiſſimos gloriæ Divinæ vindices, trium millium cæde ſe præſtiterant. Erat vero Levitarum paucitas miranda, cenſebantur enim tum

Iſraeli-

Iſraëlitarum, Levitis exceptis, ſexcenties ter mille, quingenti & quinquaginta. In his erant primogeniti 22273. Levitarum numerus 22000. conficiebat, præter primogenitos in eadem tribu trecentos.

Ut hi divini cultus miniſtri, tanto melius officio fungi poſſent, de *Stipendio* iis Deus proſpexit. Atque Levitis quidem, Iſraëlitas rerum omnium, hoc eſt pecorum, fructuum, frugum Decimas dare juſſit. Sacerdotes decimarum decimas a Levitis accipiebant, ab Iſraëlitis vero τὴν ἀπαρχὴν *Ablationem*, quæ תרומה *Truma* Judæis dicitur. Amplius illis cedebant primogeniti fœtus hominum & jumentorum (niſi quod aſinus excipiendus) mundorum, e quibus priores pecunia redimebantur. His accedebant munera quæ vovebantur aut devovebantur, & certæ ſacrificiorum portiones.

Tulit deinde ſupremum Numen de Nazaræis, de Sacrificiis, de luſtrationis in gonorrhoea, menſium profluvio, puerperio, lepra, & tactu cadaverum ritu; de annis diebusque feſtivis, rebus item aliis, *leges multas & varias*. Et ſic poſt conſtituta ea, quæ ad ſuum cultum pertinebant, omnia, ſacra *Nubes*, quæ hactenus Tabernaculum operuerat, obſcura per diem ſpecie, ignea lucidaque per noctem, in altum ſublata eſt, deſeruitque Tabernaculum. Id autem erat certum Iſraëlitis movendi caſtra, & alio proficiſcendi ſignum. Diſceſſum igitur eſt, Nube præcedente, ac, poſt trium dierum iter, in deſerto *Paranis* caſtra poſita ſunt, Nube quieſcente. Queſti tum quidam fuerant ex agmine, de tædio moleſti itineris, ac, non laſſitudine, aut morbo ſed mera contumelia ceſſantes, ægre ſequebantur præeuntes. *Ignem* igitur Deus protinus accendit in ultimis caſtris,

quo

quo abſumti ſunt plurimi. Sed invocante populo Moſen, Moſe Deum, extincta eſt flamma vorax.

Secutus gravior tumultus Iſraëlitarum, *Mannam nauſeantium*, & carnes atque piſces, cucumeres item ac pepones, cepaſque, allium, ac porrum, quibus in Ægypto victitaverant deſiderantium. Hic cum Moſes queſtus eſſet, ſe ſolum tot moleſtiis ferendis non ſufficere, adjunxit ei Deus LXX. *virorum Conſilium*, & hos ſpiritu ſuo, quo etiam Moſen regebat, inſtruxit. Dein delicatis illis, *carnem ſe daturum* promiſit, quam tantopere flagitaſſent, nec uno tantum die, ſed per menſem integrum, donec illam eructarent ejus pertæſi & evomerent. Cum hæc accepiſſet Moſes, homo quidem pius, ſed homo tamen, aliquandiu ſecum ratiocinatus humano more, cum Deo etiam ipſo disceptare tandem auſus eſt, quaſi majora pollicito, quam poſſent fieri. Quærit igitur, unde carnium tanta confici queat copia, quæ ſexcentis virorum millibus in integrum menſem ſufficiat? num armenta omnia & greges jugulaturi ſint, aut oceanus effuſurus immenſam piſcium vim? De avibus non cogitabat, miraculi in deſerto Sinai oblitus. Immiſit vero Deus caſtris Iſraëlitarum *Coturnices*, tanta abundantia, ut duos cubitos æquarent altitudine, omnique populo ad faſtidium usque cibum præberent. Poſt impletam vero præpoſteram & impiam concupiſcentiam, *magna populi ſtrages* eſt ſecuta, ſive flammis abſumti ſunt, ſive inter edendum peſte, quaſi ex crapula, ſuffocati.

Ne vero afflictiſſimo *Moſi*, quid calamitatis deesſet, a *fratre Aarone*, & *ſorore Mirjam*, quos ille amabat tenerrime, conviciis petitur, ſive ob peregrinam uxorem, ſive quod hæc, mariti merita ja-

ſtaret, illi, ſua non minoris æſtimarent. Sed hæc ſuperbia, graviter Deo improbata, & Mirjam Aarone pervicacior, lepra percuſſa, nec niſi Moſis precibus reſtituta fuit.

Hinc promota caſtra, atque in ipſis confiniis Cananææ, tot votis tantisque itineribus & laboribus expetitæ, haud longe a *Cades-Barnea* urbe, poſita ſunt. Inde *Exploratores* miſſi, e ſingulis tribubus ſelecti, præter Levitas, qui nullam erant ſortem habituri. Proficiſcentes inſtruit Moſes, ut regionem diligenter omnem contemplentur, atque animadvertant, num incolæ bellicoſi ac frequentes, an pauci debilesq; ſint, terramne habitent ſalubrem ac munitam urbibus, an ſparſim in villis & tabernaculis degant; ſolumne ſterile an fœcundum ſit paſcuorum, frugum, fructuumque arboreorum. His inſtructi monitis, penetrant, peragrantque Cananæam, ac poſt dies 40. reduces, quæ vidiſſent exponunt, exhibitis etiam fructibus quos ſecum attulerant, malogranatis nimirum, ficubus, & botro uvarum cum palmite, cui geſtando palanga opus erat: unde, feliciſſimam eſſe terram, facile Iſraëlitæ perſpiciebant. Sed reliqui Exploratores, præter *Calebum Jephunnæ filium*, & *Joſuam Nunis*, hunc Ephraimitam, illum e tribu Juda, infamabant regionem, quaſi armis Iſraëlitarum inexpugnabilem. Narrabant enim incolas eſſe proceros & robuſtos; etiam vidiſſe ſe gigantes, quibus cum ipſi collati, inſtar cicadarum viſi fuerint: atque hos tantos talesq; urbibus munitiſſimis ſe tueri: terram ipſam eſſe ejus conditionis, ut mutuis armis, continuisqe bellis conterat ſuos incolas, devoretq;. Fruſtra igitur conari ſe, & nec ſubigi, nec adeo ſuſtineri poſſe, tot ſimul ac tantarum gentium vim

plane

plane inſuperabilem. Sic illi omnia fecerunt majora, quam invenerant. His nunciis perterriti omnes, debilitatique metu, conciderunt animis; etſi Calebus & Joſua, quantum erat in ipſis, reclamant, populum erigentes, & maſcula oratione hortantes, ut promiſſam a Deo hereditatem invaderent & occuparent.

Cum autem eo usque profectus eſſet furor populi, ut de reditu in Ægyptum ſerio cogitarent, Moſes & Aaron in humum ſe projiciebant, deprecantes, ne metuerent diffiderentque tam potenti Deo: ne querelis eum provocarent, ſuasque relinquerent ſpes, jam in meſſe conſtitutas. Quieſcerent modo, & obſequerentur: pugnaturum contra hoſtes eundem, qui Ægyptios profligaverat, Deum optimum maximum. *Fremente populo*, divina gloria repente e Tabernaculo ſe exſerit, Moſemque compellans, una peſte univerſos ſe ſublaturam, ipſum vero, in populum majorem, cui promiſſa ſua exſolvat, redacturam, edicens. At Moſes, ardentiſſimis precibus obteſtabatur Deum, populo remitteret peccatum hoc, quemadmodum & reliqua ab iis, ex quo Ægyptum reliquerunt, commiſſa, condonaverat omnia. Annuit obſecranti Moſi Deus, hac tamen in rebelles dicta ſententia, neminem ex iis, qui ſua in Ægypto atque deſerto viderant prodigia, decies vero jam ſe laceſſiverant, hereditatem promiſſam aditurum, præter Joſuam & Calebum, cæteros, *40. annorum peregrinatione*, (quibus duo jam elapſi connumerandi ſunt,) & morte extra Palæſtinam luituros ſupplicium.

Secuta eſt *clades*, quam Iſraëlitæ ab *Amalekitis*, *& Cananæis*, ſive Amoræis montanis paſſi, in quos,

prohibente Moſe, jam præpoſtera fortitudine, & ſuo arbitratu, arma ſumſerant.

Sic demum, ut Deus juſſerat, inviti & mœrentes; a finibus Palæſtinæ, in deſertum, verſus rubrum mare, ſunt reducti, *montem Seir*, ſive Idumæorum regionem, longo tempore, hoc eſt annis 37. circumeuntes. Interea loci, in eum, qui *Sabbatho lignum collegerat*, capitali ſupplicio eſt animadverſum. *Corachus* quoque Levita, invidia, quantum apparet, ſtimulatus, quod ſacerdotio ſola frueretur Aaraonis familia, cœpit novas machinari res, ac in ſuam conjurationem pellexit *Dathanem*, *Abiramum*, & *Onum*, viros primarios Rubenitarum. Hi, ex primogenito Iſraelis oriundi, haud ſatis æquo animo ferebant, Sacerdotium a ſe, in Leviticam tribum eſſe translatum. Ducenti præterea & quinquaginta, ex præcipuis inter Iſraëlitas, una cum his conſpiravere, palam denunciantes Moſi & Aaroni, nimium eos arrogare ſibi, quod ſacra ſoli facerent: quippe, omnem populi multitudinem ſanctam haberi, & univerſis Deum intereſſe. Non eſſe ergo cur ſupra omnes efferant illi ſe, & ſibi ſolis regiam & ſacerdotalem poteſtatem vindicent.

Juſſerat Moſes, ut non Corachus tantum & Aaron, qui de Pontificatu contendere videbantur, ſed & reliqui 250. cum thuribulis adeſſent, ſuumque ſinguli thus coram Domino, ad portam Tabernaculi, adolerent. Paruere ſic omnes. Sed terra ſubito contremiſcens, & diſſiliens, Corachum, Dathanem, & Abiramum, una cum tentoriis, familiis, facultatibusque omnibus abſorpſit. Filios tantum Corachi, in aliis fortaſſe tentoriis degentes, aut a patre, monente Moſe, diſcedentes, ut a ſcelere paterno immu-

immunes, ita neque pœnæ, Deus participes eſſe voluit, ceu legitur Num. XXVI. 11. Ducenti præterea & quinquaginta ſacrificuli, flamma cœlitus correpti conflagrarunt. *Thuribula* vero, quibus obtulerant thus, eo quod ſacris admota & divinis uſibus dicata erant, ex incendio tolli Deus imperavit, indeque laminas fieri ductiles, quibus obduceretur altare.

Poſtero die, cum iterum in Moſen inſurgeret populus, præſentiſſimo ſupplicio *ſive ignis*, *ſive peſtis*, 14700. ſunt abſumti: reliqui, interventu Aaronis, thuribulum ſacrum inter languentes & mortuos inferentis, fuere ſervati. Singulari dein miraculo, ſuam in conſtituendo ſacerdotio voluntatem, declarare voluit Deus, ne qua eſſet hominibus maleſanis impoſterum occaſio litigandi. *Duodecim enim virgis aridis*, totidem tribuum nominibus notatis, & in ſacrario repoſitis, virga Aaronis, quæ Levitarum nomine ſignata fuerat, una nocte viruit, floruit, & amygdala matura habuit: quam Deus, in adyto, ante Arcam ſacram reponi voluit, æternum, ſacerdotii, Aaroni ejusque poſteris tributi, monumentum.

Vltimo peregrinationis anno ineunte, cum Iſraëlitæ in deſerto *Zin* caſtra poſuiſſent, *mortua eſt Soror Moſis Mirjam*, & nova orta eſt populi murmuratio, ob aquæ defectum: ubi juſſus eſt Moſes cum Aarone petram quandam alloqui, ut aquam emitteret. At hoc non Aaron modo, ſed & Moſes mirari, quid ſibi vellet, nec ſatis Deo fidere, audituram eſſe ſurdam rupem, & mandatis hominum obſecuturam. Rupi deinde non præcipit, quod erat mandatum a Deo, ſed facit virga ſua vim quantam poteſt Moſes, &, veritus, ne uno ictu minus profeciſſet, bis eam fe-

rit. Male hæc res habuit Deum, ac ne Moſes & Aaron in ſe magis impune quam cæteri peccarent, denunciavit, quoniam ſuæ gloriæ, coram populo, diffidentia obſtitiſſent, aliis illum Ducibus terram beatam occupaturum; ipſos vero, una cum prima rebellium Iſraëlitarum generatione, in deſerto eſſe morituros. Peccaverat quidem antehac incredulitate Moſes, indicium faciente Scriptura Num. XI 21.22. ſed peccaverat privatim, nemine præter Deum conſcio: quare minus offecerat gloriæ Divinæ. Publica peccata, quibus læditur Majeſtas ejus, ne in ſuis quidem illum impunita relinquit. Aaron tamen prior obiit, annos natus 123. ſacerdotali prius habitu in filium *Eleazarum*, una cum munere translato: quem populus 30. diebus luxit.

Circa hæc tempora, *Legatio ad Regem Idumæorum* miſſa eſt, pro impetrando tranſitu innoxio per Regnum ejus. Iſraëlitas enim ſerio monuerat Deus, ne quo damno Idumæos afficerent: Edomi enim poſteris eam ſe tradidiſſe terram, Abrahami & Iſaaci gratia, ut, Cananæam promiſerit Iſraëli. At Idumæus, qui noverat tantum hoſpitem difficilius ejici, quam non admitti, daturum ſe per ſuam ditionem tranſitum pernegavit; ac protinus in procinctu ſtetit cum exercitu ingenti. Quoniam vero, ob Dei interdictum, experiri armis non licebat, aliam ingrediuntur viam Iſraëlitæ, & eam quidem, longo circuitu per deſerta difficillimam.

Vicerunt interim quendam Cananæorum Regem *Arad*, cujus victoriæ Num. XXI. 1. & c. XXXIII. 40. mentio habetur. Sed tædio Idumææ circumeundæ, & Mannæ nauſea, rurſus obloquuntur Moſi Iſraëlitæ, quos Deus immiſſis *Serpentibus ignitis*,

tis, igneo ſcilicet & rapidiſſimo veneno graſſantibus, caſtigavit, ut ii, aculeis ardentibus, linguarum venenatarum aculeos retunderent. Agnoſcentibus peccata Iſraëlitis, & deprecante Moſe, reddita ſalus, & erectum ejus ſignum, *æneus ſerpens* in pertica. Ita ſimulata res, veræ vim ſuſtulit; & plus ad ſanitatem oſtentando ſe, valuit ſerpens exanimis, quam vivus pungendo ad perniciem.

Per aliquot deinde manſiones profecti, egregium *Fontem*, magna vi aquarum ſcaturiente, Dei beneficio nacti ſunt, hymno peculiari collaudatum Num. XXI. 18. Eum Principes, una cum Duce, ſcipionibus ſuis elicuerant, ſolo fortaſſe Moſis baculo Deo uti nolente, quoniam is nuper incredulitate non ſatis bene ſe geſſerat.

Tandem ad *terminos* regionis promiſſæ, cis Jordanem ſitæ, ventum eſt, poſtquam prædicti a Deo moleſtiſſimi itineris tempus, pæne exactum erat, omnesq; Seniores Iſraëlitæ diem obierant ſuum. Primæ itaque, ex deſtinatis terris, ditiones *Sichonis & Ogis Amoræorum*, quorum ille in Hesbon, hic in Baſan regnabat, & giganteo corpore ferociebat, occupatæ ſunt, incolis ad internecionem cæſis. Vrbes captæ 60. muris portisque & vectibus communitæ, præter oppida minora, & villas.

Vltima Moſis ſtativa in campeſtribus Moab fuere, ubi *Balak* Rex Moabitarum, cum ſociis Midianitis, (alia erat hæc Midianitarum gens, & ab iis diverſa, inter quos Moſes tot annos verſatus fuerat apud Reguelem,) metu novi populi, ad fines ſuos conſiſtentis, *Bileamum* hariolum, Beoris, vel Beſoris filium, ex Meſopotamia conduxerat, ut magicis carminibus Iſraëlitas devoveret. At Deus, ſingulari providen-

tia, conſilium hoc intervertit, ut Vates ille, apparitionibus terribilibus, imo & aſinæ voce monitus, maledictorum loco, invitus etiam & renitens, populi Hebræi felicitatem, & ipſius Meſſiæ ortum prædixerit. Qua de re, Numerorum capita XXII. XXIII. XXIV. adeunda.

Bileami hujus nequitia, non tantum apparet ex pretii cupiditate, quam etiam perſtringit Petrus, poſteriori epiſtola cap. II. 15. quodque Deum, quo jubente invitus bene loquebatur, vera mentis pietate non colebat: ſed vel maxime ex *ſcelerato conſilio*, quod Moabitis & Midianitis ſuggeſſit. Illius enim ſuaſu, ab his, in caſtra Iſraëlitarum puellæ emiſſæ, & non ſcortationibus tantum, verum etiam turpiſſimi idoli *Baal Peoris* cultu, populus Iſraëliticus eſt infectus. Ob quod ſcelus 23000. hominum, partim divinitus immiſſa lue, partim & ſuppliciis fuere ſublata. Neque vero malo finis fuiſſet, niſi *Phineas*, Eleazari filius, Aaronis nepos, laudabili zelo commotus, principem ex tribu Simeon, *Simri* nomine, cum nobili ſcorto Midianitico *Casbi*, medios haſta transfixiſſet, & ſic Deum egregia hac placaſſet vindicta.

Novus dein populi cenſus actus eſt, a Moſe & Eleazaro Pontifice; eorum nempe, qui illis, quos ante 38. annos ad mortem damnaverat Deus, ſuccreverant, ſupra 20. annos nati. Fuit eorum ſumma 601730. Levitarum vero a ſecundo ætatis menſe 23000. numerabantur.

Jam in eo ſtatu res Iſraelitarum erant, ut Moſes de transmittendo Jordane fluvio, occupandisq; quæ a Deo promiſſæ erant terris, cogitaret, cum ei hic mortem denunciat, inque iſta ſententia, deprecante

licet

licet illo, & terræ promiſſæ adſpectum deſiderante, perſtitit. Petenti ſucceſſorem, non filium, aut agnatum, ſed *Joſuam filium Nun*, Ephraimitam ſubſtituit, in quem mox Moſes poteſtatem ſuam ſolemni translulit abdicatione. Ergo ad obitum, & æternæ beatitudinis vicinam poſſeſſionem totus converſus, primum omnium, monente Deo, *ultionem in Midianitas*, paulo ante mandatam, per delectos 12000. exequitur, a quibus magna iſtorum pars cæſa, & præda ingens reportata eſt. Poſt hæc, *Rubenitis*, *Gadditis*, *& dimidiæ tribui Manaſſitarum*, provinciam, Regibus Amoræorum cis Jordanem ademtam, petentibus promiſit, injuncto tamen adverſus reliquas trans Jordanem gentes, cum cæteris tribubus commilitio.

Poſtremo, cum Moſes graviſſimis exhortationibus, populum ad verum Dei cultum, & obſervantiam Legis commonuiſſet, primariaque legum capita iterum recitaſſet, *Hymnum* quoque, Deo inſpirante, de obſervantia Legis, & pœna transgreſſorum, publice decantaſſet, & tandem populo bene precatus eſſet, cacumen montis Nebo, quod *Piſga* vocatur, e regione Hierichuntis, primæ civitatis ab ulteriore fluvii Jordanis ripa, conſcendit, ibique ei Deus monſtravit, tribuum ſingularum futuras ſedes. Hic loci, jucundiſſimo ſpectaculo, oculis tantum quantum voluit ſatiatis, cœlos deinde contemplaturus & Deum, ſpiritum placide emiſit, corpore exuto, quod ipſe Deus, ſplendido funere, in valle, urbi *Beth-Peori* vicina, ſepelivit, Michaëlis Angeli miniſterio; ita ut ſepulturæ locus, nemini unquam mortalium innotuerit. Id eo conſilio factum opinantur plerique,

ne Iſraëlitis, plus nimio ad impietatem propenſis, a ſepulchro hominis tam divini, ſuperſtitionis vel idololatriæ occaſio præberetur. Eam ob cauſam, inter Michaëlem Archangelum atque Diabolum fuiſſe altercationem ſuper corpore Moſis, Judas Apoſtolus narrat in epiſtola. Ac Oecumenius quidem, prohibuiſſe ait Sathanam, ne ſepeliretur magnifice Moſes, tanquam indignus funere, propter injuſtam Æpyptii hominis cædem. At, multo ſimilius vero eſt, obſtitiſſe Diabolum, ne occultaretur ſepulchrum, ut eo manifeſto, populum ad idololatriam pelliceret.

Enim vero, ſi iis quæ *Georgius Hornius* in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ p. 364. ſeqq. commemorat, fidem adhibemus, repertum tamen denique eſt Moſis ſepulchrum, hac noſtra memoria. Sic enim apud eum legimus: Rem nunc exponam, non minus tradentium multitudine certam, quam ipſo facto & eventu mirabilem. Quippe, noſtro tempore non defuerunt, qui *Sepulchrum Moſis*, quod ipſe Deus abſconderat, repertum fuiſſe traderent, idque hac occaſione. A. cIↃ IↃc LV. menſe Octobri, Maronitæ quidam Paſtores, capras in montibus Nebo & Abarim paſcebant: cumque frequenter obſervarent, quasdam capras duobus tribusque diebus, longius a grege exſpatiari & abeſſe, reduces vero, pilis admodum ſuaviter odoris eſſe, viſum ſcrutari rem tam miram. Ergo, ducibus capris, ad præcipitia immanis profunditatis pervenerunt, intra quæ, vallem brevi circuitu, ſed amœniſſimam, invenerunt, in quam difficillimus, per rupes, terræ motu, ut videbatur, hinc inde convulſas, deſcenſus dabatur. Ibi, reperta cavea ſuaviſſimi odoris, & in ejus medio

ſepul-

ſepulcrum ex vivo ſaxo, literis quibusdam inſcriptum. Ipſi paſtores cum ſtupore egreſſi, late odorem de ſe, ſordidisque cætera veſtimentis, ſpargebant, & rei novitate commoti, *Patriarchæ Maronitarum*, in monte Libano,& Monaſterio S. Mariæ, quod *Kanobeen Kadiſcha Mirjam* vocant, habitanti, nomine *Mataxat*, cuncta quæ viderant, quæ repererant, nunciarunt. Fidem faciebat odor inuſitatæ ſuavitatis. Ergo miſſis eo duobus ſacerdotibus, quos inter *Aben-Vſeph*, doctrina & prudentia excellens, monumentum repererunt, cui literis Hebræis inſcriptum: *Moſes, Servus Domini.* Exhilaratus, tanti, ut videbatur, miraculi magnitudine Patriarcha, Baſſam Damaſci *Morat* precibus ſollicitat, ut ſibi *cuſtodia reperti ſepulcri* committeretur. Sed, *Græci*, & *Franciſcani*, ac denique *Judæi*, ſe iis opponere, ac ipſi inter ſe diſcordes, pecunia & largitionibus in Aula apud *Muftim* & *Viſirium*, certabant, de ſepulcro, ut putabant, *Moſis* reperto. Præcipue Judæi contendebant, *Sepulcrum Moſis ad ſe ſpectare*, & nihil glorioſius inter titulos Imperatoris Turcici fore, quam quod ſit *Dominus* trium ſepulcrorum, *Muhammedis*, Meccæ; *Jeſu Chriſti*, Hieroſolymis; & *Moſis* in monte Nebo. Sed Jeſuitæ, cunctorum conatus, artibus ſuis eluſerunt, ac magnis muneribus impetrarunt, ut *ſepulcrum*, & ipſe *aditus* occluderetur, ac ne cuiquam, *ſub pœna mortis*, ad illud accedere liceret. Ita *Morat* Baſſa, miſſis Sangiako *Jeroſolymæ* & *Saphettæ*, montes obſtrui, ac ſepulcrum claudi juſſit. Ipſi vero *Jeſuitæ*, inita cum *Druſis* conſpiratione, *corpus* Moſis clam auferre ex ſepulcro, & in *Europam* deportare nitebantur, magnam inde Ordini ſuo ſanctitatem, & immenſas opes, haud vane promitten-

mittentes. Jamque ſepulcrum ipſum multo labore aperuerant, cum *vacuum* illud, & ſine ullo corpore aut reliquiis inveniunt. Et, dum inter ſe attoniti muſſitant, dum vel totum ſepulcrum, vel, quia id fieri non poterat ob molem, partes ejus auferre ſecum deliberant, res interea prodita Sanziakis Hieroſolymæ & Saphettæ, qui, cito miſſis ſub Jafer Aga equitibus, in ipſo conatu, Jeſuitas male mulctatos, oppreſſerunt, & ipſum ſepulcrum, ingentibus ſaxis, ut impoſterum inacceſſum foret, obſtruxerunt. Magnæ inde in aula Conſtantinopolitana turbæ, & inter eruditos quæſtiones, quid de hoc ſepulcro Moſis ſtatuendum. Sed, doctus quidam Judæus, *Jecomas ben Gad*, Saphettæ habitans, integro libro de hac materia ſcripto, oſtendit, non Moſis Servi Domini hoc eſſe Sepulcrum, ſed alterius cujusdam Moſis, qui multis poſterior ſeculis fuerit. Atque ita opinio de reperto ſepulcro Moſis, iterum evanuit.

Hactenus Hornius. Enim vero, dictorum iſtorum falſitas, pridem mihi ſuboluit, ita tamen, ut obiter ſuſpicarer, in ſepulchro quod repertum fuiſſe dicitur, non Moſen Prophetam, ſed Moſen Maimonidem forſitan cubaſſe, eamque conjecturam ad Sotam commentans p. 327. perſecutus ſum ſatis verboſe. At, merito repudiavi deinde hanc opinionem, animumque induxi meum, ut crederem, novam fabulam, ad immitationem eorum, quæ de reperta primum ſpecu, e qua deinde Apollo Pythius reſponſa dedit, circumferuntur, quæque ſupra in Mythicis p. 26. recenſui, quendam otio & ingenio abutentem, ad alios fallendos ſic confinxiſſe. Favet huic ſententiæ, quod in Dialogis menſtruis qui Lipſiæ evulgantur, anni hujus 1693. Julio menſe

aſſeri-

aſſeritur, Virum præclarum, omniq; præconio dignum, *Jobum Ludolfum*, de veritate eorum quæ Hornius prodiderat, ſolicitum, a Sephano Petri, Patriarcha Antiocheno quæſiviſſe, ecquomodo ſe res illa habeat, atque ejusmodi reſponſum nuper tuliſſe, quo tota narratio mendacii inſimulatur.

Ad ipſum *Moſen* ut redeamus, erat is 120. annorum ſenex, cum moreretur. Neque tamen, quod ſolet cæteroqui viris ætate provectis evenire, tot curarum & moleſtiarum æſtus, quibus tota vita, velut in undoſo mari jactabatur, corpus ejus debilitarant, aut hebetaverant aciem luminum. Artapanus apud Euſebium lib. 9. Præpar. c. 26. ait fuiſſe ſtatura procerum, ſubrufum colore, cæſarie promiſſa, corpore vultuque pleno majeſtatis. Hanc imaginem, parum referunt pictæ effigies, quam Noribergenſis Vrbis, & noſtræ Academiæ Bibliothecæ repræſentant, & quarum, quæ in priori extat, poſterioris prototypus, inde ex Ægypto usque allata eſſe dicitur. Monſtrant illæ tabulæ, nobis hominem fœdum, ore hiante, coma minuta criſpa, ſima nare, turgidis labris, æthiopi ſimillimum, commodumq;, ſi vivus foret, pueris terrendis. Sed nimirum, ſi verum eſt, quod vulgo traditur, Ægyptios Divam Mariam virginem, atram, Diabolos candidos pingere, Moſes quoque, Prophetarum eximius, haud aliter, quam colore nigricans, & popularis alicujus ſchemate, erat repræſentandus.

Cum Moſis obitu, finem habet hiſtoria eorum, quæ in *Exodo*, *Levitico*, *Numeris*, & *Devteronomio* traduntur. *Exodus* complectitur res 145. circiter annorum. Ea, quam *Leviticus* narrat, Tabernaculi erectio, uno menſe peracta eſt. *Numerorum* liber, annorum prope 39. & *Deuteronomium*, menſium tantum duorum geſta ediſſerunt. Nunc,

Nunc, retro legendo veſtigia, *Judæis rurſus vacivas aures præbeamus.* Illi inquiunt. Excubabant ad fores palatii Regis Pharaonis, *Leones duo*, multorum cæde notiſſimi, quos ideò abſentibus magiſtris accedere nemo audebat. Illi, Bileami conſilio, cum Moſes & Aaron Regem prima vice adire vellent, in ipſos ſolvuntur: ſed virga Moſis deliniti, divinos homines placide exceperunt, catellorum inſtar, qui hero ex agro redeunti, lingua pariter ac cauda blandiuntur.

Cum Aaron, coram Pharaone *virgam* projeciſſet, eaque in ſerpentem mutata eſſet, idem hoc Magi artibus ſuis præſtiterunt, eo tantum diſcrimine, quod Aaronis ſerpens alios devoravit. At Bileam, nihil animo concidens, ex animantium more id factum eſſe interpretatur, quorum plurima mutua cæde vivant. Subjecit itaque: ſi Dei ſpiritus te agit, projice virgam tuam, quæ, ſi lignum maneat, virgasque noſtras, etiam ligna manentes, devoret, tum certe miraculum fatebimur. Dictum, factum. Omnes virgas projecere, quæ ſerpentes factæ ſunt: demum in ligna reverſas, Aaronis virga omnes devoravit. Ab aliis traditum eſt, Aaronis virgam, nihil mutatam, Magorum virgas, ſed in ſerpentes converſas, devoraſſe.

De Virga illa, ſive Baculo, qui in ſerpentem transformatus fuit, notandum, primum hunc tenuiſſe *Jacobum*, atque de eo dixiſſe Gen. XXXII. 10. *Cum Baculo meo ſolum tranſiveram Jordanem.* Baculum iſtum poſtea *Judas* nactus eſt, eumque pignus dedit Thamari Gen. XXXVIII. 18. Hoc Baculo *Moſes* omnia edidit prodigia. Illum Baculum, manibus tenebat *David*, cum Goliathum adoriretur, 1. Sam. XVII. 40. Hoc Baculo, *omnes, poſt Davidem,*

dem, *Judaici Reges*, ad Hieroſolymarum usque deſolationem, pro Sceptro uſi ſunt. Eodem Baculo inſtructus *Meſſias* prodibit.

Cum *aquæ* Ægypti convertendæ eſſent in ſanguinem, Aaron eas percuſſit, non Moſes. Scilicet, haud æquum erat, ut aquæ a Moſe vapularent, quæ, in iis expoſito pepercerant. Eandem ob cauſam, nec *Ranas* Moſes produxit, quarum in aquis eſt commoratio. Simili ratione, a *Pediculis*, ex terræ pulvere formandis, Moſes abſtinuit, quia terra benigna, Ægyptium, quem occiderat, occultavit.

Difficultatem habet, *unde nacti ſint Magi ſuam illam aquam*, quam, Aaronis miraculum imitando, converterunt in ſanguinem, cum Scriptura Ex. VII. expreſſe dicat, omnem aquam, quæ fuit in fluviis, rivis, paludibus & lacubus Ægypti, itemque eam, quæ ligneis aut ſaxeis vaſis continebatur, ab Aarone in ſanguinem fuiſſe immutatam? Dicendum igitur, fodiſſe Magos terram, atque ex puteis novis aquam hauſiſſe, nec enim aqua intra humum diteſcens, formam ſuam amiſerat. Licebit etiam cauſari, aquam, quæ in vaſis ferreis ſervabatur; manſiſſe qualis erat. Atque hinc, nos Judæi, (illorum enim verba recitamus,) Solſtitium, quod vehementer noxium eſt aquis, pecori hominibusq; defendimus, ferro in eas injecto.

Ranæ, ceu Deus comminatus fuerat, implevere omnem Ægyptum, usque ad *terminos ejus*, Ex. VIII. 2. Tum vero patuit qui veri eſſent termini Ægypti. Erant ante id tempus controverſiæ inter Æthiopes & Ægyptios, de finibus regundis, quæ ſic ceſſarunt, ranis arbitrorum vice fungentibus.

Sacer authenticus textus Ex. VIII. 6. teſtatur, Aarone, manu ſuper Ægypti aquas extendente, *Ranam*

ex

ex illis emerſiſſe: Vnam nimirum, ſed ingentem, gravidamque infinitarum minorum. Eam, cum percuſſiſſet Aaron, immenſa ranarum prorupere examina.

Aquæ in ſanguinem converſionem, & *ranarum ex iis evocationem*, imitari poterant Ægyptiorum Magi: nam, aquæ ac ranæ jam erant productæ, tantum mutatio aliqua circa eas res accidit, puta, ut aquæ fierent ſanguinolentæ, & ranæ, undis relictis, in tellurem proſilirent. At *pediculi*, quibus deinde affligebatur Ægyptus, nova fuere creatura, in quos terræ pulvis abiit. Circa hoc igitur Magis aqua hæſit, cum incantaminum vis, minime ad rem novam efformandam ſeſe porrigeret. Ex *aliorum opinione*, ideo pediculos Magi edere non poterant, quia Dæmonibus, in res, hordei grano minores, nulla poteſtas. Rurſus *alii* exiſtimant, ideo Magos pediculos in medium afferre fuiſſe prohibitos, quia ſolum Ægypti ita pediculis obtectum erat, ut non haberent Magi, ubi pedem figerent. Nemo autem Magus, niſi humum calcans, rem miram efficere potis eſt. Altitudine autem cubiti, pediculi terram operuere, & ſimul ac Ægyptii mundas induebant veſtes, illæ momento pediculis opplebantur.

Deus, in Ægyptios, vario *quoque animantium genere*, ceu eſt Ex. VIII. 21. animadvertit, leonibus puta, lupis, urſis, pardis: qui, ædibus clauſis, per feneſtras introibant, & pueros in lectis vorabant. Iſtam ferarum animantium colluviem, ita deinde ſuſtulit Deus, ut non eas necaret, quod circa ranas accidit, ſed in ſylvas & latibula recedere cogeret, ne ſcilicet ex pellibus cadaverum, in Ægyptios quæſtus aliquis & utilitas redundarent.

Juſſit

Juſſit Deus Exod. IX. 8. ut Moſes & Aaron caperent *pugnos plenos favillæ*, eamque jactarent in cœlum, quo ſic *ulcera* in hominibus & jumentis erumperent. Magnum mirum, favillam, quæ, in altum projecta, ſtatim diſſipatur, a Moſe & Aarone ad cœlum usque jactari potuiſſe.

Grando ad preces Moſis ceſſavit, manſitque per annos 41. ſuſpenſa in aëre, ad illam usque diem, qua Joſua conflixit cum XXXI. Regibus, quorum exercitus grandine fuit deletus.

Locuſtarum, quibus Ægyptus puniebatur, molares dentes, erant leonum molaribus perſimiles; unde, quicquid a grandine ſuperfuit, conſumpſerunt. Intercedente Moſe, immiſit Deus ventum occidentalem, qui exportans locuſtas, illas conjecit in mare algoſum, ita ut ne una quidem relinqueretur in tota regione Ægyptiorum. Nempe, etiam illæ, quas Ægyptii muria condiverant, ut iis pro cibo fruerentur, animatæ, e doliis avolabant, ac in mare ſe recipiebant, paulo poſt Ægyptios ibi cruciaturæ. Nulla vero unquam amplius ab eo tempore, ſive locuſta, ſive rana etiam, in Ægyptum reverſa eſt.

Caligo tanta Ægypto incubuit, ut nemo Ægyptiorum ſe erigere poſſet. Iſraëlitæ autem non tantum ibi ubi degebant, ſed & intrantes domos Ægyptiorum, luce fruebantur clariſſima. In illis tenebris, etiam quotquot inter Iſraëlitas ſcelerati erant, a Deo peremti fuere: idque clam factum eſt, ne Ægyptii dicerent, æque Iſraëlitis ac ſibi, tenebras graves fuiſſe.

Colligebant Iſraëlitæ paleam in deſerto, eamque uxores, filii, atque filiæ eorum, cum cæmento calcabant, ut lateres exinde parari poſſent. Erat autem

palea deſerti durior, & vulnerabat eorundem pedes. *Rachel*, neptis Sotelechi, partui vicina, & ipſa, una cum marito, argillam calcabat, atque dum illa operi intenta eſt, prolabitur fœtus ex utero. Suſtulit ergo clamorem: quo, ad cœlum delato, deſcendit *Michaël*, ſumſitque argillam ſanguine conſperſam, ac eam ad Deum detulit. Qui, miſeratione tactus, ſequenti mox nocte, omnes *primogenitos* Angelum exterminatorem perimere juſſit.

Fuit hæc plaga, qua Deus primogenitos percuſſit, ultima. De quorum exitio cum Moſes Pharaonem moneret, ejus dictum Rex riſu proſequutus eſt, in tota Ægypto vix 300. primogenitos reperiri inquiens. Nempe ignorabat, pleroſq; e ſua gente eſſe primogenitos. Etenim in libidinoſo populo, ubi ſpurii pæne omnes, fere quiſq; aut patri ſuo, aut matri erat primogenitus. Adde quod in ea domo, in qua nullus erat primogenitus, maximus natu e medio ſublatus eſt. Nec vel primogenitis mortuis, ulla quies ac liberatio: nam, illos, canes ex ſepulchris protrahebant ac provolvebant in lutum. Etiam imagines ac effigies primogenitorum, uſpiam extantes, deletæ fuerunt. Ipſe quidem Pharao primogenitus erat: ſed ei vivo manere conceſſum, ut paulo poſt, tanto gravius in mari algoſo lueret.

Ob ſtragem illam primogenitorum, quæ in Ægypto edita eſt, &, a qua Judæorum primogeniti immunes fuere, etiamnum inter Judæos, primogeniti, pridie Paſchatos, a mane ad noctem usq; jejunio ſeſe macerant. Neque tantum primogeniti patris, ſed & matris id faciunt, quia plaga omnibus primogenitis communis erat. Pater jejunat nomine parvuli infantis primogeniti; ſi vero pater etiam ſit primogenitus, mater loco parvuli jejunio defungitur.

Quis-

Quisque Judæus, aſinos 90. auro argentoque oneratos, Ægypto exiens, ante ſe agebat. Ea ratio eſt, quare Deus ex omnibus jumentis impuris Exod. XXXIV. 20. *ſolius aſini primogenitum fœtum* ſibi ſacrarit: pullum primogenitum equorum aut camelorum reſpuens. Acceperunt enim aſini, pro labore, hoc pretium.

Iſraëlitæ abituri ex Ægypto, memores *ſacramenti, quod Joſepho, de ſecum tollendis oſſibus ejus, præſtiterant*, in laminam argenteam deſcripſere ineffabile Dei nomen, una cum verbis, *aſcende Bos, aſcende.* Bove enim, Joſephus Geneſ. XLIX. 6. ſignificatur. Hujus vero corpus, ne unquam auferri poſſet, Ægyptii ferreo feretro incluſum, Nilo immerſerant. Laminam dictam, cum Moſes in Nilum abjeciſſet, teſtatus, niſi ſeſe exerat Joſephus, tum Iſraëlitas liberos futuros a jurisjurandi religione; ibi nulla mora interpoſita feretrum aquis innatavit, quod, una cum cæteris, aliorum Jacobi filiorum ſandapilis, abſtulit, ita ut ſingulæ tribus, generis ſui autorem deferrent.

Alii rem ita narrant: Iſraelitæ Ægypto jam egreſſuri, auro & argento quærendo ſtudebant. At Moſi nulla alia cura, quam ut Joſephi feretrum invenire poſſet: jurisjurandi enim religione prohibebantur Iſraëlitæ Ægypto exire, niſi oſſibus ejus ſecum ablatis. Cum tres dies noctesque fruſtra circuiviſſet, tandem, *Saram*, filiam Aſer, feſſus fatigatusque offendit, eique calamitatem ſuam exponit. Illa, Moſen ſequi ſe jubet, Niloque proximum ſtatuens, hoc, inquit, loco, Joſephi feretrum invenies plumbeum, quinque cubitorum, optime undique clauſum, ex Magorum conſilio. Ii enim Regem monuerunt, Judæos ſacramenti religione impeditos, niſi Joſephi

oſſa deferant, nunquam Ægypto egreſſuros. Moſes, ripæ fluminis inſiſtens, Joſephe, Joſephe, exclamat, tute tempus quo filios ſuos Deus liberare paratus eſt, adeſſe non ignoras; cumque nos juramento obſtrictos habeas, da gloriam Deo, nec noſtræ libertati impedimentum affer. Quin aſcende ex aquis, ac profundo emerge. Nulla mora, Joſephi feretrum, undis, cannæ adinſtar innatat: quod Moſes propriis humeris exceptum avexit, cæteris interea Judæis, aurum atque argentum, quod Ægyptiis abſtulerant, deferentibus. Deus factum laudavit, promiſitque Moſi in vicem, ſeſe, illius fato functi, funus curaturum, nulli alii mortalium eventura felicitate.

Ex Ægypto diſcedentes Iſraëlitas, *miſcellanea ingens alienigenarum turba* ſequuta eſt, ſimulque deſertum adiit. Eorum conſilium erat, ſi ultra triduum illud, quo elapſo Moſes Pharaoni (Ex. V. 3.) reverſionem pollicitus fuerat, reditus differretur, ſe Iſraëlitas bello aggreſſuros. Exacto triduo, Moſen circuitus agentem, de conſtitutis diebus præteritis monent, reditum poſtulantes. At ille reſpondet, de Ægyptiis imperaſſe Deum (Ex. XIV. 13.) *non addetis amplius eos videre in perpetuum.* Inde Moſi violatæ fidei objectum ſcelus, belliq; origo, in quo inferiores alienigenæ, magna clade affecti ſunt. Superſtites ad Pharaonem contendunt, populi fugam docent, ut eum perſequatur ſuadent.

Iſraëlitis, mare algoſum tranſituris, factæ ſunt ſemitæ duodecim, ſecundum numerum tribuum, ita ut quæque tribus ſeorſim incederet, utrinque mari, tanquam muro aheneo circumdata. Iis interſtitiis, feneſtræ inerant, ut ſe mutuo poſſent conſpicere.

In

In fundo maris, quod iter præbebat Judæis, Dei juſſu, derepente creverant arbores gravidæ malogranatis, ficubus, & pomis citriis, ut Judæi exinde caperent voluptatem, & infantes plorantes fructibus delinirent.

Et vero, *miraculis omnino X*. beavit Deus Iſraëlitas, mare algoſum transeuntes. 1. Fiſſum eſt mare; idque non algoſo tantum contigit, ſed & omnibus maribus totius hujus univerſi. 2. Aquæ undique cingebant Iſraëlitas, deſuper tanquam fornix, a lateribus muri inſtar: pedibus quoque eorum ſubjectæ fuere. 3. Duræ erant quæ calcabantur aquæ, ne Iſraëlitæ pedes inquinarent. 4. Etiam a latere aquæ contraxerant duritiem. 5. Ægyptii, maris fundum modo totum experti ſunt argillaceum, modo ferventiſſimum; quos effectus, Nubis & Ignis columnæ produxerunt. 6. Aquæ, petras referebant ſibi invicem impoſitas, ut tanto melius obruere & conquaſſare poſſent Ægyptios. 7. In vias XII. patuit mare. 8. Aquæ pellucidæ erant, vitri inſtar, ut Iſraëlitæ ſe mutuo poſſent contueri. 9. Mira quoque dulcedo inerat aquis, hyblæi mellis ſuavitatem exſuperans. 10. Quoties aqua opus erat Iſraëlitis, amiſſa duritie colliqueſcebat.

Ægyptii contra, mare ingreſſi, cum atrociſſimis conflictabantur malis, ac imprimis equis ſuis ita affixi erant, ut inde ſe dimovere poſſent. Sepelivit tamen omnes unda, ut gratia illis referretur, quia Joſepho, in ſepeliendo patre, operam locaverant.

Solus ex omnibus ſalvus evaſit *Pharao*, qui peccata ſua agnovit, & de iis pœnituit. Igitur Michaël & Gabriel, cœleſtis exercitus Duces, Dei mandato, morti obluctantem eripiunt, inque civitatem

Niniven deferunt, ubi is annos quadringentos rebus præfuit.

Manna, quo Deus pavit Iſraëlitas in deſerto, per horas quatuor operiebat terram. Orto Sole, colliqueſcebat, & in aquæ fluenta reſolvebatur. Eam aquam haurientium pecudum & armentorum caro, reddebatur ſapidiſſima, etiam apud vicinas gentes, quæ, cum cauſam ignorarent, mirabantur, unde ſumma iſta carnium dulcedo proveniret. Erat quoq; Manna inſtar Vatis alicujus, & abdita revelabat: quia cuique patrifamilias, pro domeſticorum & familiarum numero, in ſingula capita congiarium a Deo obtingebat. Ergo, ſi, exempli gratia, de ſervo lis eſſet, atque unus Iſraëlitarum, eum a ſe fugiſſe, alter illum pretio ſibi emtum contenderet, tum ſecundum eum judicabatur, cui Mannæ demenſum, ſervo debitum, obvenerat. Vxor cum marito litigans, ſi hunc deſereret, & in paternam domum ſe reciperet, maritum injuriæ illatæ incuſans, verum dicebat, ſi Mannæ ei debita portio ſeſe offerret in ædibus paternis; falſo querebatur, ſi apud maritum. Vidua, quæ tertio a mariti morte menſe, alteri nupſerat, poſt ſemeſtre fœtum edens, dubium relinquebat, ſitne is partus ſeptimeſtris ex poſteriore, an novimeſtris ex priore conjugio. Hic vero judex intercedebat Manna. Nempe, ſi in prioris mariti familia Mannæ portio aliqua abundaret, ad eam pertinebat infans, ſi in poſterioris, non item.

Cum aquæ inopia laboraret populus Iſraëliticus, juſſit Deus, ceu eſt Ex. XVII. ut *Moſes virga ſua rupem percuteret*, quo ſic aquæ inde promanarent, atque ſimul tolleretur Iſraëlitis occaſio, criminandi porro Moſen, quod virga ejus infauſta & male conciliata,

liata, calamitatum tantum, minime vero boni alicujus effectrix ſit. Hæc autem *aquas ebulliens rupes*, aſſidue Judæos, caſtra moventes, per univerſos 40. annos comitabatur.

Amalek, de quo in eod. XVII. Exodi capite hiſtoria habetur, erat Aſtrologicæ ſcientiæ peritiſſimus, atque Iſraëlitas invaſurus, eos e ſuis ſeligebat, de quibus conſtabat, illos iſto anno haudquaquam fato functuros: unde & de Joſua, qui adverſus eos pugnavit, commate 13. tantum legitur, ipſum *fugaſſe Amalek & populum ejus in ore gladii*, minime vero, quod illos profligaverit ad necem. Moſes autem, cum prælium ederetur, ideo tum magis, quam unquam alias, precibus ſe addixit, ut nimirum conſtellationes ſiderum turbaret, quod etiam quoad manus protenſas habebat, factum eſt. Elegerat quoque Amalek pugnæ horam, quæ ſibi ſuisque copiis benignum pollicebatur ſiderum influxum.

Ex Exodi quidem capite XVIII. conſtat, quod *Jethro*, Moſis ſocer, generum hunc ſuum in deſerto convenerit, ſed non apparet, quomodo illum adire potuerit, cum totus exercitus Iſraëlitarum undique nube eſſet obvolutus. Scilicet, tenſo arcu, ſagittam per medias nubes jaculatus eſt, cum appenſa ſcheda, cui inſcripſerat: *Salve Moſes: atque beus tu, ego Jethro ſocer tuus, & uxor tua, liberique tui, te volumus conventum.* Sic lecta ſcheda Moſes illis obviam proceſſit.

Juſſit Deus Ex. XIX. 13. Iſraëlitas aſcendere montem Sinai, ſimul ac *tractim ſonuerit cornu arietis.* Erat hoc cornu, illius arietis pars, quem Abrahamus pro filio mactavit hoſtiam ſuccenturiatam. Neque eſt, ut quis dubium moveat, illum arietem fa-

ctum eſſe holocauſtum. Deus enim in cineres reda-ctum vitæ reddidit, ejusque omnia membra commodo ceſſere ingenti. Videlicet *Oſſa*, fundamentum & baſin præbuere altari. *E Venis*, chordæ paratæ ſunt, quibus erat tenſa Davidica lyra. *Vellus*, in Cingulum ceſſit, quo lumbos præcinxit Elias. *Cornu ſiniſtrum*, minus illud, inflabatur in monte Sinai: *dextro majori*, ſonitus edetur in diebus Meſſiæ.

Petiit ab Aarone populus Iſraëliticus, ceu eſt Ex. XXXII. 1. effingeret ſibi aliquod Numen, viæ ducem loco Moſis. Reſpondebat Aaron, date igitur mihi inaures uxorum veſtrarum, ut inde Numen aliquod conficiam. Credebat autem minime futurum, ut mulieres mundo ſuo, qui cuique chariſſimus eſt, ſe ſpoliarent; atque ſic moram duci poſſe, quoad Moſes reverteretur. Plane & aperte obniti non licebat, cum malum exemplum, quod in *Hurem*, Moſis e ſorore filium, Iſraelitæ ſtatuerant, quique ob recuſatam Numinis effictionem, ſupplicium capite luit, ipſum terreret. Et vero, hoc hercle factum eſt, quod Aaron fuerat ſuſpicatus: nolebant mulieres jacturam pati monilium ſuorum, nec mora, viri, ſuas inaures, quas, Ægyptios & Æthiopes imitati, geſtabant, in medium conferebant. Eas, in faſcem colligatas, Aaron in ignem conjecit. Erat in hoc faſce, lamella divino nomine notata, qua Moſes feretrum Joſephi fecerat natabile, &, quæ cuidam inauris uſum præbuerat. Hæc ipſa, cauſa fuit, ut ex igne *Vitulus* vivus, geſtiens, mugiensque, quemque adeo Samäel malus dæmon ingreſſus fuerat, proſiliret. Quod, cum vidiſſet populus, omnes properabant ad illum religioſe venerandum. Cum iſta ſic contra opinionem accidiſſe Aaron animadverte-

verteret, ut detineret populum, ſuadet cultum Vituli differant, quoad altare exſtruatur, omnino ſperans adfuturum interea temporis Moſen. Illo non comparente, paſſus eſt populum genio ſuo, & idololatriæ obſequi; cogitabat enim ſecum, melius eſt, ut in eam rem conſentiam, levem reatum contracturus; quam ut cædi caput meum exponam, atque occaſio ſim Judæis, committendi ſceleris, nulla unquam pœnitentia diluendi.

Deus tradiderat Moſi *tabulas Decalogo notatas*, ejusdem cum Cœlo materiæ. In his, literæ ſeipſas ſuſtinebant in aëre ſuſpenſæ, easque hinc atque hinc reſpectando, in utraq; pagina legere licebat. Literæ, cum Moſe e monte deſcendente, viderent Judæos alios circa vitulum tripudiantes, alios epulantes, continuo avolabant; id vero quod Moſes ex tabulis manibus tenebat, tam grave redditum eſt, ut ei geſtando amplius non ſufficeret. Erant enim literæ, anima tabularum: cum autem anima corpus deſeruit, illius pondus decuplo majus redditur. Sic prolapſæ, e manibus Moſis, tabulæ, confractæ ſunt.

Eodem capite XXXII. Exodi v. 23. ſeq. legitur, quomodo *Levitæ*, (quorum nemo vitulum coluerat,) in idololatras animadverterint. Nempe, ejus qui ex toto animo ſuo oſculatus fuerat Vitulum, labia, fiebant aurea, atque illum interficiebat tribus Levi, adeo ut caderent ex Iſraële quaſi tria millia virorum. Quidam perhibent, ex potu illo, quo, Vitulum aureum in pulverem redactum, Iſraëlitis Moſes bibendum exhibuit, apud eos, poſterosque illorum, qui vituli cultui maxime fuere dediti, prognatas fuiſſe rubri coloris barbas. Namq; pulverem illum avidius

potando haurientes, & barbas, & menta, & maxillas, ſuperfluo liquore tinxerant.

Cœli ſeptem ſunt, Deus autem agere volebat inter homines, atque ſic protoplaſti eo uſi ſunt familiariter. At, cum comediſſent ex fructu arboris ſcientiæ boni & mali, commigravit Deus, terra deſerta, in cœlum primum, terræ proximum; inde, Abele cæſo, in ſecundum; &, nato Enoſo, cum idololatria invaleſceret, in tertium; porro, ſeculo quod diluvium præceſſit, abiit in quintum; ætate Nimrodi, in ſextum; &, ob Sodomitarum impietatem, in ſeptimum. Enim vero, poſtquam Abrahamus natus eſt, rurſus recepit ſe Deus e ſeptimo cœlo, in ſextum; hinc, Iſaaco in lucem edito, in quintum; ſub Jacobi nativitatem, retroceſſit in quartum; Levi, cauſa fuit, ut in tertium; Kahat, ut in ſecundum; & Amram, ut in primum progrederetur; Moſes, Tabernaculum ædificando, plane terræ illum reſtituit.

Magnum mirum. *Atrium tabernaculi*, quod prout ex Exod. cap. XXVI. colligitur, ultra cubitos 50. non patebat in longitudinem, tamen admiſiſſe virorum ſexcenta millia. Ii omnes viderunt ignem cœlo delapſum cremare ſacrificia; cumque ſe incurvarent, vota concipientes, ne alter alterum exaudiret, quisque quaquaverſus, quatuor ulnarum ſpatio relicto, a ſocio diſtabat.

Vaticiniorum ea erat ratio, ut Deus Prophetæ quid ſignificare volens, vocem ederet in cœlo, atque ut hanc Angelus aliquis deferret ad Prophetam. Sed vero Moſi, Deus ipſe loquebatur, citra Angelum internuncium.

Nadabum & *Abibu*, filios Aaronis, periiſſe legimus Levit. X. ob ignem alienum quo adolebant. Nem-

Nempe, in cujusque nares, fila ignea duo perrumpebant, omne corpus in cinerem & favillas redigentia.

In luſtratione populi, *Levitarum*, ceu ex Num. c. III. fides fit, numerus, erat in reliquarum tribuum comparatione minimus. Cauſa rei, quod Pharao in Ægypto iis pepercit, & otioſis agere permiſit. Quod, ſic Deo diſpenſante factum eſt, ne ſuo miniſterio mancipandi, homini ſervitutem ſervire cogerentur. Iſraëlitas cæteros, laborum aſſiduitas fœcundos reddidit, unde etiam Ex. I. 12. dicitur; *Quantoq; opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant.*

Iſraëlitas, prorſus nubes involvebat; atque hæc quoque cum proficiſcerentur, complanabat montes, exæquabat valles, ac perimebat ingentes ſerpentes, quibus deſerta referta erant.

Percontetur quis, quomodo verum eſſe poſſit, quod Iſraëlitas dixiſſe Num. XI. 5. memoriæ proditum eſt: *Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis:* vix enim credibile evadit, tanta liberalitate Ægyptios erga Judæos uſos eſſe, ut piſces iis nullo pretio ſoluto donaverint ſemper ad ſatietatem. At, tenendum; Deum pro miſericordia ſua erga Iſraëliticam gentem, eo illam in Ægypto affeciſſe beneficio, ut fœminæ aquam haurientes, ſimul urnas & hydrias piſcibus opplerent. Majorem difficultatem habet, quod ibi mox eodem verſu ſequitur, revocaſſe ſibi Iſraëlitas in memoriam, *cucumeres, & pepones, porrumq;, & cepe, & allia*, quibus in Ægypto fuerint gaviſi, & quorum carentiam dolenter tulerint. Atqui conſtat, Mannam cujusq; edulii ſaporem præſtitiſſe, quod quis voto expetebat.

Enim

Enim vero, referebat ſane Manna omnium edulio-rum ſaporem ex cujusque ſententia, ita tamen ut cucumeres, pepones, porrum, cepe, & allia exci-perentur. Ii enim cibi nocent lactantibus, hebe-tant mentem, nec aptam reddunt legis divinæ ſtu-diis; deniq; Venerem ſtimulant. Noluit igitur Deus, ut Mannæ illarum rerum ſapor ineſſet.

Numeror. c. XIII. narratur, qua ratione Mo-ſes XII. ablegarit *Exploratores* in Palæſtinam. Ex his reverſis, VIII. portabant uvæ botrum ope ge-mini vectis, ad eum modum, quem Sotæ Com-mentario p. 707. & ſeq. inſerta icon commonſtrat. Porro unus portabat Ficum ingentem, & alius Ma-logranatum inuſitatæ magnitudinis. *Joſua* & *Caleb* nihil ferebant: quippe non eos latebat, neutiquam in bonum finem, ſocios; fructus quos ceperant, Iſraëlitis oſtenſuros, ſed dicturos; animadvertite: quantum iſti fructus, noſtros vulgares magnitudine antecellunt, tantum & incolæ Palæſtinæ, ſtatura nos excedunt.

Rependit Deus, prout conſuevit, Exploratoribus lingua ſua Palæſtinam infantibus, pœnam talionis. Linguæ enim illorum fuere productæ ad umbilicum usque: atque ex his prorepentes vermes, ingredie-bantur in umbilicum; alii, quos umbilicus egerebat, intra linguas ſe condebant.

Hiſtoria exitii, quod *Korach* & aſſeclæ ejus paſſi ſunt, deſcribitur in Numerorum cap. XVI. atque ibi v. 32. legimus, *terram aperuiſſe os ſuum, & devoraſſe illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum.* Nempe, etiam acus minima, quam quis longo ante tempore, ab iſtis hominibus commodatam acceperat, ſua ſponte ſeſe usque & usque

& usque promovens, petebat commune barathrum. Filii tamen Korachi minime mortui ſunt, ceu dicitur Num. XXVI. 11. Nam Deus, in ipſo illo barathro montem ſe exſerere juſſit, cui inſiſtentes, in infernum cadere prohibebantur.

Quam ob cauſam, & quomodo *Baculus Aaronis effloruerit*, legitur in libri Numerorum c. XVII. ſed miraculi magnitudinem pauci aſſequuntur. Sic vero ſe res habet: Principio flores Amygdalorum protruſit Baculus, eorum pars, relictis poſt ſe Amygdalis, emarcuit ceciditque, pars perpetuo Baculo adhæſit. Dextrum Baculi latus exhibebat Amygdala dulcia, ſiniſtrum amara. Quoties frugi erant Iſraëlitæ, dulcia, ſpecie nitebant eximia, & vernabant, amaris languentibus. Contraria omnia fiebant, quoties probitate deſerta, vitiis ſeſe mancipabant.

In Numerorum capitis XX. principio, narratur *Mirjamis* ſororis Moſis obitus, & ſtatim ſubjicitur, Aquam Judæos defeciſſe. Quippe, *Petra* aquam ſcaturiens, quæ ſemper hactenus in deſerto comitata fuerat Iſraëlitas, tum repente ceſſavit undam evomere, atque aliis, qui ibi erant, ſcopulis ſeſe immiſcuit. Agnovere igitur Iſraëlitæ, hactenus fonte illo, ſolo Mirjamis beneficio & meritis, ſe eſſe gaviſos.

In hac aquæ penuria, ceu eſt ibi v. 8. juſſit Deus, *Moſes & Aaron, Petram, quæ prius aquis exuberaverat, alloquerentur*, pollicens, illam rurſus aquam effuſuram. At quia Moſes veram Petram, quæ ſeſe abdiderat, amplius cognitam non habebat, deceptus, ad aliam pro illa verba fecit, quæ ſurdam ſe præbuit. Interim Moſes, in opinione, hanc genuinam Petram eſſe, perſiſtens, recuſatum obſequium

Baculo

Baculo caſtigare cœpit; ac cujus primum ictum, cum Petra tantum aquam exſtillaſſet, iteravit eundem læto ſucceſſu. Deus enim effecit, ut etiam ex aliena Petra aqua promanaret, ne Iſraëlitæ dicerent, illum uni Petræ eſſe alligatum.

Sororis obitum, haud multo poſt Aaronis e vita diſceſſus excepit. Dedit Deus Moſi in eodem c. XX. v. 25. 26. præceptum: *Tolle Aaronem & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumq; nudaveris patrem veſtibus ſuis, indues Eleazarum filium ejus.* Exequutus eſt mandatum Moſes, fecitq; quod nemo mortalium præſtare poteſt. Quippe, Aaronem primum ſubucula, deinde ordine, cæteris veſtibus, poſtremum extima exuit, ut ea, qua conveniebat ſerie, iſtis Eleazarum indueret.

Cum Moſes relicto poſt ſe, qui diem ſuum obierat, Aarone, cum Eleazaro de monte deſcenderet, ibi fremere omnes Iſraëlitæ, & queri, ipſos Aaronem trucidaſſe, illisque pariter exitium minari. Ad preces igitur Moſis, Deus juſſit Angelos ſandapilam Aaronis in medium aërem devehere, eamque, leſſus funebres cantando, Iſraëlitarum ſubjicere oculis.

Omnis autem (Scripturæ hæc verba ſunt, & quidem poſtrema cap. XX.) *multitudo, videns, occubuiſſe Aaronem, flevit ſuper eo triginta diebus, per cunctas familias ſuas.* Atque ſane habebant flendi cauſam juſtiſſimam. Nam, ſimul ac e vita disceſſerat Aaron, ſubduxit ſe *Nubes* illa, quæ usque huc ipſos obtexerat, udos & nudos Iſraëlitas relinquens. Hæc enim pietatis Aaronicæ erat præmium.

Serpentes, quos Numer. XXI. capite legimus afflixiſſe Iſraëlitas, erant immanes illi ſylveſtres, magnarum trabium craſſitiem exſuperantes, quos Iſraëlitarum

elitarum protectrix atq; obumbratrix Nubes, cætero-qui protriverat. Hos, ad caſtigandum improbum os eorum, quo Mannam, veram ambroſiam, & quæ ideo nihil retrimenti, per alvum excernendum in corporibus relinquebat, fuerant criminati, Deus Iſraëlitis immiſit.

Sequitur de *Oge, Rege Baſanis*, cujus Num. XXXIII. mentio occurrit, pol! mendacium atrox, immane, portentoſiſſimum; quod equidem, ne fides mea laboret, præter morem, præterque inſtitutum meum, nolim meis efferre verbis, ſed dabo propria Judæorum, ex Niddæ cap. 3. & Medraſch, Operi Jalkut fol. 242. col. 3. & 4. inſerta: אבא שאול אומר קובר היתי פעם אחת רצתי אחר צבי ונכנס לי בקולית של מת ורצתי אחריו ג׳ פרסאות וצבי לא הגעתי וקולית לא קלתה כשחזרתי לאחורי אמרו לי של עוג מלך הבשן היה: עוג הוא אליעזר ופרסות רגליו ארבעים מיל פעם אחת גער בו ומיראתו נפל שינו ממנו ונטל אברהם ועשאו מיטת שן והיה ישן שם ויש אומרים כסא עשאו וישב בו כל ימי חייו והלך עוג ובנה ששים עיירות הקטן שבהם היה גובהו שישים מיל ומה היתה אכילתו אלף שוורים וכן מכל חיה:

Subjiciam ipſorummet Judæorum verſionem vernaculam, ex Zenna Renna Paraſcha Chükkat depromtam, quam interdum, ut ipſorum dialectus evaderet magis intelligibilis, vocula aliqua juvi. Abba Schaul ſagt: Ich bin geweſen ein Todtengraber. Einmal bin ich nachgeloffen einen Hirſchen / und hab denſelben fangen wollen / und er hat ſich in ein groſſes Bein von einen todten Menſchen begeben / und ich hab ihn 3. Meilen in den Bein verfolget / und hab ihn nicht können erjagen; und das

groſſ

groſſe Bein iſt noch nicht zu Ende geweſen. Da ich bin wieder hinter ſich gangen / hat man mir geſagt / daß das Bein iſt von Og den König zu Baſan. Etliche unſerer weiſen Rabbinen ſagen: Dieſer Og iſt einer geweſen mit Elieſer den Knecht Abrahams. Der Tritt ſeines Fuſſes iſt groß geweſen 40. Meilen. Einmal hat Abraham den Og ausgeſcholten / da erſchrack er / da fiel ihn ein Zahn aus ſeinem Maul / da nahm Abraham denſelbigen Zahn / und machte daraus ein ſchönes Bett / darinnen zu ſchlaffen; und etliche Rabbinen ſagen: Er machte ſich einen Stul daraus. Und der König Og bauete 60. Städte / die kleinſte war 60. Meilen / und alle Tag hat er gegeſſen 1000. Ochſen / und 1000. Stuck Wildes. Quæ nunc ſuccedunt, non habentur in Jalkut: Und Og iſt herkommen von den Engeln / die da zu Noah Zeiten ſind herab gefallen vom Himmel / und haben auf der Welt Hurerey getrieben. Sed præcedere iſta debebat ex Jalkut: ושתייתו אלף וטיפת זריעתו לו' ליטרא h. e. *Haud minus quotidie bibebat mille amphoris, & ſeminis genitalis guttæ XXXVI. pondo erant.* Dignum hoc giganteum mendacium, quod Adoleſcentes, qui apud nos ritu Academico cornuum deponendorum initiantur, & quos ſemper feſtivus homo, myſtagogus, mendacium edere jubet, ſibi notent.

Bileamum Vatem, de quo Numer. c. XXII. ſeqq. hiſtoria extat, Deus gentilibus conceſſit, ne ipſi objectare olim poſſint in decretorio die: nos quidem, ſi æque ac Iſraëlitæ Prophetis inſtructi fuiſſemus, pravis moribus relictis, ſtuduiſſemus pietati. At vero Bileamus, minime verus Vates erat, cœli tantum

tum motus, & aſtrorum curſus ſpeculabatur, atque ſic perſpectum habebat imminens cuique malum. Cum ergo fatalis hora cujusquam appropinquaſſet, tum diris hominem illum devovebat, atque hinc vulgo creditum eſt, Bileami imprecationes mali cauſam fuiſſe. De benedictionibus, ex oppoſitu, ſimile ferendum judicium. Amplius, ſolet Deus quoquo die per momentum unicum iraſci, id momentum quale eſſet, cognitum habebat Bileamus, atque tum infauſtas ſuas voces jactabat, pondus utiq; habituras. Vox quoq; Bileamo, fuit tanta, ut ore emiſſa, per milliaria 70. exaudiretur. Etſi autem aſtris non ſubjacent Judæi, atque ſic Bileamus cantaminibus iis nocere non poterat, noluit tamen Deus, ut Bileamus ullo modo Iſraëlitas exſecraretur. Quia enim futurum erat, ut multi Judæorum ob peccata mortem oppeterent, prohibebat hac ratione, ne crederent Gentiles, iſtos infelices, ob Bileami devotiones manſiſſe exitium.

Bileami, qua vectus eſt, *Aſina*, quæq; verba cum eo miſcuit, ſtatim ab Orbis primordio creata fuit, eamq; ita adamavit herus, ut ſemper in lecto propter dormiret. Cum officio ſermocinationis defuncta eſſet, diem obiit, ac ſepulta fuit, ne poſteritas divino cultu illam proſequeretur. Tenet tamen, (quis enim contra putet?) corii ex ea laciniam non modicam, Noribergæ, Amicus & Cognatus noſter *Leonhartus Stöberlinus*, integerrimus, & vernaculis Muſis carus Vir, in πιχνοφύῳ nec defuere, etiam ex catis hominibus, qui eam illi inviderent. Cæterum, quam vanus Vates fuerit Bileamus, inde datur colligere, quod ipſe ſibi mederi non potuit. Optaverat ſerio, quod eſt Num. XXIII. 10. Iſraëlitas intuens: *Moria-*

tur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia. Sed voti minime damnatus eſt, ac, non ſua morte illum periiſſe, ex Num. XXXI. 8. Joſ. XIII. 22. neminem latet.

Suaſu Bileami, *puellæ Midianiticæ* Iſraëlitis lenocinabantur. Vocabant enim illos ad ſeſe, atque verbis blandis, nolite, inquiebant, nos averſari: eſt inter nos arcta cognatio: habemus enim utrique eundem progenitorem Tharam Abrahami parentem, epulemur ergo una, & indulgeamus genio. Ibi tum Cerere & Libero præſentibus, calebat Venus, atque ſolicitante Judæo Midianitidem ut ſecum conſueſceret, dicebat illa, tu quoque prius morem mihi gere, & oſculare hanc Peoris imagunculam, ac alvum coram ea exonera. Nihil tergiverſati Judæi, annuebant, ignari, tantum nefas eſſe ſimulacro oſculum figere, atque illius Deaſtri verum propriumq; cultum in eo conſiſtere, ut homines nudas nates ei obvertant, & pulvinaria ejus concacent: quippe, præcipue ano obſtipo mederi credebatur.

Phineas, Elieſeris filius, Aaronis nepos, Iſraëlitam quendam, cui *Simri* nomen, cum *Casbi* Midianitide amori indulgentem, haſta transfodit, prout prolixe Num. XXV. deſcribitur. In hoc facto licet obſervare congeriem miraculorum. Primum eſt, quod illi impuri cum Phineam adventantem viderent, non continuo ſeſe, ceu in ejusmodi caſu fieri ſolet, ab invicem ſepararunt; angelus enim corpora reddidit individua. 2. Quod minime clamarunt, ora nimirum eorum obturante angelo. 3. Quod haſtæ cuſpis utrorumque naturalia ipſa transfixit. 4. Quod ferrum haſtæ valde productum fuit, ut per utrumq; corpus agi poſſet. 5. Quod Deus Phineæ robur ſuffecit

ut

ut ambo corpora haſta in altum ſuſtolleret. 6. Quod haſta non fuit fracta ob corporum gravitatem. 7. Quod ambo corpora aër ſuſtinuit, nec dilapſa ſunt ex haſta. 8. Quod nullus e vulneribus promanavit ſanguis, ne Phineas ſacerdos inquinaretur. 10. Quod ambo vivi permanſere, ne vel ex contactu cadaverum Sacerdos contraheret immunditiem. 11. Quod Angelus portas conclavis in quibus improbi ſcortantes fuerant deprehenſi, altiores fecit, ut Phineas cum haſta erecta egredi poſſet. 12. Quod tribus Simeon, quæ jam ultionem meditabatur, plaga fuit percuſſa, ut deſtinata perſequi minime liceret.

In capitis XXXI. Numer. principio ſcriptum eſt, *Deum juſſiſſe, ut ipſe Moſes de Midianitis vindictam ſumeret.* At, ſequitur deinde, Moſen hoc negotium ſubterfugiſſe, idque transtuliſſe in Phineam. Nimirum Moſes ajebat, complures annos hoſpes exegi in terra Midianitarum, nec ulla ab iis affectus ſum injuria: nolim igitur malam rependere gratiam. Secundum alios, ſic Phineam Moſes alloquutus eſt: Heus Phinea, ſcis Midianitas vendidiſſe Joſephum, (ad quem tu maternum genus refers) in Ægyptum; abi igitur, & de illo ſcelere pœnas ſume.

In eodem capite, verſu 17. 18. imperat Deus, interficerent Iſraëlitæ, ex Midianitis, *quicquid eſt generis maſculini, etiam in parvulis, & mulieres quæ noverunt viros in coitu jugularent: puellas autem & omnes fœminas virgines ſibi reſervarent.* Merito hæreat quis circa iſta, & quærat, quomodo virgines illibatas Iſraëlitæ dignoſcere potuerint a defloratis? Nimirum, innuptæ, verenda nudæ, dolio vini pleno, & orificium apertum habenti, imponebantur, atque

tum os earum quæ vitium paſſæ erant, temetum olebat, cæterarum minime.

Cum *Moſi fatalis hora immineret*, tres Angeli, *Michaël*, *Gabriel* & *Zinghiel* cum Deo deſcenderunt. Gabriel feretrum curavit, Michaël & Zinghiel emortualibus veſtibus Moſen induebant. Tum Deus Moſen ambas pectori manus imponere, ac oculos claudere juſſit, ſic animam affatus: Filia, centum & viginti annos tibi conſtitui, quos in Juſti hujus corpore compleres: egredere nunc ſine mora. Tum illa reſpondens, ſcio, ait, Domine, te eſſe Deum ſpirituum, in cujus poteſtate ſunt omnium viventium animæ. Tu me creaſti; tu me in Juſti hujus corpore eſſe voluiſti: quodnam adeo mundum, adeo purum & Moſaico ſimile reperiri poteſt? muſcæ ſuper illud nunquam viſæ; ac licet ex carne & ſangine compoſitus eſſet, tamen ex quo illi in rubo apparuiſti, uxoris conſuetudine frui noluit; itaque in eo ſupereſſe gaudeo. Subjecit Deus: Filia, nihil morare. Ego te in throno gloriæ meæ, proximam Seraphinis, Ophaninis, Angelis ac Cherubinis collocabo: atque ſic oris oſculo animam abſtulit.

Actutum cum Moſes mortuus eſſet, *Manna* apud Judæos defecit, qua, illius merito, per annos 40. victitaverant.

Objecerat aliquando, ceu eſt in Sanhedrin, quidam τῶν ἔξω, Judæo homini: Cum Deus veſter curando Moſis funus ſeſe polluerit, qua, quæſo, re iterum ſe mundavit? utique omnes totius orbis undæ non ſufficiunt illi luſtrando. Nihil hæſitans Judæus, reſpondit: luſtravit ſeſe igne, nam ſic Eſ. LXVI. 15. dicitur: *Ecce Dominus in igne veniet.*

Moſis

Moſis Sepulchrum ideo ereptum fuit notitiæ mortalium, quia jam tum in fatis erat olim ſequutura Domus Sanctuarii deſolatio, & Judæorum exilium. Ne igitur ingruente illa calamitate, hi ad ſepulchrum Moſis confugerent, atque ipſum apud Deum deprecatorem pararent, ac is etiam interceſſoris munere fungeretur, & decreta divina irrita redderet, neceſſe fuit illos aditu monumenti prohibere.

Nimis diu nos detinuere Judæi, itaque pauca tantum, e multis, quæ Muhammedes de Moſe *Alcorano* ſuo inſeruit, & quorum partem Judæi ſuggeſſere, ſtrictim attingam. Hunc ergo ſi audimus, non Bileam tantum, ſed & Haman inter Pharaonis fuit conſiliarios, eique autor erat Judæorum tollendorum. Moſen, a domeſticis Pharaonis ex aquis extractum, Conjux Regia ſervavit, fœmina pia, & quæ identidem Deum precabatur, domicilium ſibi in Paradiſo parare, ſeque a Pharaone, pravisque moribus ejus liberare dignaretur. Puer Ægyptiacis fœminis lactandus datus, reſiluit ab earum contactu. Cum Moſes jam vir factus, in deſerto rubum ardentem conſpicatus eſſet, ait ſuis: oportet videam qualis iſte ſit ignis, afferamq; vobis aliquas ejus ſcintillas, ut incaleſcatis. Coram Pharaone miracula edentis baculus, voravit baculos Magorum Ægyptiorum. Omni exercitu Pharaonis in mari rubro pereunte, ipſe, nuncius cladis evaſit, ac poſtea veri Dei cultor fuit. Cum aqua Iſraëlitas deficeret, Moſes petram percuſſit, effecitq; ut ex illa 12. fontes promanarent, & proprius cuique tribui obtingeret. Deus Legem ſuam promulgaturus, montem ingentem ſuſtulit, comminatus ſe illo Iſraëlitas obruiturum, niſi morem ſe præceptis gerere velle ſpondeant. Kore autor ſeditio-

nis, opibus mire abundabat, ita ut clavibus ciſtarum, quibus illæ conditæ erant, geſtandis, bajulis multis opus eſſet. Ob divitias ergo immenſas, reliquos præ ſe contemnebat.

Apud Ægyptios Moſis σύγχρονος fuiſſe creditur *Hermes Trismegiſtus*. Hunc Jamblichus lib. de Myſter. Ægypt. literas repeniſſe, & multa millia librorum conſcripſiſſe memorat. Euſebius l. 1. de Præparat. Evangel. cap. 7. citat ejus *librum de origine mundi*. Doctrinam ſuam, ne inundatione Nili periret, columnis inſcripſit, quas ſuo tempore adhuc extitiſſe, Proclus in Platonem refert. Cum in Ægypto, ſacrum quoddam animal Sarapidi dicatum, quoquo die duodecies urinam pari ſemper temporis intervallo facere obſervaſſet, per XII. *horas* diem dividi debere conjecit. Spagirici & Chymici hunc anteſignanum laudant, creduntq; eum non tantum metalla transmutare, & univerſalem medicinam ex vegetabilibus præparare potuiſſe, ſed etiam Tabulam Smaragdinam reliquiſſe, cui omnis iſta arcana ars fuerit inſcripta.

Ipſa adeo verba Tabulæ, tenere ſe confidunt, & circa ea ſe fatigant, quæ hæc ſunt apud Salmuthum ad Pancirolli noviter reperta tit. 7. ex Dornæo: *Verum ſine mendacio, certum & veriſſimum. Quod eſt inferius, eſt, ſicut quod eſt ſuperius. Et quod eſt ſuperius, eſt ſicut inferius, ad perpetranda miracula rei unius. Et, ſicut omnes res fuerunt ab uno, mediatione unius; ſic omnes res natæ ab hac una re adaptatiotione. Pater ejus eſt Sol; Mater ejus Luna, Portavit illud Ventus in ventre ſuo. Nutrix ejus Terra eſt. Pater omnis Theoleſmi totius mundi eſt hic. Vis ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, ſubtile a ſpiſſo ſuaviter cum magno inge-*

ingenio. Aſcendit a terra in cœlum, itemq; deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum & inferiorum. Sic habebis gloriam totius Mundi: ideoq; fugiet abs te omnis obſcuritas. Hæc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis: quia vincit omnem rem ſubtilem, omnemq; ſolidam penetrabit. Sic Mundus creatus eſt. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus eſt hic. Itaq; vocatus ſum Hermes Triſmegiſtus, habens tres partes Philoſophiæ totius mundi. Completum eſt quod dixi de operatione Solis. Eruditiores, quæ ſub nomine Hermetis Triſmegiſti circumferuntur, pro nothis & confictis habent omnia.

AMYNTES.

De Amynte præter 45. quibus rebus præfuit, annos, nihil proditum eſt.

CONTEMPORANEA.

Moſe mortuo, JOSVA, ex tribu Ephraim, Nunis filius, pridem huic rei deſignatus, apud Iſraëlitas poteſtatem adminiſtrare cœpit: cui id imprimis negotii datum eſt, ut illos in terram promiſſam deduceret. Is, ne tantam expeditionem temere aggrederetur, *duos exploratores* præmiſit, qui diſpicerent, liberne tranſitus pateret, &, num Hierichuntini ſecuri eſſent, an ad arma parati. Exploratores, *Hierichuntem* adeuntes, clam apud *Rachabam* meretricem divertunt. Ea, in urbis obſcuro quodam receſſu habitabat, ac paries exterior domus, erat in ipſo urbis muro, procul a foro & celebritate publica, ceu ſolent meretrices, angiportus, & loca ſolitaria plurimum incolere.

Rachaba Exploratores occuluit, iique de regionis ſtatu edocti, poſtquam jurejurando, illi, & cogna-

tioni ejus, incolumitatem polliciti fuerant, ad Joſuam revertuntur, ipſumque de omnibus certiorem faciunt.

Joſua, *Jordanem* fluvium, plenis undique ripis ſtagnantem, cum navigia deeſſent, ſingulari providentia a Deo ſiccatum, non procul ab *Adama* civitate, cum univerſo populo tranſit. Præferebatur Arca ſacra a Sacerdotibus, & in medio alveo conſiſtebat. In hujus miraculi memoriam, quod magnum Duci honorem, inſignem vero terrorem incolis Palæſtinæ peperit, Joſua, *XII. lapides*, ex medio alveo, a totidem viris tolli, & in altera Jordanis ripa ſtatui, alios totidem in ipſo fluminis fundo erigi juſſit, eo ipſo loco, ubi qui portabant Arcam, transeunte populo conſtiterant. Quos, ut pleno flumine aquis obrutos latuiſſe, ita, ſi quando minuebatur fluvius, interdum apparuiſſe veriſimile eſt, præſertim, quia hoc monumentum non procul videtur abfuiſſe a ripa.

Sacerdotes cum Arca ſimul ac terram conſcenderunt, fluvius continuo, more quo ſolebat, aquis præcipitantibus, implevit ſuum alveum, & exundavit.

Præiverant *Rubenitarum*, *Gaditarum*, *Manaſſidarumq;* millia militum 40. Pauci quidem pro numero tot tribuum. Sed, majorem ab iis exercitum credibile eſt non poſtulaviſſe Moſen, ne regionem nuper occupatam armis, & imbellem turbam, cum pecude ſupellectileque, multis gentibus infeſtis circumdatam, ſine præſidio nudam relinquerent.

Magnam vero Joſua hoc prodigio ſui autoritatem apud Iſraëlitas, pavorem apud Cananæos concitavit, ita, ut priusquam confligerent, jam proſtrati viderentur.

Deus

Deus Iſraëlitis traditurus jam erat Palæſtinæ hereditatem, majoribus eorum ex fœdere ante annos promiſſam quadringentos. At, ſignum ejus fœderis *Circumciſio*, atque pignus gratiæ deerat. Per annos enim 40. quibus vagati ſunt in deſerto, nemo circumciſus fuiſſe videtur. Juvat credere, indulgentiam hanc exercuiſſe Deum per Moſen, erga tenerum fœtum, ne, quia aſſidue in procinctu ſtabant, incerti quando eſſet migrandum, eos forte, quibus recens ablata erant præputia, itineris ſubitæ agitatio, in ſummos cruciatus, atque mortem conjiceret. Quamobrem, ne homines profani, terra fruerentur non niſi fœderatis & circumciſis promiſſa, Joſuæ Deus imperavit, cultros acutos pararet, præputiaque amputaret populo: quod mox in Colle factum; qui *Præputiorum* inde *collis* appellatus eſt.

Vna cum primo ſacramento fœderis, Circumciſione, alterum quoque *Paſchatis* renovatum eſt, legitimo die. Mox, triticum aſſecuti, ex terræ ejus beatæ frugibus, quod toti Iſraëlitarum multitudini ſufficeret, ad communem aliis gentibus rediere victus rationem; ſubitoque *Manna defecit*, quo prius pane, cum alius non ſuppeteret, per annos 40. victitarant.

Joſua, divina apparitione monitus, *Hierichuntem*, urbem florentiſſimam, & præſidio Palæſtinorum firmatam, nullo labore exercitus, ſed muris divino miraculo collapſis, cepit, quos per ſeptem dies, tubis clangentibus circumierat populus. Ipſa Vrbs, Deo ſacrata eſt, unde fiebat, ut ſecundum legem Deut. XIII, 16. a fundamentis deleretur, homines & pecudes necarentur, aurum & argentum in ſacrarium referretur. Servata eſt in hoc excidio *Rachaba*,

cum

cum parentibus, & omnibus cognatis, prout exploratores ei polliciti fuerant. Quam deinde *Salmoni*, Judaicæ tribus Principi nupſiſſe, Matthæus c. I. v. 5. ignorare nos non patitur.

Magno deinde Ducis, & populi luctu, ab incolis oppidi *Hai*, viri 36. cæſi ſunt, irato Deo, quod contra præceptum Joſuæ, aliquid ex præda Hierichuntina eſſet ſurreptum. Ejus criminis, luſtrato per ſortes toto exercitu, reus factus *Achan*, ex tribu Juda, cum omnibus ſuis ſupplicio affectus eſt. Mirum fortaſſe videatur, filios & filias, qui extra culpam erant, capite quoque luiſſe parentis cauſa, id quod Deus a nobis fieri Deut. XXIV. 16. prohibet, & ipſe, Ezech. XVIII. 2. 3. ſe facturum negat. Sed, profuit Iſraëlitis ad terrorem, in ſcelere tam nefario, non filios pro parentibus, ſed parentes in filiis puniri: prout Chamus contumeliam in patrem, in filio luit Canaane. Potuit illis etiam prodeſſe mors ad medicinam. Atque, utut iſta ſe habent, debet pio homini id ſufficere, judicia Dei ſæpe occulta eſſe nobis, injuſta eſſe non poſſe. Amplius illud quoque ſcrupulum movet hoc loco, quo jure unius hominis crimen, & quidem clandeſtinum, in totum populum tranſcribatur, ejusdemque pœnam plures etiam inſontes luant? Reſpondent vulgo, non eſſe novum, ut in totum corpus redundet unius membri vitium; &, quia ſæpe contingit etiam non malis, connivendo aliorum alere peccata, ideo merito partem culpæ rejici in eos omnes, quos diſſimulatio, ſocietate implicat. Hac ratione Paulus Corinthiis omnibus exprobrat privatum unius hominis flagitium, & in eorum faſtum invehitur, quod

tanta ignominia fœdati, etiam gloriari ſuſtineant.

Poſt expiatam noxam, urbs *Hai* aſtu militari ex inſidiis capta, & ad exemplum Hierichuntis everſa eſt: niſi quod jumenta, ipſo Deo ita ordinante, in prædam ceſſerunt. Rex etiam loci vivus captus, & ſuſpendio necatus eſt.

Vicini erant huic Vrbi, *Ebal*, & *Garizim* montes. Recordatus ergo Joſua, ejus quod Deut. XXVII. mandaverat Moſes, in Ebalem aſcendit, ſtructoque altari ex integris rudibusque ſaxis, holocauſta obtulit, & ſacra euchariſtica. In lapidibus etiam grandibus, calce illitis, Legis perſcripſit ſummam; denique in montibus Ebal & Garizim, benedictionum & maledictionum ſolemnis facta promulgatio.

Sequutum cum *Gabaonitis fœdus*, qui, e longinquis regionibus ſe veniſſe ſimulantes, pacem petebant & impetrabant, non ſine temeritate Ducis & Primorum populi, quod negligerent Deum in re ardua conſulere. Servata tamen Gabaonitis vita, quæ jurato fuerat promiſſa, & merito quidem, quia illi ſine dubio ad veram religionem acceſſere, & ſic cauſa exſtirpationis Deut. XX. 18. expreſſa, in iis ceſſabat. Propter fraudem tamen ſervituti eatenus ſunt addicti, ut ad ſacros uſus ligna cædere, & aquam portare cogerentur. Profuit quoque aliter Iſraëlitis hæc pactio, quia ſic in hac regione pacatum iter, amicas urbes & hoſpitales, liberumque commeatum reperiebant.

At vero *Gabaonitis*, apud vicinos ſummam invidiam conflaverat hoc fœdus. Quid enim aliud erat cum hoſtibus publicis paciſci, quam facere diſceſſionem a finitimis gentibus, aperire januam Iſraëlitis, &

vires

vires ſociorum imminuere? Territus ergo *Adonizedecus*, Hieroſolymorum Rex, tot de felicitate ac ſævitia ſimul Hebræorum & fœdere Gibeonitarum nunciis, his quidem poſtremis bellum inferre ſtatuit, quod deficiendo ad hoſtes, patriam, & cauſam publicam prodidiſſent: adſcivitque quatuor alios Reges ex eodem genere Amoræos, in belli ſocietatem. Oppugnati a tot ſimul Regibus Gibeonitæ, longeque inferiores viribus, ad Joſuæ & Iſraëlitarum fidem confugiunt. Annuit Deus, atque animavit Joſuam ad hanc militiam. Tota igitur nocte properavit cum exercitu, & repente hoſtes non opinantes repreſſit. Interim e cœlo Deus grandinem in hoſtes pluit, tantis lapidibus, ut iis plures interemti ſint, quam vi, atque armis militum. *Ad occaſum inclinabat Sol*, & proſpiciebat fore Joſua, ut plena victoria non potiretur, ſed effuſi jam in fugam Reges, e manibus ſuis per tenebras elaberentur. Quin, nec opportunum videbatur, in ignota regione receptui canere, & revocare ſuos Gibeonem. Poſt fuſas igitur ſine dubio ad Deum preces, audacius quam pro humana conditione, imperavit Soli, ut conſiſteret in Gibeone, Lunæque, ut ſtaret in Ajalonis valle. Ita, ſtupente mundo, conſtitere ſidera in cœlo, & jamjam occaſurus Sol, moratus eſt die integro. Reges quinque, cum fuga evadere ſe poſſe diffiderent, in ſpeluncam abdiderunt ſeſe in *Makeda*. Id erat urbis nomen. Quod, cum eſſet Joſuæ nunciatum, ſaxis ingentibus obſtrui ſpeluncam juſſit, & præſidium adhiberi, dum reliqui milites hoſtes perſequebantur. Strage edita, cum reverſus eſſet populus, producti ſunt e ſpelunca Reges, quorum colla, ut ſuos animaret, Joſua, Præfectos militum pedibus

cal-

calcare juſſit. Suſpenſi deinde in patibulis usque ad veſperam, & in ſpeluncam projecti ſunt, cujus os ſaxis ingentibus fuit obturatum.

Variæ poſt hæc urbes captæ, earumq; cives ad internecionem deleti; & jam deficiente Manna, Iſraëlitæ terram a ſe ſubactam colere, ac frumentum ſerere cœperant.

Partem ſic fere Auſtralem in ſuam redegerant poteſtatem Iſraëlitæ: ſubigenda & Borealis fuit. *Jabin*, Hazoris Rex, in eo tractu terrarum longe lateq; dominabatur, ſubditosque ſibi habuit Regulos complurimos. Is fama terroreque tot victoriarum excitus, ultro bellum intulit Iſraëlitis, magnis copjis collectis, quibus equi etiam & currus, quos nondum periclitati erant Iſraëlitæ, inerant. Contra hunc progreſſus Joſua, egregia victoria potitus, & fugientes usque ad fines Sidonis eſt perſecutus. Idem, multas, ſubſequente tempore, etiam in hoc tractu urbes, vi in poteſtatem redegit, incolasque & Reges eorum delevit, quorum Joſuæ c. XII. in univerſum XXXI. numerantur. Notandum autem, ipſum equos hoſtium, & currus, ex quibus bellare ſolebant, minime ad populi uſum tranſtuliſſe, ſed vero, prout a Deo juſſus fuerat, ſubnervaſſe equos, & currus igne combuſſiſſe, ut ſcilicet Iſraëlitæ, Deo potius, quam armaturæ ejusmodi fidentes, pedites pugnarent.

Regum, qui ſupererant in aliis partibus, cum nullus jam laceſſere auderet Joſuam invictum ſemper Imperatorem, interquieſcere ad tempus viſum eſt, & partiri quam erant nacti prædam. Ne enim populus ſub continua militia fatiſceret, *aliquid ceſſationis* dandum fuit, levandi tædii cauſa. Neque

vero

vero promiſerat Deus, ſe terram ſimul iis univerſam daturum, ſed paulatim expulſurum incolas; ne cum truculentis & ſylveſtribus belluis pugnandum foret, ſi hominibus ad internecionem cæſis, in deſertam ſolitudinem ſe conjicerent. Cum igitur hoſpitium commodum, &, quod in præſentia ſufficeret, largitus eſſet Deus, *ſorte dividi terram placuit*, ſuamque partem ſingulis aſſignare tribubus, easque etiam plagas comprehendi, quæ nondum in manum & poteſtatem venerant. In his, tractus præcipue Mediterraneo mari adjacens, qui, a Palæſtinis atque Phœnicibus tenebatur. Namq; partitione hac, belli futura erat ratio commodior, cum ſuos quæque tribus noviſſet una cum terminis hoſtes.

Sortitio, ex mente Judæorum, quos multi ex Chriſtianis Interpretibus ſequuntur, hoc modo peracta. Stabat Pontifex Elieſer, veſtes ſacras indutus, & ornatus Vrim & Thumim, pectorali Oraculo. Erant ante illum diſpoſitæ *Vrnæ duæ*; quarum una ſchedas continebat, inſcriptas Nominibus Tribuum, altera ſchedas totidem, quarum quæque regionem aliquam Palæſtinæ indicabat. Sic ergo Elieſer capiebat primo ſchedam Tribus alicujus ex Vrna una, & deinde aliam, ſignificantem, quæ Palæſtinæ portio illi Tribui debeatur. Simul quoque Pectorale Oraculum ſortitionem confirmabat, ne Elieſer quid affectibus tribuiſſe videretur.

Diſtributione Palæſtinæ per ſortem jam facta, cum ſingularum eſſet Tribuum quod belli reliquum erat conficere, ſuisque finibus hoſtes reſiduos exigere, nihil ſupererat, quod Transjordanas Tribus, *Rubenitas*, *Gaditas*, & *Manaſſidarum dimidium* diutius in Cananæa detineret. Emeritos ergo pronunciabat

ciabat Joſua, liberosque domum remiſit. Ii, Jordane transmiſſo, in ipſa ripa fluminis Altare magnum conſtituunt: inde tumultus ingens apud cæteras Tribus. Cum vero Phineæ, & decem Principibus ad eos miſſis, ſerio teſtati eſſent, non ſacrificii (id enim non liçebat) ſed memoriæ cauſa, Altare ſe excitaſſe, mutuo rediere in gratiam.

Fato ſuo jam proximus Joſua, *de funere Joſephi*, proavi ſui, tandem cogitare cœpit; cujus oſſa quidem ex Ægypto in Cananæam translata, nondum vero ſepulta fuerant. Spelunca duplex in agro Hebronico fortaſſe ab hoſtibus tenebatur, ubi majores conditi jacebant; vel potius, maluit Joſua, in agro Sichemitico reponere Joſephi reliquias, ut vel mortuus eam poſſideret hereditatem, quam pater ei moriens Gen. XLVIII. 22. delegarat.

Tandem *Joſua*, jam centum atque decem annorum ſenex, celebratis prius comitiis, mox & *Elieſer* Pontifex diem obiere ſuum, ſepulti uterque in monte Ephraimitico. Ac Joſuæ quidem ſepulchrum, ſua ætate adhuc extitiſſe, in locis Hebraicis narrat Hieronymus, cui Solis inſculpta fuerit imago. Voſſius, Joſuam, Herculis Indici, vel Arabici nomine innotuiſſe, cultumque fuiſſe, non inepte conjicit. Procopius vero in Vandalicis narrat, aliquos eorum, quos e patria expulerat Joſua, in Africam profugiſſe, columnasque marmoreas ibi ſtatuiſſe, his inſcriptas verbis: *Nos ſumus Cananæi, qui a facie Joſuæ latronis, filii Nave, fugimus.* Huic tamen narrationi, quidam parum tribuunt, tum quod nemo facile ſuæ fugæ, & alienæ victoriæ monumentum ponit; tum, quia *Nave* nomen, a LXX. Interpretibus Joſuæ primum datum eſt.

Quod

Quod ad *librum Joſuæ* attinet, cum aliqui ab Elieſere Pontifice, alii ab ipſomet Joſua conſcriptum arbitrantur; ac complectitur is 27. circiter annorum hiſtoriam.

Judæorum Traditiones ſunt: Joſua miſit Phineam & Calebum exploratores Hierichuntem, præcepitque ut ſe ſurdos & mutos ſimularent, percepturi ſic ab incolis omnium rerum conditionem, libere ſcilicet loquentibus, citra metum ſermones ſuos a peregrinis audiri. Quidam volunt ollas vendere juſſos eſſe, ut a fœminis, ſuopte ingenio loquacibus, dum licentur merces ac emunt, arcana addiſcere poſſent.

Duplicem aſſignare licet rationem, quare Exploratores Iſraëlitæ apud *Rachabam meretricem* diverterint. Unam, ne ſuſpicarentur cives, ipſos Judæos eſſe: ſciebant enim, illam gentem, a ſcortatione, imprimis cum mulieribus peregrinis, vehementer abhorrere. Alteram, ut tanto melius ipſi in rerum abditarum pervenire poſſent notitiam; nihil enim earum Rachabam latebat, quia viri quique præcipui, ejus formæ venuſtate capti, illam deperibant, ejusque corporis uſu fruebantur.

Ipſe Joſua *Rachabam poſtea proſelytam factam*, duxit uxorem, atque meruit ea, ſua erga Exploratores pietate, ut octo Prophetæ, genus & ſanguinem ex illa traherent.

Ex Joſuæ c. IV. colligas, ſimul ac Iſraëlitæ Jordanem tranſierant, totum mox fluminis alveum aqua fuiſſe oppletum. Ergo quæritur, *quomodo Sacerdotes, qui cum Arca in medio alvei conſtiterant, in ripam ulteriorem fuerint delati?* Nimirum, Arca ſeſe in aërem librando, volatu evadebat in ripam, ſecumque trahebat Sacerdotes illi adhærentes.

Docet

Docet Joſuæ cap. V. Judæos in deſerto agentes, a circumciſione abſtinuiſſe, quod ideo factum, quia toto illo tempore Aquilo ventus, vulneribus ſalutaris, flare deſtitit. Hujus autem ſpiramina ideo Deus cohibuerat, ne, cum vehemens is ſit, Nubem quæ Iſraëlitas operiebat, diſpergeret. Non deſunt tamen, qui Judæos, deſerti incolas, circumciſos quidem fuiſſe contendant, ita tamen, ut glandis retectio, quæ פריעה *Pria* dicitur, omiſſa fuerit. Hæc autem ubi deficit, perinde eſt, ac ſi nulla præceſſerit circumciſio.

Capite VI. deſcribitur *expugnatio Hiericbuntis*, cujus mœnia, minime, ceu vulgo creditur, ad clangorem buccinantium Sacerdotum collapſa fuere. Quia enim ad cubi modum, altitudinis & latitudinis æqua erat proportio, illorum ruina oppugnantibus haudquaquam emolumento eſſe poterat, itaque omnino credendum, a terra dehiſcente fuiſſe abſorpta.

Joſua, adverſos *Amoræos* pugnans, Solis Lunæque curſum ideo inhibuit, quia pugna pridie Sabbathi committebatur, atque metus erat, ne Judæi, ultra Solis occaſum hoſtes perſequendo, Sabbathi religionem violarent.

Capite XI. 18. legitur, *multo tempore pugnaſſe Joſuam adverſus Reges Cananæos.* Nempe, data opera, moram unam ex alia trahebat, ut diutius vitam produceret: pollicitus enim Deus fuerat, ipſum, priusquam fato fungeretur, omnes Reges ſubjugaturum.

De ſortitione, per quam Palæſtina a Joſua fuit diviſa, eſt in capite XIV. & aliquot ſequentibus. Atq; ſciendum, partem Hieroſolymorum Judæ, partem Joſephi tribui obtigiſſe, & in hac poſtrema poſtea Templum fuiſſe conditum.

Levitis ideo fundi nulli aſſignati, ne terram colendo, Templi miniſteria, & Legis divinæ ſtudium negligerent.

Poſt Joſuam, ſunt qui *Phineam* officio Ducis perfunctum ſcribunt, uti Patricides & Nicephorus, duo Patriarchæ apud Seldenum de Succeſſionibus. Verum, Præfecturæ ejusmodi Scriptura Sacra locum nullum relinquit, quin potius Anarchiam quandam obtinuiſſe, dicendum eſt. Etſi enim *Seniores* aliquandiu adhuc ſupererant, tamen ii nuſpiam gubernaſſe dicuntur, ſed exemplo tantum virtutis & probitatis junioribus præluxiſſe. Iis bene monentibus quoad Hebræi morem geſſere, felici ſucceſſu uſi ſunt. Tum enim, *Adonibeſekum*, Cananæorum Regem, prælio vicerunt, ejusque manuum pedumque pollices amputarunt, remenſi eadem menſura, qua ipſe prius aliis menſus fuerat. LXX. enim Principes viros indigniſſime tractaverat, & pollicibus detruncatis, ſub menſa, deciduis fragminibus aluerat quaſi canes. Inde *Hieroſolymæ partem inferiorem*, (ſuperiorem enim, ſive arcem Sionis, David demum occupavit,) *Hebronem* item, ac *Thebir*, & *Bethel*, Hebræi expugnarunt, cum multis aliis oppidis. Quos vero a Cananæis non ejecerant, tributarios effecerunt, eosq; res ſuas quiete agere permiſerunt.

Senioribus ſublatis, magna rerum confuſio exorta eſt: paulatim enim Iſraëlitæ degenerare cœperunt, & idololatriæ ſeſe mancipare. *Michas* enim Ephraimita, imaginem ſibi privatim fabricatus eſt, & cultum ſuperſtitioſum inſtituit, præfecitq; huic rei Levitam quendam Sacerdotem. Cum vero *Danitæ*, occupandæ urbis *Lais* gratia, ibi tranſirent, idolum hoc, una cum ſacerdote, invito licet Micha ſecum abripue-

puerunt, quod arbitrarentur, ejusmodi Deaſtro ſibi opus eſſe, tanquam in extremis provinciæ limitibus, procul a Silunte, tabernaculoque Divino commoraturis. Sic ergo urbe Lais expugnata, illud ſimulacrum ſibi in Deaſtrum conſecrarunt. Ex his parvis initiis, poſtea idololatria late pervagari cœpit. Sequutæ enim mox Danitarum exemplum ſunt reliquæ Tribus, ac veri Dei oblitæ, *Baalim* & *Aſtaroth* colere cœperunt.

Defectionem hanc Hebræorum, tragœdia triſtis excepit. Cum enim *Levita* quidam, cum concubina ſua, aut uxore ſecundaria, in *Gibea*, urbe Tribus Benjamin, apud ſenem quendam hoſpitaretur, factum eſt, ut noctu quidam incolæ ejus loci, homines ſceleſti, eum ad nefandam Venerem magnis clamoribus depoſcerent. Nec abſterreri ſe a tam impio propoſito paſſi ſunt, donec Levita concubinam ſuam ad eos eduxit, &, ut offam, latrantibus Cerberis miſeram objecit. Hac cum per totam noctem turpiter abuſi eſſent, tandem eam dimiſerunt, quæ, ad domum hoſpitis ut rediit, humi collapſa exſpiravit. Levita mane aſſumto uxoris ſuæ cadavere, ad ſuos reverſus eſt. Vbi arrepto gladio, corpus in XII. partes diſſecuit, easque quaſi cruentas literas, in ſingulas Tribus tranſmiſit, hoc claſſico, tanti ſceleris ultionem depoſcens. Iſraëlitæ cæteri, nuncii hujus immanitate permoti, Sodomitas iſtos plecti debere communi conſenſu pronunciarunt. Miſere igitur e ſuorum medio, qui autores hujus facinoris, ad ſupplicium ſibi dedi, a Benjaminitis requirerent. At hi, defenſionem potius reorum ſuſcipere, quam tradere illos maluerunt. Quo audito, decrevere reliquæ Tribus, contra pertinaces hos arma ſumere, jura-

 mente

mento interpoſito ſeſe obſtringentes, ne quis filias ſuas in matrimonium ipſis elocaret. Factus autem eſt impetus in filios Benjamin, una & altera vice, verum gemina clade aggreſſores repulſi ſunt.

Tandem, confirmati Divino oraculo, deque victoria certi, tertio eos invadunt, & victoriam plenam reportant. Ita debellatis Benjaminitis, & ex univerſa Tribu non niſi ſexcentis fuga ſervatis, in mulieres & parvulos quoque ſævitum, omnesque interemti, & tota Tribus ad contemtam paucitatem redacta eſt. Hinc cæteri pœnitentia duci cœperunt, &, ne tota ſtirps aliquando ex illis deficeret, fugitivis non tantum pacem & veniam dederunt, ſed & de uxoribus iis proſpexerunt. Cum enim deprehenſum eſſet, incolas *Jabes* huic expeditioni non interfuiſſe, adeoque anathemati, quo ii, qui non una militarent, devoti erant, obnoxios eſſe, miſerunt qui iſtos exſcinderent, ſervatis tantum puellis, quæ Benjaminitis poſtea in conjuges ceſſerunt. Quo vero & reliquis uxores pararentur, *Siluntinorum* filiæ aptæ viſæ ſunt. Hæ enim, cum in quadam feſtiritate, extra urbis mœnia choreas ſuas agitarent, rapuerunt ſibi Benjaminitæ ex illis, quot, & quæ placuerant.

Cæterum, cum Iſraëlitæ, ob idololatriam, onere externæ ſervitutis preſſi, ad Deum ſe converterent, idem exorari ſe paſſus eſt, iisque JVDICES conſtituit. Erant autem Judices, vel שופטים *Schophetim* Hebræorum, non ii, quos ex autoritate, homines ſecundum leges condemnandi, & abſolvendi, tales vocare ſolemus; ſed, qui juris dicundi, & adminiſtrandi in populo poteſtatem, item belli & pacis arbitrium tenebant, Regibus tamen autoritate mino-

minores: nec electi a populo, ſed ſuſcitati ab ipſo Deo, ceu in Theocratia fieri æquum erat.

OTHNIEL, Kenaſi filius, Calebi gener, e Tribu Juda ortum trahens, ex plerorumque ſententia inter hos Judices agmen ducit. Is, cum quidam Meſopotamiæ Rex, *Cuſan-Riſathain* dictus, octo annorum ſpatio Hebræos afflixiſſet, & tributa pendere coëgiſſet, ad hos liberandos divinitus excitatus eſt. Ergo commiſſo cum Meſopotamiis prælio, victor diſceſſit, ipſo Rege quoque, ut Clemens Alexandrinus exiſtimat, interfecto; atque ita ſuos ex hac ſervitute in priſtinam libertatem aſſeruit. Poſt partam victoriam, idololatriam abolevit, verum Dei cultum renovavit, Iſraëlitisque præfuit ad finem usque vitæ.

In hæc tempora, incidit apud Gentiles *Trojani Regni initium.* Ejus conditor fuit *Dardanus*, *Abantis* Argivorum Regis filius, qui interfecto fratre *Jaſio* aufugit in *Samothraciam*, Inſulam Ægæi maris. Illam longo poſt tempore deſerens, in Aſiam venit, regionemque tenuit Helleſponto proximam, quæ ab ipſius nomine *Dardania*, poſtea *Phrygia* nominata eſt. Numerant Chronologi ab initio Trojani Regni, usque ad Trojæ urbis excidium, annos 300. Reges fuerunt, *Dardanus*, *Erichthonius*, *Tros*, *Ilus*, *Laomedon*, *Priamus.* Quorum ſymbolum mnemonicum eſt, ut quis ſe, aut alium, fingat, DE TILP, pago nobis vicino, oriundum.

Atys, Lydiæ Rex, ab Hercule & Omphale genus ducens, cum ob ſterilitatem & famem coloniam emittere cogeretur, e duobus filiis, ſorte jacta, *Lydum* ſecum tenuit, in regno ſucceſſorem futurum, a quo & *Lydia* nomen deinde accepit:

 alter

alter *Tyrrhenus*, cum bona populi parte, ad quærendas novas ſedes miſſus eſt. Is, poſt longos errores, pulſis Vmbris, in Hetruria, ad oram Inferi maris conſedit, totumque illum tractum de ſe *Tyrrheniam*, & mare ipſum Tyrrhenum vocavit.

Cadmus, *Agenoris*, Regis Phœnicum filius, in *Bœotiam* navigat; ibique primus *literas* docet. Eæ, *Phœniciæ* hinc appellabantur. Poſtea, *Pelasgicæ*, quia a Pelasgis, ſive Theſſalis, per Græciam divulgatæ ſunt, dictæ fuere. Creditum, literas Phœnicum eſſe inventum, unde Lucanus;

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi,
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

At vero, has ipſas Hebræorum fuiſſe literas, ab Iſraëlitis, Phœnicibus vicinis acceptas, ipſa literarum nomina ſatis indicant. Ab *Aleph* enim *Beth*, *Gimel*, *Daleth* &c. Hebraicis, quis non videt, *Alpha*, *Beta*, *Gamma*, *Delta* &c. apud Græcos prodiiſſe? Eſt quoque inter figuras utrinque aliqua ſimilitudo. Ægyptiis, annis fere 600. ante Cadmi in Græciam adventum, jam ſuæ, tum ſacræ, tum vulgares literæ fuiſſe dicuntur, a *Mercurio* acceptæ.

MILLENARII III.

SECVLVM VI.

I. BELOCHVS Junior.

Is 25. annis rebus præfuit.

CONTEMPORANEA.

Othniele vita functo, Hebræi pari ad idololatriam & ſervitutem gradu reverſi ſunt. Nam *Eglon*, Moabitarum Rex, junctis cum *Ammonitis* & *Amalekitis*

tis viribus, ipſos adortus, & prælio victos, per 18. annos duro imperio preſſit., *Hierichuntis* ruinis valido præſidio impoſito. Converſis tandem ad Deum, lux nonnulla per EHUD Benjaminitam affulſit. Hic ad judicandum populum Iſraëliticum, a Deo electus, ſingulari & heroico facto, regiminis ſui fundamenta jecit. Cum enim ad Eglonem, muneribus inſtructus, a filiis Iſraël ablegaretur, & ad ipſum ſolus, intra ſecretius conclave, admiſſus eſſet homo conſilio & manu promptus, ac robore corporis animique fiducia præſtans, Regem, reverentia divini cujusdam oraculi, cujus copiam ſe illi facturum ſimulabat, aſſurgentem, gladio transfodit. Perpetrato hoc facto aufugit, & ſalvus ad ſuos pervenit, quos, de occiſo hoſtium capite certiores reddens, ad recuperandam libertatem animavit, ſeque Ducem illis obtulit. His perceptis, Iſraëlitæ læti, ſervitutisque pertæſi, hoſtes inopinata Regis cæde perculſos, aggreſſi ſunt, profligaruntque, & jugum cervicibus excuſſerunt.

Ehudi fato functo, nonnulli SAMGAREM, qui Philiſtæorum ſexcentos una ſude interfeciſſe proditur, Judicem ſubſtituunt, e quibus ſunt Joſephus & Sulpitius Severus. His tamen alii adverſantur, & Samgarem, potius Ehudis æqualem temporum fuiſſe, tantumque ob patratum inſigne facinus, dilaudari exiſtimant.

Jo, filia *Inachi*, Regis Argivorum, circa hoc tempus a *Phœnicibus* rapta & abducta eſſe creditur. Poſt Græci, & inter hos *Cretenſes*, ut par pari rependerent, *Tyrum* appulſi, filiam Regis *Europam*, ex Phœnicia in *Græciam*, & quidem in *Cretam* abduxerunt, a qua deinde tertia pars orbis terrarum nomen accepit.

pit. Porro, Jo a Phœnicibus rapta, in Ægyptum delata dicitur, ibi in matrimonium collocata eſt *Oſiri* Regi. Hæ hiſtoriæ, inclytæ ſunt Poëtarum fabulis, quas in Mythicis enarravimus.

BALATORES.

Hujus imperio annos 30. aſſignant.

CONTEMPORANEA.

Iſraëlitis Ehud adhuc præfuit.

In *Creta*, *Minos* & *Rhadamanthus*, Jovis ex Europa filii regnant. Vterque juſtitiæ fuit obſervantiſſimus, unde cum fratre *Æaco* a Poëtis finguntur apud inferos eſſe bonorum & malorum judices. Virgilius l. 6. Æn. ex his, Rhadamanthum præcipue nominat:

Gnoſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatque auditque dolos, ſubigitque fateri,
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Ariſtoteles l. 5. Ethic. Nicom. c. 8. hunc Rhadamanthi verſum allegat:

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.
Si quis quod fecit patitur, juſtiſſima pœna eſt.

Ad hæc tempora referri ſolet *Seſoſtris*, Ægyptiorum Rex, *Meridis* ſucceſſor; qui, ſubactis maris Erythræi accolis, *alveum navigabilem*, ex mediterraneo, conatus eſt ducere in illud mare. Idem & *Colchos*, & *Getas* creditur ſubegiſſe. In regionibus a ſe ſubactis *trophæa* ſtatuebat, τὰ αἰδοῖα muliebria referentia. Conſueverat *curru aureo* vehi, qui a quatuor domitis Regibus trahebatur. Ex his, cum aliquando unus,

unus, ſæpius reſpiceret ad rotam, interrogatus a Seſoſtri, cur id faceret? reſpondit: Rotæ volubilitatem ſpecto, quæ cito ima ſummis permutat, & me de fortuna noſtra admonet. Hoc ſermone permotus Seſoſtris, captivos Reges dimiſit.

LAMPRIDES.

Regnavit annos 32.

CONTEMPORANEA.

Ehude mortuo, anarchia per aliquot annos apud Hebræos viguit. Qua durante, ad veterem inſaniam illi rediere, & Dæmonum potius, quam veri Dei cultui ſeſe manciparunt.

Midas, *Gordii* bubulci (a quo inſolubilis ille nodus e corni libro nexus eſt) filius, hac tempeſtate Phrygiæ imperavit, Rex opulentiſſimus, qui, ab *Orpheo* ſacrorum ſolemnibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit. Nota eſt fabula, Midam cum Bacchum hoſpitio excepiſſet, atque hic ei optionem dediſſet, petendi quicquid vellet, rogaſſe Deum, ut quicquid manibus contingeret, in aurum converteretur; voti damnatum, cum cibum potumque a ſe in aurum rigeſcere animadverteret, periturum fuiſſe, niſi Baccho ſuadente in *Pactolo* ſe abluiſſet. Fulgentius l. 2 Mythol. hæc ita interpretatur, Midam theſauros per ſummam avaritiam & parſimoniam, qua genium defraudans, victum neceſſarium ſibi negabat, congeſtos, in fluvium Pactolum profudiſſe, ut eum ad agros ſuos irrigandos variis flexibus derivaret. Eidem *aures aſininas* Apollinem affinxiſſe traditum eſt, quod ab illo, *Pan*, in muſica arte ſibi prælatus fuerat. Nempe aſininam ruditatem ſuam

 pro-

produnt, qui de rebus judicant quas minime aſſequuntur. Ferunt, ceu apud Ciceronem 1. Tuſc. Quæſt. legitur, *Silenum* a Mida Rege captum, hanc ei ſententiam, pretium ſuæ miſſionis dediſſe : *Non naſci longe optimum : proximum autem quamprimum mori*. Erat Silenus *Bacchi præceptor*, & poſtea in peregrinationibus fidus comes.

Janus, in Latio Aboriginum Rex fuit, ſucceſſore *Saturno*, quem hoſpitio ſuſceperat. Hoc regnante, aureum fuiſſe ſeculum traditur. Nempe, ob omnium rerum communitatem, & inventum in locis occiduis vinearum atque agrorum cultum, pacem item qua incolæ fruebantur & tranquillitatem ſub æquis Regibus. Primi *latinorum Numi*, ex una parte navem impreſſam habebant, quæ Saturni adventum ſignificabat, ex parte altera bifrontem effigiem exhibebant, quia (quod doctioribus viſum) communi duorum conſilio gerebatur imperium.

MILLENARII III.

SECVLVM VII.

SOSARES.

HVnc 20. annos regnaſſe volunt.

CONTEMPORANEA.

Iſraëlitæ, ob violatam religionem, *Jabini*, Regis Cananæorum tyrannidi a Deo affligendi exponuntur. Cum ad bonam frugem verumque Numen reverterentur, & veniæ & liberationis gratiam acceperunt, excitatique BARAK Naphthalita, & DEBORA Prophetis, qui miſeris opitularentur. Atq; hi *Siſſeræ*, Ducis militaris Jabinis ingentes copias, parva manu,

manu, Deo e cœlis dimicante, deleverunt. Grandine enim adverſa, ſi Joſepho credimus, ita de cœlo illos percuſſit Deus, ut nullo modo conſiſtere poſſent. Profugus Imperator, muliebri manu cecidit. Nimirum, *Jaël*, e Moſis affinitate prognata mulier, *Heberi*, qui in finibus Kades tentoria fixerat, conjux, accedenti occurrit obviam, ac invitat perhumaniter in tentorium, tutum illum & extra periculum futurum pollicita. Ingreſſum & recumbentem operit, ſitienti lac bibendum præbet. Ipſe ex via & pugnandi moleſtia laſſus, ſomno ſe dat. Ad eum tacite gradum promovens Jaël, ubi altum ſentit dormire, clavo trabali impacto, & in tempora penetrante, humo affixit caput, æternoque ſomno dormientem conſopivit. Mox eadem via feſtinanti *Baraco*, dum fugam hoſtilem victor perſequitur, Jaël proſtratum humi atque mortuum in tabernaculo Siſeram commonſtrat. Putavit vero illa, non fas modo eſſe, ſed & laude dignum, populi ſacri hoſtem crudeliſſimum, cæſum fractumque divinitus, ne conſervatus ex hoc periculo vires colligat, quibus affligat denuo conteratque populum Dei, neci dare; idque factum Debora & Baracus *divino carmine* celebrarunt.

Ex libri Judicum c. IV. v. 5. colligunt Judæi, *Deboram ſub dio judicaſſe Iſraëlem*, quod ideo fecit, ne quis de pudicitia ejus male opinaretur.

Stellæ, ſecundum eosdem, cum Debora adverſus Siſeram præliaretur, æſtum concitarunt vehementiſſimum, ita, ut equi curribus juncti, illis confractis, ad vicinos rivos properarent, iisque refrigerii cauſa ſeſe immergerent, trahentes ſecum in ima ſeſſores: unde ipſe quoque Siſera pedes aufugere coa-

ctus fuit. Accidit hoc præcipue in torrente *Kiſchonis*, qui ſic fidejuſſione, qua obligatus fuerat, eſt ſolutus. Olim enim, cum Pharao, ejusque copiæ in mari ſuffocarentur, præcepit Deus Angelo præfecturam maris gerenti, ut mare cadavera in litus ejiceret, quo Hebræi illa intueri atque hoc ſpectaculo delectare ſe poſſent. Reſpondebat Angelus: Vtique fas & jura poſcunt, ne id quod alicui ſemel donatum eſt, ei rurſus auferatur. Ergo, cum piſces mei, ſexcentis curribus vectos Ægyptios tanquam munus acceperint, iis privari non debent. Contra Deus, ut Angelus morem gereret, pollicebatur, ſe totidem numero currus cum vectoribus, quot mare reſtituturum eſſet, ac ſemis inſuper, olim redditurum. Cum vero, quod Deum promiſſi haud tenacem in jus vocare non liceret, vadem expeteret Angelus, torrentem Kiſchon Deus ſtitit; atque is nunc pro ſexcentis Ægyptiis curribus, nongentos Cananæos in mare devolvit, quod pro Deo ſpoponderat plane exſolvens.

Amplius tradunt Judæi, Sidus cœli cui *Maros* nomen, noluiſſe influxu ſuo concurrere ad æſtu torrendos Cananæos, idque diris ideo fuiſſe devotum.

Denique ajunt, Jaëlis pietatem ſingularem inde patere, quod ad trucidandum Siſeram clavo magis & malleo, quam gladio uti voluerit; ſecum perpendens, gladium ex iis eſſe armis quæ viri tractant, illumq; viros ſibi præcingere: at prohibuiſſe Deum fœminas uſu ornatus virilis.

Pelops, Tantali filius, ex Phrygia in Græciam venit, & *Peloponneſo*, quæ *Apia* & *Argos* dicebatur, nomen dedit. Eſt autem *Peloponneſus*, nobiliſſima Græ-

Græciæ regio, mari Jonio & Ægæo intercluſa, per iſthmum adhærens. Nunc *Moream* vocant.

Inſtituit Pelops *Jovi Olympio Ludos*, quod idem *Hippodamia* ejus uxor fecit, Junonis in gratiam, in quibus virgines curſu certabant. Victrices olea coronabantur, & victimæ partem, quæ Deæ litabatur accipiebant. Præerant Ludis matronæ XVI. cum totidem miniſtris. Quinto quoque anno Ludi celebrabantur, & tum *peplum* quoque Deæ dicabant virgines a ſe contextum.

Tranſiit ad poſteros *ſceptrum Pelopis* celeberrimum, etſi Regnum non tranſiit. Vulcani opus credebatur, ac primum Jovi datum, deinde Pelopi a Mercurio. Divinitatis aliquid ei ineſſe homines perſuaſi erant, illique rem divinam quotidie faciebant.

LAMPARES.

Iſte annos 30. ſummam rerum adminiſtravit.

CONTEMPORANEA.

Judæos adhuc *Debora* & *Baracus* imperio regebant, eosque matrimonio denique junctos fuiſſe Judæi perhibent.

Salmoneus, Æoli filius, urbis cognominis in Elide Rex, pro Jove ſe gerebat: pelves enim e curru ſuſpenſas, in quadriga cum æneis lebetibus ſuper æneo ponte agitando, tonitrua; faces ardentes in populum jactando, imitabatur fulgura, unde & poſtulavit, ut victimæ ſibi immolarentur. Hunc Jupiter, vero ictum fulmine confecit, ipſamq; urbem, extinctis civibus, devaſtavit.

Lycus, Bœotiæ Rex, *Antiopam*, Nyctei Regis filiam, uxorem ducit: quam poſtea cum a Jove in Satyrum

tyrum converſo, compreſſam cognoviſſet, repudiavit, *Dircemq;* conjugem ſibi adſcivit. Hæc verita, ne Antiope cum Lyco in gratiam rediret, arctiſſimis eam in vinculis aſſervavit. Iis, Jovis miſeratione diſſolutis, in Cithæronem montem profugit, ubi *Amphionem* & *Zethum* peperit, quos paſtores pro ſuis educarunt. Hi poſtea adulti, cognitis injuriis quibus matrem ſuam Dirce affecerat, tauri indomiti caudæ eam alligarunt; qui illam per loca aſpera raptando, diris cruciatibus laniavit. Poſtea Amphion & Zethus, Lycum quoque, cum exercitu occurrentem, prælio fundunt. Iidem regno potiti, *Thebas* amplificant, & 7. portas in mœnibus aperiunt, unde *Thebæ Heptapylæ* ſunt dictæ. Saxa mœnium, Amphionis lyram ſubſecuta eſſe poëtæ fingunt.

Athamas, Æoli filius, Rex Thebarum, ex *Nephele* uxore, *Phryxum* filium, & *Hellen* filiam ſuſtulit, ac poſtea conjuge hac in nubem mutata, duxit *Inonem* Cadmo genitam. Ea, cum more novercarum, privignos odiſſet, Bœoticis fœminis perſuaſit, ſemina terræ mandanda torrerent: terra autem, grana ſementis toſta ſuſcipiens, infœcunda permanſit, & magna proinde penuria ſubſecuta fuit. Quamobrem, miſſi qui Apollinem ſciſcitarentur, quæ hujus mali cauſa eſſet. Hi, ab Inone muneribus corrupti, renunciant, Oraculum poſcere, ut Phryxus & Helle mactarentur. Quod, etſi Athamas diu facere recuſavit, neceſſitate tamen compellente, Phryxum & Hellen ante aram immolandos conſtituit. At Nephele mater, nube ſua ad eos devecta, ut fugerent præcepit, tradiditque ipſis *arietem* lanam auream habentem, quo pontum, ea parte, qua anguſtior eſt, transfretarent. Sed *Helle*, muliebri pavore perculſa, in mare decidit;

atque

atque undis ſubmerſa, *Helleſponto* nomen dedit. *Phryxus*, Colchos ſe contulit, atque mactato ariete, vellus in Jovis templo, ſuaſu Mercurii, ſuſpendit, filiam autem Regis *Æetæ*, *Chalciopen*, connubio ſibi junxit.

PANYAS.

Panyas, annos 45. rebus præfuit.

CONTEMPORANEA.

Baraco mortuo, reverſis ad impietatis vomitum Iſraëlitis, *Midianitæ* inſultarunt. Apud Pſeudophilonem in Antiquitatibus Biblicis legitur, quendam Midianitam, nomine *Aod*, traduxiſſe Iſraëlem ad cultum Deorum Midian, oſtenſo noctu Sole per incantamenta, propter eaque Deum permiſiſſe, ut ab iis redigerentur in ſervitutem, quorum idolis, abdicato vero Deo ſervire voluiſſent.

Nempe, maxima cum multitudine Midianitæ, una cum Amalecitis, aliiſque gentibus, ab Oriente, in Cananæam quotannis effuſi, ad Gazam usque, vaſtabant ac depopulabantur omnia. Frumentum, in ſemine ſegeteve corruptum; boves etiam aſinique ablati ſunt; quo factum, ut inopia ſumma rerum omnium laborarent Iſraëlitæ. Cæterum, cum per pœnitentiam ad bonam frugem ſe converterent, reprimendis Midianitis divinitus electus eſt GIDEON, *Joasbi* filius, Ophræ habitans, cui urbi pater præerat. Triturabat forte Gideon in torculari *frumentum*, ut prædatores hoſtes id lateret: nec enim quis facile expectet triticum e torculari. Ad eum igitur Angelus accedit, illumque ſe parare jubet ad liberandum Iſraëlem, miraculo ipſum confirmans, dum ignis e rupe emicans, edulia quæ in ea poſuerat

rat ſubito devorat. Jubetur ergo aram Baalis, prius deſtruere, quod ètiam, 10. ſervis comitatus, nocte media, dum quieſcebant alii, ſedulo peregit, altare ſuſtulit, ſuccidit lucum, ac ſumma in rupe aram Deo vero collocavit, in ea jumentum ſeptenne, quod erat ſecundum in armento patris, ac ſaginatum devotumque Baali, ſucciſi luci lignis immolans. Ophræi, ubi quid actum eſſet conſpexerunt, *Joashum* compellant, tradique Gideonem ſibi poſtulant ad ſupplicium, utpote in Baalem reum impietatis. At Joashus, ſive quod vera jam pietate a Deo imbutus eſſet, ſive quod ipſe præfectus urbis atque princeps, homines privatos, ultionem ac autoritatem pœnas de maleficis exigendi ſibi arrogantes, non ferret, reſpondet paulo iracundius, Baali ſuas injurias curæ eſſe, illumque ſe adverſus eum, qui altare ipſius diruiſſet, tueri ſe debere. Ex eo deinde Gideoni novum nomen *Jerubbaal* acceſſit, isque pro Judice & Duce Iſraëlitarum habitus eſt. Interim Midianitæ, una cum Amalecitis, more ſolito, ad ſpoliandos Hebræorum agros convenerant, ac Jordanem transeuntes, in valle Jezreelis caſtra metati ſunt. Ergo Gideon, ſpiritu animatus divino, claſſicum canit, & copias colligit, ita tamen ut ſignum quoque a Deo edi peteret, victoria ſe potiturum. Voluit nimirum, ut vellus, quod in area per noctem erat depoſiturus, rore humidum tolleretur mane, terra undique ſicca. Cum ejus voti compos factus eſſet, expreſſumque vellus phialam aqua impleviſſet, importunæ incredulitatis homini contrarium quoque experiri viſum eſt, quod adeo mirum non videretur, contraxiſſe vellus humorem, & imbibiſſe rorem, cum id uſu venire ſoleat, feratque natura lanæ. Proinde id ſibi

a Deo

a Deo concedi poſtulabat, ut idem vellus, mane proximo, in terra undique humida rore, ſiccum reperiret. Cum & hoc eveniſſet, indulgente hominis imbecillitati Deo; ſumma cum fiducia bellum aggreditur. Quamobrem, diluculo egreſſus, ad fontem Harodi caſtra poſuit. Triginta hominum duoque millia coëgerat in exercitum. Hæ autem copiæ, multo majores Deo viſæ ſunt, quàm quas hoc bellum exigeret, quanquam hoſtibus longe impares, qui centum & triginta quinque millia ſub ſignis numerabant. Præviderat Deus, Iſraëlitas, quâ erant ingenii pravitate, ſuis viribus tributuros victoriam, ſi tanto cum exercitu ſuperarent. Per caſtra igitur promulgari juſſum eſt, ſi qui timidiores, minusque parati ad pugnam forent, ut domum ſe quamprimum reciperent. Quo facto, viginti duo millia militum diſcedunt, decem remanent. Deus tamen adhuc plures ſupereſſe ajebat, quàm ut opus eſſet illorum ope operâve. Hac autem ratione placuit diminui numerum. Ad fluvium propinquum ducere exercitum jubetur Gideon, ut biberent milites; ac quotquot in genua flexis poplitibus procumbentes, ore hauriebant aquam, ut ignavos dimittere; eos, qui palmis tollerent laticem, & linguis canino more lingerent, retineri. Sic trecenti modo relicti ſunt commilitones Gideoni: atque cum hac tam exigua manu, ad hoſtes, quorum exercitus ex 135. millibus, ceu dictum, conflatus erat, perrexit. His propior factus, in tria ſuos partitus eſt agmina, atque ſingulos lagenis, in quibus faces conditæ erant, buccinisque inſtruxit. Dehinc ipſa caſtra, magno boatu, ex tribus locis adortus, unoquoque militum lagenas collidente, & faces concuti-

non erant, abreptos dilaniabat. Cum vero *Æmon*, Regis filius, ab hoc portento ſublatus eſſet; proclamare juſſit *Creon*, Rex Thebanus, Jocaſtæ frater, Laii ſucceſſor, per præconem, ſi quis ænigma ſolveret, ſe illi Jocaſtam Laii viduam, una cum Thebanorum Regno ultro ceſſurum. Irruit Sphinx in Oedipum quoque: is autem animal de quo quærebatur, hominem interpretatus eſt, qui, manibus pedibusque infans ſe promovet; at poſtquam adolevit, ſolis pedibus nititur; ſenio confectus, tandem ſcipionis, tanquam tertii pedis, utitur adminiculo. Hac ſolutione cum ipſam rem tetigiſſet; Sphinx, quaſi ingenio victa, de alta rupe ſe dedit præcipitem. Oedipus, ut regno, ita matris conjugio potitus eſt, ex qua filios duos ſuſcepit, *Eteoclem*, & *Polynicem*, totidemque filias, *Iſmenen*, & *Antigonen*. Poſtea, cum ſe matrem ſibi conjugio copulaſſe, patremque occidiſſe cognoviſſet, dolore percitus, ſibi ipſi oculos eruit, quem poſtea cæcum, Antigone filia circumduxit, & ſe occidere volentem, prohibuit.

In Italia regnabat *Faunus*. Ejus tempore *Evander*, Arcas, & *Nicoſtratæ*, quæ, a carminibus, quibus reſponſa dabat, *Carmenta* dicta eſt, filius, cum patrem caſu interfeciſſet, avito regno pulſus, ſuadente matre, in hanc regionem navi venit, &, pulſis *Aboriginibus*, tenuit illa loca, ubi poſtea Roma condita eſt, parvumque oppidum in Palatino monte extruxit, *Pallanteum*, a *Pallante* proavo dictum. Latinis, primus uſum literarum, & artem colendi agri tradidiſſe dicitur. *Cum Evandri matre loqui*, apud Gellium, eſt obſolete loqui.

MILLLENARII III.
SECVLVM VIII.
SOSARMVS.

ISte annos 19. imperium tenuit.

CONTEMPORANEA.

Gideone rebus humanis exemto, tyrannus potius, quam Judex exortus eſt, ABIMELECHVS, Gideonis e concubina filius. Hic, ſicariorum & Sichemitarum ſtipatus magna manu, fratres legitimos LXX. præter unum *Jothamum*, qui forte abdiderat ſe, intercepit omnes, atque in eodem ſaxo, quod ſuæ ambitioni obſtare viderentur, ad unum interfecit, & ſic per vim principatum invaſit. Verum, non multo poſt, ob hoc ipſum parricidium, civibus ſuis inviſus factus eſt. Sichemitæ enim, audita Jothami, filii Gideonis, gravi oratione, ſcelus hoc extreme execrati, ab eo defecerunt, nacti ad hæc *Gaalem*, virum quendam factioſum. Hæc defectio, Principi novo Abimelecho, exitium & vitæ finem attulit. Namque de ea a *Sebul*, quem urbi Sichem gubernandæ reliquerat, certior redditus, magno exercitu iſtuc advolans, populares ſuos ad obſequium reducere conatus eſt. Initio quidem omnia proſpere ſucceſſerunt, pulſus enim eſt Gaal, urbe ipſa expugnata atque exuſta. Abimelechum tamen ipſum, mox quoque pœna ſua manſit: cum enim porro turrim oppidi *Thebez* oppugnaſſet, oſtioque ejus appropinquaſſet imprudentius, a muliere quadam, fragmine molæ deſuper conjecto, ſauciatus, &, ab armigero, turpe judicans, ſi fœminea manu caderet, ſuo rogatu, gladio transfixus eſt. Judæi obſer.

ſervant, talione ipſum ſupplicium luiſſe, &,quia LXX. fratres ſuper lapide uno jugulaverat, ideo lapidem caput ejus conquaſſaſſe.

Interfecto Abimelecho, THOLA quidam, e tribu Iſaſchar, ſive Dux, ſive Judex totius populi Iſraelitici ſuffectus eſt. Sed, de iis, quæ per totum illud trium ſupra viginti annorum ſpatium, quibus poteſtatem tenuit, ab illo acta fuere, Scriptura Sacra ſilet, dubio procul, quia nihil valde memoria dignum perpetravit.

Dædalus, Athenienſis, Architecturam, artemque Statuariam excoluit, multisque ſcite inventis locupletavit. Statuas enim effinxit ita animatis ſimiles, ut totum vivi corporis habitum referrent, &, ſi Platoni in Memnone credimus, aufugere ſolebant ni vincirentur; ſi Ariſtoteli in Politicis,per ſe ſua munera obibant. De *Paſiphaë*, quam ligneæ vaccæ Dædalus incluſerit, de alis item, quas ſibi & *Icaro* filio adaptarit, dictum in Mythicis. Sub illa, de alis, fabula, id veri latere, quod Dædalus, cum ante naves remis contisq; tantum impellerentur, earum vela, malum & antennam invenerit, prudentioribus merito viſum eſt, & juvat conjecturam Plinius in 7. rerum naturalium libro.

Hac videtur ætate *Muſæus* Poëta & Vates floruiſſe Athenis. Orphei fuit diſcipulus, & ad ipſum primum carmen ſcripſit, quod *Cratera* appellavit, eumque in omnibus ſibi imitandum propoſuit, cujus lyram etiam denique nactus eſt, ceu Arati Interpres prodidit.

Oedipus, ſponte in exilium proficiſcens, filiis *Eteocli* & *Polynici*, quos ex nefando Jocaſtæ matris concubitu ſuſceperat, Thebanum Regnum adminiſtrandum reliquit, ut alternis annis regnarent.

Verum

Verum cum Eteocles, cui, utpote natu majori, priores regnandi vices obtigerant, anno exacto fratri regno cedere nollet, ille Argos ſe contulit ad *Adraſtum* Regem, ejusque filiam *Argiam* uxorem duxit. Sic contractis undique copiis, una cum *Tydeo*, altero Adraſti genero, Thebanis bellum intulit, cujus is fuit exitus; ut duo fratres, ſingulari certamine congreſſi, mutuis vulneribus caderent. Mater Jocaſta ſuperveniens, educto ex alterius corpore gladio, manus ſibi intulit. Eteoclis & Polynicis cadavera, cum rogo imponerentur, flamma dicitur ſe diviſiſſe, eo quod implacabile illud odium, quod inter vivos extiterat, ne morte quidem fuit finitum.

Æſculapius floruit, natus incertis parentibus. Primus vulnus obligavit, ſpecillum, alvi purgationem, dentisque evulſionem invenit. Duos habuit filios, arte medica præſtantes, *Machaonem* & *Podalirium*, qui, Agamemnonem in bello Trojano ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus tulere. Horum ſorores erant *Hygiæa*, *Ægle*, & *Panacea*. Æſculapius, bene de hominum genere meritus, inter Deos relatus eſt, eique *Gallus Gallinaceus* plurimum, a Cyrenenſibus *capra* immolabatur. Templum illius *Epidauri*, ægrotantibus refertum erat, & tabulis quoque dedicatitiis, in quibus quo quisque morbo liberatus fuerit, conſignatum exhibebatur.

MITHRÆVS.

Hic annos 27. populos ſubjectos imperio rexit.

CONTEMPORANEA.

Poſt Tholam, apud Iſraëlitas Judicem, JAIRVS, Manaſſides, ex Gileade, 22. annis eo munere per-

functus eſt. Filiorum XXX. pater fuit, qui mulis vecti, more principum incedebant, & urbibus totidem præfecti ſunt.

Circa hæc tempora *Rhampſinitus* Ægypto præfuiſſe creditur, cujus hiſtoria ab Herodoto l. 2. prodita eſt. Nimirum, cum tantis opibus abundaret, quantas neq; ante, neq; poſt eum habuit quisquam, ærarium munitiſſimum ſibi ædificari voluit, quo theſaurum reponeret. Faber callidus, cui cura ædificii condendi commiſſa, e lapidibus unum inſeruit, ita ſolutum, ut eum facile, cum voluit, tollere poſſet, ſibique aditum patefacere ad illas gazas. Moriturus, filios duos de hac re monuit, qui læti, lapide amoto, quantum libuit pecuniæ crebro auferebant. Rex, cum opes ſuas imminui animadverteret, domo obſerata ſalvisque ſignis, laqueos ad vaſa nummorum abſcondidit, quibus accedentes irretiti, nullo modo expediri poſſent. Ita fratrum alter illac prior ingreſſus, nihil mali ſuſpicans, captus eſt: cumque nulla eſſet elabendi aut ratio, aut ſpes, caput ſibi amputari, auferrique veſtes jubet, ne agnitus ipſe, ſuos proderet. Ita furem deprehendit quidem Rex, ſed quem deprehendiſſet, ignorabat. Socius habuiſſe, ablatum caput indicabat. Eos etiam ut dolo caperet, truncum furis e muro ſuſpendi juſſit, adhibitis cuſtodibus, ut ſi quem plorantem miſerantemve animadvertiſſent, ad ſe perducerent. Non tulit mater, tam indigne tractari filii ſui cadaver, fratri ergo minata eſt, niſi fratrem e muro tolleret, omnia ſe Regi prodituram. Ille, metu ingenioſior, aſinos vino onuſtos, quaſi forte eo agitans, utre uno & altero de induſtria ſoluto, ita callide rem geſſit, ut, cuſtodibus vino ſomnoq; ſepul-

ſepultis, corpus fraternum abſtulerit. Rhampſinitus, quo fur aſtutior, eo illius cognoſcendi avidior, magis fœdam quam credibilem rem inſtituit. Filiam ſcilicet proſtituit ſuam, exquirere juſſam a ſingulis mercedis loco, quid in vita ſolertiſſimum ſimul ac ſceleſtiſſimum feciſſent, & illum, qui de furtis his narraſſet, prehendere ac detinere. Conſilium Regis callidum cum didiciſſet fur callidior, ſua fretus aſtutia, huic etiam periculo ſe objecit. Ad Regis filiam acceſſit; ſed & brachium hominis nuper mortui, ſub pallio ſecum attulit. Interrogatus de factis ſuis, profeſſus eſt, ſceleſtiſſimum ſe perpetraſſe, quod fratris caput amputaſſet; ſolertiſſimum vero, quod ejusdem, a tot cuſtodibus, cadaver, ignotus abſtuliſſet. Fœminæ, cum hæc audiret, manum injicienti, manum mortuam porrexit; quam illa, dum tenacius comprehendit, ille per tenebras elapſus eſt. Demiratus hominis ingenium Rex, tum deniq; hunc quisquis eſſet, publico edicto excivit ac vocavit ad ſe; non modo incolumitatem, ſed & tanta ſolertia dignam pollicitus mercedem. Publica fide cum fur ſe prodidiſſet, filiam ei ſuam, quaſi hominum omnium ingenioſiſſimo Rex collocavit. De Rhampſinito illud etiam narrat Herodotus, eum ad inferos vivum deſcendiſſe, ibi cum *Cerere* luſiſſe alea, aliquando victum, aliquando victorem, a Dea dono reportaſſe aureum mantile.

Argonautarum Expeditio, quam in hoc ævum referunt, percenſenda venit. *Jaſon*, *Æſonis*, Theſſaliæ Regis, ex *Alcimede* filius, a patre morituro, *Peliæ* fratris fidei ac tutelæ commiſſus fuerat, regno ei tradito; hac tamen lege, ut illud Jaſoni adulto

reſtitueret. At, Alcimede mater, ſuſpectum habens Peliam, Jaſonem *Chironi* alendum dedit. Jaſon cum exceſſiſſet ex ephebis, ad repetendum paternum regnum Peliam adiit, is vero juvenem, laudis avidum, ad petendum *Vellus Aureum*, quod in templo Martis apud Colchos erat, excitavit, auxilium opesque ſuas pollicitus, ſperans interim futurum, ut periculi magnitudini ſuccumberet. Fabricata itaque navi, quæ ab architecti nomine dicta eſt *Argo*. Jaſon cum Græcæ juventutis flore, quos inter *Hercules*, *Theſeus*, *Caſtor*, *Pollux*, *Peleus* pater Achillis, *Telamon* pater Ajacis, *Hylas*, *Orpheus*, *Pirithous*, *Periclymenus* frater Neſtoris, nominatim memorandi, mari ſe commiſit. Primum ad *Lemnum* Inſulam appulit, ubi ab *Hypſipyle*, *Thoantis* filia, quæ, quia reliquæ ejus inſulæ mulieres, viros omnes & cognatos occiderant, rerum ibi potiebatur, & hoſpitio, & thalamo exceptus eſt. Deinde ad *Phineum*, Thraciæ Regem defertur, a quo muneris loco edoctus fuit, quomodo per *Cyanum* amnem, inter petras undique concurrentes, in Colchidem tuto navigare poſſet. Huc cum perveniſſet, *Medea*, *Æetæ* Colchorum Regis filia, forma ejus capta, certiſſimo illum eripuit exitio, oſtenſa ratione, qua & æripedes tauros perdomare, & draconem pervigilem ſopire poſſet. Hujus igitur conſilia ſecutus Jaſon, Aureum Vellus ſuſtulit, & inde clam cum ſociis & Medea, fugam arripiens, ad *Iſtri* oſtium pervenit, adverſoque fluvio ſubiens, cum eum tandem locum attigiſſet, ubi Danubius Liburniæ montibus proximus eſt, navim qua vectus erat, ſuis ſociorumque humeris, per montes in mare Adriaticum deportavit, tandemque ſoſpes in patriam reverſus, duos ex Me-

Medea filios ſuſcepit. Sed poſtea, cum *Creuſæ*, Corinthiorum Regis filiæ, amore flagrans, eam uxorem duxiſſet, Medea ægre ferens repudium, Creuſam una cum regia exuſſit.

TAVTANES.

Dicitur & Teutamus, ac 32. annis regnavit.

CONTEMPORANEA.

Iſraëlitas, more ſuo ad gentiles ſuperſtitiones prolapſos, Philiſtæi & Ammonitæ duriter tractarunt. Sic itaque afflicta gens, ad ſanam mentem Deumque rediit, qui Judicem ipſis JEPHTHAM Gileaditem, hominem quidem natalibus obſcurum, e meretrice enim, vel, quod aliis placet, ancilla natus erat, ſtrenuum tamen bellatorem, impertitus eſt. Hunc fratres legitimi, ædibus paternis expulerant, ne quam hereditatis partem attingeret. Is extorris, hominum obæratorum audaciumque, qui ad eum undiq; confluxerant, manu ſtrenua ſtipatus, in Ammonitas impetum fecerat, unde hi magna vi Gileadem oppugnare cœperunt. Quamobrem primores urbis, & in his fortaſſe Jephthæ fratres, ad revocandum exulem, præficiendumq; ſibi Ducem, profecti ſunt, qui, ea tandem lege, annuit rediturum ſe pugnaturumque, ſi Deo propitio victorem, pro ſuo principe in poſterum eſſent habituri. Collectis copiis, ſigna cum *Ammonitis* collaturus, votum fecit, ſi victor foret, oblaturum ſe Deo, quicquid reverſuro primum occurſurum eſſet. Opitulante Supremo Numine, profligati ſunt Ammonitæ, & magna ſtrage cæſi, captæ urbes etiam ac dirutæ viginti. Confecto jam bello, Imperator Jephtha, *Mizpam*, ad ſuos redit, votum quod ſuſceperat Deo ſoluturus.

luturus. Domum accedenti propius, occurrit filia unica, cui, ſi Philoni credimus, *Seilæ* nomen erat, cum typanis & choreis, Επινίκιον pro more canens, ut gratularetur victoriam. Quam, ut vidit, maximo protinus dolore perculſus eſt infelix pater, laceratisq; veſtibus ingemuit. Ab eo edocta rem omnem filia, non voti executionem deprecata eſt, ſed, quod virgo ſine liberis peritura erat, nulla Dei populo a ſe prole aucto, menſes duos ſibi concedi petiit, quibus probrum hoc, una cum aliis virginibus, ſodalibus ſuis lugeat. Iis finitis, executus eſt Jephtha quod voverat.

Quid Jephtha filiæ ſuæ fecerit, & num eam hoſtiam Deo obtulerit, an vero ad cælibem vitam damnaverit, gravis & anceps controverſia eſt in utramque partem. Qui immolaſſe dicunt, immane factum aſſerunt, Divinæ, ut videtur, Legi, Deut. XII. 31. ſanctitati Jephthæ, quæ Hebr. XI. 32. prædicatur, & Spiritus S. motibus, quibus Jud. XI. 29. actus fuiſſe dicitur, ipſi adeo naturæ, & rationi adverſum. Qui immolaſſe inficiantur, ex difficultatibus, quæ ex Scripturæ textu formantur, haud ita facile ſe expedient: ac proinde etiam affirmantium opinio melioribus videtur niti argumentis. Comprobat enim hanc (1) voti formula Jud. XI. 31. *Et offeram illud in holocauſtum.* Ex quo manifeſte colligitur, fuiſſe hanc devotionem ad mortem, nec eam civilem, ſed naturalem, & cum deſtructione conjunctam. (2) Voti adimpletio: his verbis expreſſa: *Et fecit illi ſecundum votum ſuum quod voverat.* Ergo, ſi voto reſpondit executio, immolatam fuiſſe filiam neceſſe eſt. (3) Petit filia duos menſes deflendæ virginitati: unde non immerito colligitur, ipſam fuiſſe mactandam. Nam,

Nam, ſi ſimpliciter Deo conſecranda erat ; & obſtringenda perpetua virginitate , ſat jam temporis huic deflendæ ſuppetebat deinceps ; ſive cum ſecludenda, ſive cum eſſet ſecluſa. (4) Voti Virginitatis nullum in Veteri Teſtamento veſtigium, præceptum in Lege nullum ; nullum exemplum. (5) Annon æque facile ex illo domeſticorum aut hoſpitum numero, maritata ; vel vidua, vel corrupta ; ex maribus vero, vel uxoratus, vel pollutus obviare primum reduci Jephthæ potuit ? Ergone & hi obſtringendi voto perpetuæ virginitatis, ac pariter ſecludendi ? (6) Accedit conſenſus omnium Veterum tum Judæorum, tum Chriſtianorum. De priorum mente nobis conſtat ex Interpretibus Græcis, ex Chaldaica Paraphraſi, ex Syro, Joſepho, Talmudiſtis. Conſonant Patres ſive Græci ſive Latini, apud quos hiſtoriæ mentio: Juſtinus Martyr, Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Huc redeunt vetuſtiſſimæ Chriſtianorum Verſiones, Scholaſtici, & Romanæ Eccleſiæ Doctores plerique. Et vero, nihil adeo illis temporibus inauditum humana victima. Ad internecionem delebant Judæi integras gentes, quaſi tot victimas Deo devotas. Etiam cruentum votum Iſmaëlitæ ſolemniter vovent, pari ſpe victoriæ Num. XXI. 2. Haud longe abſimili ratione, victoria potiturus Saul, devovit anathemate ex ſuis primum quemque 1. Sam. XIV. 24. Acceſſit lex illa, de devovente ex hominibus aliquem ſuæ poteſtatis, Levit. XXVII. 28. utcunque permiſſiva, ſi non imperativa, & facile ex hinc trahenda in abuſum. Quin & exemplo Abrahami, non tuti quidem, at certe decepti eſſe potuerunt Judæi, ut putarent iſtiusmodi

hoſtias

hoſtias, in caſibus extraordinariis, Deo non eſſe exoſas.

Cæterum Jephtha, poſt reportatam ab Ammonitis victoriam, etiam *Ephräimitarum* inſolentiam repreſſit: qui, prædam & gloriam Gileaditis invidentes, Jordanem ingenti numero hoſtiliter tranſierant, nec verbis coërceri poterant. Cæſa enim ſunt partim in prælio, partim in tranſitu Jordanis, dialecti varietate deprehenſa, quod vocem שבולת *Schibbolet*, quæ *Spicam* notat, cum aſpero ſibilo enunciare non poſſent, ſed *Sibbolet* loquerentur, Ephräimitarum 42000. Sic Deo ſuperbiam & idololatriæ pertinaciam, quo utroque vitio tribus illa nimium quantum infecta erat, juſte vindicante, & Jephthæ poteſtatem in totum populum confirmante.

Jephtha, non niſi ſex annos Judicis officium geſſit. Iis expletis, fato functus eſt, ac ſepultus *in civitatibus Gilead*. Id Judæi ſic interpretantur, ejus corporis membra, ob parricidium in filia patratum, marcuiſſe ac defluxiſſe, dumque peragraret Gileadem, amiſiſſe ſingula in ſingulis urbibus.

Poſt Jephtham, EBZAN Bethlehemita, præfecturam populi Iſraëlitici nactus eſt, tenuitque ſeptennio. Erat ei præſidio *Filiorum* XXX. valida manus, quibus omnibus uxores in ſuam adſcivit domum; itemque *Generorum* totidem, quibus filias XXX. elocaverat.

Ebzane mortuo, ELON Sebulonita, annis decem principatum geſſit.

Hunc excepit ABDON, nulla re memorabilis, niſi Filiorum XL. & XXX. Nepotum progenie; qui omnes, *aſellis* vehebantur, vel ex virorum prima-

riorum

riorum more; vel, ut patrem, totius gentis principem, comitatu ſuo ſtiparent.

Priamus, Rex Trojanus, *Laomedontis* filius, *Ilio* ab Hercule everſo, una cum *Heſione* ſorore, in Græciam captivus abductus eſt. Poſtea auro redemtus, Ilium inſtauravit ſimul, & exornavit, Regnique limites usque adeo protulit, ut non ſolum *Trojæ*, ſed totius fere Aſiæ Rex videretur. Pater fuit 50. Filiorum, quorum 17. vel ſecundum Homerum 19. ex juſta uxore *Hecuba*, *Ciſſei* Thraciæ Regis filia, cæteros ex pellicibus ſuſcepit.

Paris, Priami & Hecubæ filius, alio nomine *Alexander* dictus eſt. Ejus matri, cum illa ſe facem ardentem parere ſomniaſſet, Conjectores reſponderunt, fore, ut filius quem in utero geſtabat, cauſa eſſet excidii Trojani. Qua re cognita, Priamus puerum, ubi primum natus fuit, *Archelao* ſervo exponendum tradidit. At *Hecuba*, tum materno affectu, tum infantuli forma commota, curavit ut furtim nutriretur a paſtoribus in *Ida* monte. Cum autem in dirimendis controverſiis eſſet æquiſſimus, maximam juſtitiæ famam ſibi comparavit, adeo, ut orta inter Deas, *Junonem*, *Palladem* & *Venerem*, de formæ præſtantia diſceptatione, judex ſit conſtitutus. Præterea, cum eſſet fortiſſimus, in agonali certamine quod ad Trojam agebatur, cum alios ſuperavit, tum ipſum etiam *Hectorem*. Qui, cum ægre ferret a paſtore ſe eſſe ſuperatum, gladiumque in eum ſtringeret, Paris illi aperuit ſe ejus fratrem eſſe germanum, quod & allatis crepundiis probavit. Sic igitur cognitus, a Patre receptus eſt. Deinde conſtructis 20. navibus, ſub ſpecie legationis, ad repetendam *Heſionem*, quam *Telamon* Rex Salaminis Inſulæ,

Æaci

Æaci filius, ex Argonautis qui Troadem adierant, rapuit, in Græciam miſſus eſt, ubi a *Menelao*, Spartanorum Rege, Agamemnonis fratre, hoſpitio fuit exceptus. Verum, cum ille, neceſſaria de cauſa in Cretam navigare cogeretur, Paris *Helenam*, Menelai conjugem, Jovis ex *Leda*, Tyndari, Laconiæ Regis uxore, filiam, quam mutuo amore deperibat, rapuit, & Trojam ſecum abduxit.

Ob raptam Helenam, Principes Græciæ conjurarunt in Trojanos, rati, communem contumeliam communi bello vindicandam. *Agamemnon*, Menelai frater, qui *Clytemneſtram*, Helenæ ſororem, in conjugio habebat, Imperator deſignatus eſt, bellumque viribus maximis, & varia utrinque clade, per decennium geſtum, *Achille*, *Ajace*, *Diomede*, *Vlyſſe*, Græcorum; *Hectore*, *Memnoneq;* Trojanorum Ducibus. Tandem finitum eſt *excidio Trojæ*, Priamique ipſius, ac filiorum omnium interitu; cum quindecies centena hominum millia ex parte utraque occubuiſſent.

Vir apprime doctus, *Chriſtophorus Adamus Rupertus*, hujus quondam Lycei Profeſſor non inglorius, in Notis ad Hiſtoriæ Vniverſalis Synopſin Beſoldianam, fere quicquid de excidio Trojano vulgo fertur, operoſius paulo ad Poëtarum commenta retulit, autorem ea in re ſecutus *Dionem Chryſoſtoſtomum Coccejanum*, Dionis Cocceji Hiſtorici avum vel proavum maternum, ad Sacerdotis cujusdam Ægyptii fidem provocantem. Agnoſcens autem deinde Rupertus, ſe neſcire quale fatum Trojæ fuerit, denique huc evadit, ut exiſtimet, Trojam periiſſe terræ motu, aut inundationibus, quibus ora illa maxime fuerit obnoxia. Enim vero, quod ab

ab omnium gentium Hiſtoricis proditum, orbis univerſus ſemper pro vero habuit; cui item tota profanæ Hiſtoriæ chronologia ſuperſtruitur, non tam facile unius hominis teſtimonio, & ratiunculis haud ita multum in receſſu habentibus deſtruitur. Nec ſummæ rei admodum officit, illa circumſtantiarum quarundam diverſitas, circa quas Poëtarum licentiam multa ſibi indulſiſſe negari nequit. Tum vero ipſa Trojæ, qualem etamnum ſervat facies, arguit, bello & igne urbem devaſtam eſſe, non terræ motu aut inundationibus. Narrat enim Bellonius, ſuperare in hanc usque diem admiranda murorum & ædificiorum Trojæ rudera, inter quæ præcipue turris cum quadrilatera baſi; reliqua confuſa jacere. Lapides ipſos poroſos eſſe, manifeſto incendii indicio; quales, terræ motus, & aquarum eluvies, minime poſt ſe relinquunt. Idem confirmat, extra murorum ambitum, magna conſpici ſepulchra e marmore, antiqui operis, ex unico lapide adinſtar ciſtæ excavata, cum operculis adhuc integris. Arcium quoque duarum parietinas apparere conſpicuas.

Nunc *Vlyſſis* & *Æneæ*, quorum ille Græcorum, hic Trojanorum interfuit ac præfuit rebus, hiſtorias integras afferre oportet, utut fabulis refertas, & ingenti metachroniſmo circa ea quæ de Didonis & Æneæ amoribus feruntur, laborantes, cum huic illa aliquot ſeculis fuerit poſterior. Sed, iſta cognita habere oportet, quia non parum conferunt ad Homerum & Virgilium, uti humani ingenij vim, ita omnem laudem ſupergreſſos Scriptores, & quibus in omni profana literatura nihil præclarius extat, intelligendos. Atq; Virgilius quidem, plane ad imitationem Homeri ſe compoſuit, ita ut ad nulla fere loca

Ff Home-

Homerus deduxerit Vlyſſem, quin ad ea poſtea paribus caſibus, paribusque pæne rerum eventibus, appulſus narretur Æneas, paulo tamen alio itineris ordine. Nempe, quia ipſe non reverſus eſt in Aſiam ad Ilium, quemadmodum poſt longos errores Vlyſſes in Ithacam ſuam.

VLYSSES, Rex Ithacæ & Dulichii Inſularum, filius *Laërtæ* & *Anticleæ*, vir fuit vafer conſilio, & eloquio promtus; nec minus fortis manu, & laborum patientiſſimus. Vxor ei *Penelope*, Icarii filia, ex qua *Telemachum* filium ſuſcepit: eamque tantopere adamavit; ut reliquis Græcorum Principibus ad bellum Trojanum proficiſcentibus, ipſe inſaniam ſimulaverit, futurum ſperans, ut tanquam bello inutilis, domi relinqueretur. Junctis itaque aratro duobus diverſi generis animalibus, litus proſcindebat, frugum loco ſalem ſeminans. Cæterum *Palamedes*, *Nauplii*, Eubœæ Regis filius, ſuſpicans doloſe agere Vlyſſem, ut technas deprehenderet, Telemachum filium aranti objecit; quo viſo, Vlyſſes, ne filium læderet, aratrum ſublevavit, ſimul autem hoc argumento oſtendit, ſimulatam, non veram, ſuam eſſe inſaniam. Pertractus itaque ad *Trojam*, utilem operam Græcis navavit. Nam & *Achillem*, inter *Lycomedis* Regis filias virginali habitu latitantem, ad bellum adduxit; & *Sagittas Herculis*, a Philoctete impetratas, ad Trojam pertulit; *Cinerem* præterea *Laomedontis*, qui ſuper Scæa, porta Ilii ſervabatur, clam ſuſtulit. Miſſus deinde explorator cum *Diomede*, Ætoliæ Rege, *Rheſum*, Thraciæ Regem occidit, equosque ejus abduxit. Erant autem hæc omnia in Trojanorum fatis, ſine quibus eorum urbs expugnari non poterat. Deinde, cum in Thraciam ut fru-

frumentum adferret, miſſus, nihil attuliſſet, cauſatus, nullas fruges ibi reperire ſe potuiſſe, *Palamedes* vero qui poſtea iverat, earum haud modicam copiam nactus eſſet, odio erga Palamedem exarſit. Quamobrem adulterinam Priami nomine epiſtolam ſcripſit, in qua agebat Palamedi ob proditionem gratias, commemorabatque ſecretum auri pondus eſſe transmiſſum, quod ipſe Vlyſſes, per corruptos ſervos, in tentorio ejus defodi curaverat. His igitur literis in Græcorum Concilio recitatis, Palamedes proditionis accuſatur. Ibi Vlyſſes, reo ſe adeſſe ſimulans, hoſtilibus literis nihil fidei habendum contendit, easque re ipſa facile poſſe coargui, ſi Palamedis tentorium ſcrutarentur; in quo, ſi aurum inveniretur, nullum illum ſupplicii genus recuſare. Miſſi itaque qui tentorium Palamedis explorarent, cumque aurum inveniſſent, Palamedes velut infidelitatis reus, lapidibus obrutus eſt. Capta Troja, cum navim conſcendiſſet, in patriam rediturus, gravi exorta tempeſtate, primum in *Ciconum* litus pulſus eſt. Inde rurſus ſolvens, ſimili tempeſtate in *Africam* ejectus, ad *Lotophagorum* gentem pervenit, ubi cum Socii Lotum guſtaſſent, ægre inde potuerunt avelli. Hinc porro vela faciens, in *Siciliam* delatus eſt, ubi *Polyphemi* antrum, cum XII. Sociis intravit; ex quibus cum Cyclops ſex devoraſſet, oculum ei Vlyſſes eruit præuſto ſtipite, velleribusq; arietum involutus, cum ſuperſtitibus ex antro evaſit. Deinde in *Æoliam* navigans, ab *Æolo* ventos in utrem coactos obtinuit. Verum, cum jam Ithacæ proximus eſſet, Socii, in utre theſauros conditos arbitrantes, eum ſolverunt, quo facto, reflantibus ventis, denuo in Æoliam reverſus eſt. Cæterum, ab Æolo abactus, ad *Læſtrygonas*,

gonas, immaniſſimam, & humanis carnibus veſcentem gentem, quæ *Formias* Campaniæ urbem incolebat, pervenit, quam, ob ſævitiem fugiens, ad *Circen*, Solis & Perſes Nymphæ filiam, veneficiis præſtantem, quæ in Circæo monte degebat, pervenit. Ea, cum Socios illius ad explorandum miſſos, omnes præter *Eurylochum*, qui a potu ejus abſtinuit, in belluas commutaſſet, ipſe ſumta a *Mercurio Moly* herba, acceſſit impavidus, & ſtricto gladio eam coëgit, ut Socios priſtinæ formæ reſtitueret. Id cum feciſſet, illius poſtea conſuetudine integro anno uſus, *Telegonum* filium ex ipſa ſuſcepit. Poſt hæc ægre ab ea dimiſſus, *Oceanum*, Cœli & Veſtæ filium, maris Deum, Thetidis maritum adiit, ibique peractis ſacris, ad Inferos deſcendit, ubi ab *Anticlea* matre, & *Tireſia* vate, multis de rebus certior factus, ad Circen revertitur, & *Elpenorem* ſocium, qui nuper ebrius de ſcalis deciderat, honorifica proſequitur ſepultura. Haud multo poſt ad *Sirenum* Inſulam delatus, ne illarum cantus audiret, Sociis aures cera obturavit, ſe autem ad navis malum alligari fecit, hacque ratione illarum inſidias eluſit. Sic porro *Scyllam* tranſiens & *Charybdin*, non ſine maximo periculo in *Siciliam* venit, ad ea loca, ubi *Phaëtuſa* Solis filia, cum duabus Sororibus, greges patris paſcebat, quibus nullam injuriam aut vim inferre præcepit. At, ipſo dormiente, Socii fame coacti, ſuadente etiam Eurylocho, multa ex gregibus animalia mactavere, quod ſcelus, poſtea naufragio luerunt, adeo, ut ex omnibus ille ſolus evaderet, qui arrepto navis malo, per univerſos novem dies, a vento & undis varie agitatus, tandem ad *Ogygiam* Inſulam appulſus, a

Calypſo

Calypſo Nympha ſuſceptus, ſeptem annos apud illam exegit, ac *Nauſithoum* & *Nauſinoum* filios genuit. Tandem miſertus ejus *Jupiter*, Mercurio in Ogygiam miſſo, imperat Nymphæ, Vlyſſem abire permitteret. Confecta itaque rate, Vlyſſes iterum ſe mari committit, verum, cum jam Phæacia in conſpectu eſſet, ſubito a Neptuno immiſſa tempeſtas, navem fregit, actumque de Vlyſſe erat, niſi ejus miſerta *Leucothoë*, tabulam illi ſuppeditaſſet, cui ipſe innitens, incolumis in *Phæacenſium portum* adnavit, ibidemque quod nudus eſſet, inter virgulta ſeſe occultavit; cui *Nauſicaa*, Alcinoi Phæacum Regis filia, cum in illum forte fortuna incidiſſet, veſtes largita eſt. Mox, ad Alcinoum deductus, dono navem & ſocios accepit, qui eum in *Ithacam* reduxerunt. Vbi cum dormientem expoſuiſſent, excitatus a *Pallade*, ejus monitu, mendici habitum aſſumſit, eoque modo ad ſubulcos ſuos pervenit, apud quos Telemachum quoque vidit. Demum ab *Eumæo* porcario, incognitus domum ducitur, ubi poſt multas injurias ſibi a procis Penelopes illatas, tandem ab *Euryclea* nutrice agnitus, arma cum filio & duobus ſubulcis ſumens, procos ad unum omnes trucidavit. Dehinc, cum ex Oraculo didiciſſet, ſe a filio interemtum iri, in locis abditis vivere decrevit. *Telegonus* autem filius ex Circe procreatus, patrem ſuum videre cupiens, Ithacam profectus eſt, ubi cum incognitus domo patris prohiberetur, orta contentione, inſcius patrem ſpina venenoſa Trygonis piſcis interemit. De reliquo, *Penelope*, Vlyſſis uxor, inexpugnabilis caſtitatis mulier fuit, quippe quæ totos XX. annos, abſente marito, nullis aut parentum precibus, aut procorum, qui numero plurimi erant, ad-

adduci ſe paſſa eſt, ut fidem quam viro diſcedenti dederat, ſecundis nuptiis violaret. Cum autem proci acrius inſtarent, tantum moræ ab illis ſibi pepigit, quantum telæ, quam tum in manibus habebat, abſolvendæ ſufficeret. Quod, cum impetraſſet, quicquid interdiu texerat, noctu retexebat.

ÆNEAS, Anchiſæ & Veneris filius, inter præcipuos erat Trojanorum Principes. Decimo belli Trojani anno, Græci, attritis jam viribus, ad dolum confugiunt, & fugam ſimulantes, circa *Tenedum* latitant, relicto in agro Trojano, quaſi dono votivo Minervæ pro felici reditu, equo ligneo, tantæ magnitudinis, ut portis urbis recipi non poſſet; ejusque alvo lectiſſimos quosque duces militares includunt. Inſcripſerant: *Danai Minervæ dono dant.* Trojani, Græcos abiiſſe rati, triumphare omnes præ gaudio; equum vero ingentem perluſtrantes, obſtupeſcere, altercarique variis de ea re ſententiis. Tandem ruptis mœnibus, eum in urbem funibus pertrahunt. Nam & *Sinon*, homo vaferrimus, fidem fecerat perjuriis, Minervæ hoc donum ſi violaretur, Trojanis id exitio futurum: ſi in urbem reciperetur, magna Græcis mala denunciari. Lætitia ſumma, conviviisque lautiſſimis, feſtus hic eſt Minervæ celebratus dies. Quo autem plus interdiu potaverant, eo arctior Trojanos noctu ſomnus amplexus eſt. His ergo altum dormientibus, Græci litus Trojanum repetunt, adventumque ſuum, ex puppi regia, elatis facibus denunciant. Quos cum Sinon, Græcorum ſpeculator, animadvertiſſet, e veſtigio Equi clauſtra laxavit, ac tum Græcis erumpentibus, omnia ferro flammisque fœdantur. Æneas interim, ab Hectore in ſomnis admonetur, ut

ſibi

ſibi fuga conſulat, Deosque patrios incendio eripiat: nam, jam Priami Regia oppugnabatur, ipſeque *Priamus*, a Pyrrho Achillis filio erat interfectus.

Per patrios vero Deos præcipue intelligere oportet *Palladium*. Id Palladis ſimulacrum erat, e ligno compactum, movens oculos, atque haſtam, quam manu tenebat, quatiens. Id vero, cum apud Trojam Arx, & in ejus ſummo Templum Palladi conderetur, e cœlo cecidit, & locum ſibi illo in templo delegit, nondum cooperta æde; moxque ab Apolline editum eſt oraculum, exitio civitati futurum, ſi id ſimulacrum extra muros portaretur. Ajunt, Palladium deinde Romæ, in Veſtæ templo, cuſtoditum fuiſſe. Cæterum, Æneas, cum nihil ſpei reliquum eſſet, Palladium Anchiſæ patri committit, eoque in humeros ſublato, & *Aſcanio* filio, ac *Creuſa* uxore, Priami & Hecubæ filia, aſſumtis, fugam arripit, Græcis a tergo inſequentibus. In eo tumultu Creuſam uxorem amittit; cujus quærendæ cauſa, per totam urbem oberranti, obvia fit uxoris umbra, virumque mortis ſuæ certiorem facit: ipſe ad ſocios revertitur, quo jam magna virorum mulierumque multitudo confluxerat. Ergo collectis Trojæ reliquiis, parata XX. navium claſſe, primum in *Thraciam* defertur, ubi cum futuræ urbis fundamenta poneret, territus *Polydori*, a Polymneſtore occiſi, prodigiis, deinde *Delum* maris Ægæi Inſulam, clariſſimam Cycladarum petit, conſultoq; ibi Apollinis oraculo, cum antiquam gentis ſuæ matrem, hoc eſt primam originis terram repetendam comperiſſet, falſa Anchiſæ patris interpetratione inductus, *Cretam* contendit. Verum, & peſte ibi agitatus, &, in

ſomnis a Diis penatibus monitus, relicta Creta *Italiam* contendit. At, ſubito oborta tempeſtate, primum ad *Strophades* Inſulas delatus, ab *Harpyis* infeſtatur: mox, *Actium* perfectus, in honorem Apollinis ludos celebrat. Inde *Corcyram* prætervehens, *Epirum* tenet, quæ, id temporis *Heleno* Priami filio parebat, cui poſt Pyrrhi cædem, *Andromache*, Hectoris uxor, in conjugium ceſſerat. Helenus Æneam hoſpitio excipit, omnique humanitatis genere complectitur, &, quia vaticinandi peritia pollebat, imminentium terra marique periculorum commonet. Æneas, relicta Epiro, Italiæ oram cum legiſſet, ad eam Siciliæ partem, cui *Ætna* mons vicinus eſt, defertur. Ibi *Achæmenidem*, ab Vlyſſe in Cyclopis antro deſertum, ſupplicem recipit, edoctusque ab eo multa de Cyclopum feritate, inde ſolvit, memorque præceptorum Heleni, vitatis *Charybdis* & *Scyllæ* periculis, *Siciliæ* litora longo circuitu circumvectus, tandem ad *Drepanum* adventat, ubi Anchiſes, tum ſenio, tum longæ navigationis jactatione fatigatus, fatis concedit. Dehinc Italiam petiturus, immiſſa ab Æolo ſubita tempeſtate, jam ſeptimo erroris anno, in Africam ejicitur. Egreſſus hic loci in terram, ſeptem ingenti magnitudine *cervos* ſagittis proſternit, ſingulosque in ſingulas naves, (tot enim ex diſperſa claſſe collegerat) æqualiter diſtribuit: ſociosque deinde longis jam ærumnis fatigatos, ſpe futuræ quietis, ad tolerandum, quod reliquum erat laboris, hortatur. Interea *Venus*, Æneæ ſui, Trojanorumque cauſam apud Jovem agit, omniumque calamitatum illarum cauſam Jovi imputat. *Jupiter* contra, reſerata fatorum ſerie, ſpe felicis poſteritatis, potentiæque Romanorum, filiæ

filiæ dolorem ſolatur. Illius oratione confirmata Venus, Æneæ ſuo, locorum ignaro, & explorandæ regionis cauſa huc illuc oberranti, ſeſe obviam præbet, naveſque diſperſas ſalvas eſſe nunciat: oſtenditque non procul inde abeſſe *Carthaginem*, quam tunc condebat *Dido.* Æneas igitur, matris beneficio cava nube cinctus, una cum *Achate* Carthaginem ingreditur; ubi ſocios ſalvos reperit, & a Didone benigne excipitur. Venus tamen, quod neque Junonio hoſpitio, neque muliebri inconſtantiæ ſatis fideret, ſopito in Italiæ lucis Aſcanio, pro eo *Cupidinem* ſubſtituit, qui inter amplexus & oſcula, latenter Reginæ amorem inſpirat Æneæ. Dido, amore Æneæ flagrans, animi ſui morbum ſorori aperit, ejuſque conſilium ſecuta, ad nuptias mentem adjicit. Juno quoque, ut eo facilius Æneam ab Italia averteret, agit cum Venere, ut ejus bona cum venia, liceat Æneæ Didonem uxorem ducere; quoque id commodius fieri poſſit, ſe opportunitatem oblaturam pollicetur. Poſtridie Æneas & Dido venatum proficiſcuntur, ibi omnibus jam prædæ intentis, Juno ſubitam immittit tempeſtatem. Comites alius alio diffugiunt: Æneæ & Didoni idem antrum receptum præbet, ibique infauſtis ominibus conjunguntur. Cæterum Jupiter, *Jarbæ* Getulorum Regis, qui advenam ſibi præferri dolenter admodum ferebat, precibus fatigatus, *Mercurium* mittit ad Æneam, jubetque, ut relicta Africa, in Italiam naviget. Ille, Jovis imperio morem gerens, quæcunq; ad navigationem erant neceſſaria, clam per ſocios parari jubet. At Dido, ubi claſſem inſtaurari ſentit, ſuſpicata id quod res erat, graviter cum Ænea expoſtulat, precibuſque & lacrymis tum per ſeipſam, tum

per ſororem, illum ab incepto revocare nititur. Æneas interim, in ſomnis a Mercurio admonitus, intempeſta nocte vela ventis dat, unde Dido doloris impatiens, in editiſſima ædium parte, ſimulatione ſacrorum, ingentem pyram conſtruit, & in eam ardentem ſe conjicit. Enim vero Æneas, Africa relicta, in Italiam navigans, vi tempeſtatis in *Siciliam* defertur, ubi ab *Aceſte* benigne exceptus, Manibus Anchiſæ patris, quem ſuperiori anno, eodem die apud Drepanum ſepeliverat, anniverſarium ſacrum facit, Ludosque apud tumulum ejus inſtituit, ſuaque victoribus præmia elargitur. Poſt hæc Trojanæ mulieres, hortatu *Iridis*, longæq; navigationis tædio, ignem in Claſſem conjiciunt, quatuorque naves exurunt: reliquæ, immiſſa ſubito a Jove pluvia, incendio fuere ereptæ. Tum Anchiſes, Æneæ filio in ſomnis apparens, Jovis verbis illum admonet, ut mulieres imbellesque ſenes in Sicilia relinquat, ipſe cum juventutis robore, & integræ ætatis flore in Italiam contendat, *Sibyllæque* imprimis antrum adeat, quæ in campos Elyſios illum ſit ductura, ac ſermone enarratura omnem poſteritatis ejus ſeriem. Obſequens Æneas paternis monitis, prius in Sicilia urbem condit, nomine *Aceſtam*, ibiq; ſenum fœminarumque imbelli turba relicta, porro Italiam verſus navigationem dirigit, cui, Veneris precibus exoratus Neptunus, mare tutum præſtat. Sic *Cumas* advectus Æneas, antrum *Sibyllæ* petit, peractoq; de more ſacrificio, ab ea ad Inferos, quin & ad beatorum ſedes deducitur. Quæ loca, poſtquam accurate exploraverat, multaque ibi notaverat, cum Anchiſe patre colloquutus, per eburneam portam ad ſuperos egreſſus, ſocios reviſit, relictisque Cumis, locum

petit,

petit, cui, a nutrice, quam ſepelivit, *Cajetæ* nomen indidit. Circes deinde prætervehitur ſedem, ſecundoque vento ad Tiberis oſtia delatus, adverſoque flumine ſubvectus, in *Laurentinum* agrum egreditur. Hîc, cum ex Aſcanii verbis cognoviſſet, eam eſſe terram, fatorum lege ſibi debitam, *ad Latinum*, qui illius tractus regnum obtinebat, centum Oratores mittit, qui, & ſuo nomine munera illi offerrent, & urbis condendæ locum peterent. Latinus, legatione benigne audita, præter poſtulata, *Laviniam* filiam ſuam, quam ex *Fauni* patris ſui oraculis, & Augurum reſponſis, externo viro tradere jubebatur, ultro Æneæ conjugem offert. Interim Juno, proſperis Trojanorum rebus offenſa, *Alecto* ad diſturbandam pacem ex inferis evocat: quæ, primum *Amatam*, Latini uxorem, deinde ipſum etiam *Turnum*, Rutulorum Ducem, furiis ſuis implet, ut advenæ hominis honorem, ſuam injuriam interpretarentur. Inde ad Trojanorum juventutem converſa, quæ tum forte venationi operam dabat, manſuetum illis *Cervum* objicit, *Tyrrhei*, armentarii Regii liberis imprimis charum: quem, cum Aſcanius ſagitta vulneraſſet, ruſtici, arreptis armis, in Trojanos impetum faciunt. Alecto igitur claſſicum canit, caduntque eo in tumultu, *Almon*, Tyrrhei filius natu maximus, & *Geleſus*, agricola regionis totius maxime locuples: qui, cum in urbem mortui eſſent illati, Turnus & Amata Regem Latinum ad bellum ſuſcipiendum, injuriamque manu vindicandam exſtimulant. Verum cum ille, & fatorum, & fœderis nuper cum Trojanis initi memor, adduci non poſſet, ut illis bellum indiceret, Juno ipſa omnia miſcet, ac præter Turnum, *Mezentium* quoque Tyrrhenorum Regem una

cum

cum *Lauro* filio, alioſque complures, adverſus Trojanos concitat. Commiſſo prælio, Turno Latinoque peremtis, Æneas Lavinium victoriæ fructum tulit, Regnoque Latinorum potitus eſt, cum prius quinque Reges, Janus, Saturnus, Picus, Faunus, & denique Latinus, illud 150. annis ordine tenuiſſent. Tum *Phryges*, novi hoſpites, Latinorum nomine legibusq; aſſumtis, in unam cum iis civitatem coaluere. Æneas quarto Regni anno, a Mezentio oppugnatus interiit. Ejus corpus quia minime fuit repertum, proditum, Jovem, Veneris precibus id tribuiſſe, ut Æneas, quia laboribus exhauſtus, ad finem ævi venerat, in agri Laurentini flumine *Numitio*, mortalitatem ablueret, interq; Indigetes Deos transferretur. Cæterum *Aſcanius*, Ænea natus, *Lavinium* Latii urbem, quam pater condiderat, novercæ Laviniæ relinquens, novam ipſe aliam, in Albano monte condidit, *Albam Longam*, appellatam. Atque hæc quidem *Alba* dicta eſt, ab alba ſue cum 30. porcellis, (& totidem annis Aſcanius regnavit,) cum fundamenta jacienda eſſent, reperta; *Longa* vero, ab exporrecto illius tractu.

Agamemnon, Mycenarum & Argivorum Rex, Græcorum, qui Trojam oppugnaverant, Imperator, Ilio capto, ad *Clytemneſtram* uxorem revertitur: quæ, abſente marito, cum *Ægiſtho*, Thyeſtis filio conſueverat, ei uſuram corporis concedens. Illa igitur, redeuntem, ope adulteri, in convivio enecat. Quin & *Oreſtem* filium peremtura erat, niſi hunc *Electra* ſoror exitio eripuiſſet; &, ad *Strophium*, Phocidis Regem, clam miſiſſet educandum. Is poſtea Argos rediit, ubi una cum hoſpitibus Phocenſibus, quos Strophius ad Ægiſthum miſerat, tanquam Oreſtis mortem nunciaturos, ad Clytemneſtram introductus, adjutore Pylade, matrem una cum adultero vita privavit.

MILLLENARII III.
SECVLVM IX.
THINÆVS.

REgnavit annos 30.

CONTEMPORANEA.

Abdonem, in præfectura Iſraëlitica, & vindicando ab hoſtibus Dei populo, excepit fortiſſimus mortalium SIMSON, Danita, ei rei ab ipſomet Deo deſignatus. Natus eſt matre ſterili, patre *Manoa*; Deoque conſecratus ex utero, comam, ex Nazaræorum lege, aluit perpetuam, voti ſymbolum. Cum ætatem juvenilem attigiſſet, amore correptus eſt puellæ cujusdam in oppido Palæſtinorum *Thimnata*: itaque parentes oravit, ea ſibi ut daretur uxor. Tergiverſabantur illi primum, ſed urgebat propoſitum filius, dictante Deo ſcilicet, quo anſam inde opportunam nanciſceretur, ad ulciſcendas Palæſtinorum injurias. Igitur nuptiæ pactæ ſunt: cumque ad conciliandam ſibi uxorem una cum parentibus proficiſceretur, occurrit ei paululum a via divertenti ſoli, *Leo* rugiens, quem inermis compreſſit laceravitque: in cujus exuviis deinde ſub reditum, apum reperit examen, favosque mellis. Teſtatur Plinius l. 7. apes non ſolere mella conficere, niſi vel in alveo, vel in arbore, vel in cavernis ſub terra, & imprimis fugere graves odores, quales ex putribus cadaveribus exhalantur: & crabrones atque fucos veſci cadaveribus, apes ea non attingere. Non deſunt igitur, qui aliquid hac in re divinæ providentiæ ſupra naturam tribuant. Erat Simſoni ſponſo, pro more con-

convivium apparandum ſponſæ propinquis amicisq; per ſeptem dies. Eo tempore ſocios habuit ſibi triginta datos a Palæſtinis, ſive convivas, ſive ne quid ille rerum novarum moliretur. His Simſon, per ludum, propoſuit *ænigma*, non ſine præmio, ſi attigiſſent ipſam rem, veſtium triginta, & triginta tunicarum: totidem pro mulcta ſibi pactus, ſi aberrarent, & ſeptenis convivii diebus illud non diſſolverent. Ænigma vero propoſuit hujusmodi: *Ex comedente cibus prodiit, & ex forti dulcedo.* Socii convivales ſponſi, cum per dies tres fruſtra fatigaſſent ingenia, ſponſam adeunt, ac minitantur, eam ſe, paternamque domum illius, deleturos flammis, niſi ex marito ænigmatis exploraret ſecretum. Ergo inſtare apud Simſonem precibus non deſtitit, donec arcana didicit, quæ deinde ſuis prodidit popularibus. Solverunt proinde ænigma, atque Simſon, quanquam non ignarus, illos ſua vitula araſſe, ut veſtes, quas pollicitus fuerat, diſſolveret, unus in viros 30. irruit Aſcalonitas; quibus interfectis, eorum veſtibus, mulctam quam debebat luit. Vivis ſpirantibusq; detractas fuiſſe quidam perhibent, ne cadavera contrectando ſeſe pollueret. Niſi potius dicendum, agente Simſonem ſpiritu Dei geſta eſſe hæc, ut nihil eſſet, quod non ei liceret. Sed uxoris perfidia adeo Simſonem irritavit, ut iratus inde diſceſſerit, neque eam duxerit domum, ſed apud patrem reliquerit. Is, cum filiam ita derelictam apud ſe cerneret, uni e ſociis convivalibus, ne poſt nuptias celebratas, ſponſæ deeſſet maritus, eam uxorem tradidit. At rediit Simſon, poſtquam ira deferbuit, renovatique amoris pignus hœdum attulit. Cum autem ſponſæ conſuetudine frui vellet, prohibuit ſocer eum cum uxore

aliena

aliena rem habere, cauſatus, credidiſſe ſe, quod filiam odiſſet; itaq; alii nuptum datam eſſe. Habere ſe autem filiam aliam, natu quidem minorem, ſed formā præſtantiorem, hanc ſe traditurum ſororis vice. Renuit Simſon illam accipere, atque offenſus injuria, in Philiſtæos univerſos, quando nec prohibuerant eam, nec illatam protinus vindicaverant, graſſari hoſtili more ſtatuit.

Triticea jam forte meſſis agebatur, cepit igitur trecentas *vulpes*, quarum ferax habebatur Palæſtina. His per caudas inter ſe colligatis, in ipſo nodo, ſingulis paribus accenſam interpoſuit facem: ita in agros immiſſæ, tritico jam maturo & arido, ut facile conciperet flammas, ſegetem, vineas, & oliveta corruperunt. Philiſtæi, calamitatis autorem quærentes, re perſpecta, Simſonis ſocerum & filiam, flammis ultricibus addixerunt. Ipſe Simſon, a Philiſtæis poſtulatus ad ſupplicium, & ab Hebræis, qui tum illorum imperio tenebantur, vinctus deditus, ruptis repente vinculis, arrepta, quæ forte ſe offerebat, aſini maxilla, mille hoſtium proſtravit, iis qui ſupererant fugatis. Laſſo e labore, & ſitienti, Deus, e maxillæ aſinæ, quam objecerat, molari dente, ſcaturiginem aquæ profluentem conceſſit. Poſt hæc Simſon portas Philiſtæorum *Gazæ*, quibus claudebatur, una cum poſtibus loco motas, & in humeros ſublatas, per aliquot milliaria, in montem haud procul ab urbe Judæorum Hebrone diſſitum abſportavit, ut in loco tam conſpicuo, &, Judæorum Philiſtæorumque genti propinquo; utrique mirandum opus Dei conſpicerent, & prædicarent. Interjecto deinde tempore, blandimentis *Dalilæ*, mulieris impudicæ, captus, poſt varias fruſtrationes (modo

enim

enim ſi vinciretur ſeptem reſtibus virentibus, quæ nondum exſiccatæ fuerint; modo ſi ligaretur funibus denſis recentibus, quibus cum nullum opus eſſet factum; modo ſi attexerentur ſeptem cincinni capitis ejus ad jugum textoris, ſe vim ſuam amiſſurum, talſo verba ei dederat) bona fide aperit, qua maxime in re ſuæ ſint ſitæ vires, quoque debilitari modo poſſint. Eſſe ſe nimirum ex eorum numero, quibus capilli nunquam raderentur, & Nazaræum ab utero. Quod ſi igitur pili capitis tollerentur, una & vires corporis fore ſublatas, imbellemque ſe futurum. Dalila, pecunia ab hoſtibus Simſonis corrupta, omnem rem iis renunciat, eosque feſtinanter accerſit. Adſunt propere, ponuntur inſidiæ; ſua genua mulier dormienti Simſoni pro lecto eſſe vult, & papaver fortaſſe dederat perfida in cibo, ut dormiret altius. Mox cum tonſor raſiſſet caput, & viribus, & ope Spiritus S. Simſon excidit. Sic captus & luminibus miſer orbatus, in piſtrinum detruſus eſt; ut cum aliis facinoroſis ibi moleret. Luebat hoc pacto pœnas laſciviæ, & violati Nazaræatus voti multum diuque. At creverant interea loci crines rurſus ad eam longitudinem, qua fuerant antequam tonderetur: renovatoque, ceu credibile eſt, Nazaræatus voto, creverant & vires, redieratque Dei Spiritus. Convenerant autem die quodam Philiſtæi, ut Deo ſuo Dagoni de hoſte capto gratularentur victoriam. Bene poti, Simſonem accerſunt e piſtrino, ut ludos epulantibus atque jocos det, quod ſive ſaltando fecit, ſive verbera ferendo & colaphos, ſive quo modo alio. Vbi deſiit ludere, orat puerum quo duce utebatur, ut ad columnas quibus nitebatur templum, ſe duceret, quod in eas ex ludo feſſus reclinare ſe vellet.

Huc

Huc delatus, conſcius ſibi jam receptarum virium, columnas tangit, & Deum precatus ſui miſereretur, ingentem illis vim adhibet. Quibus convulſis, repente totum corruit ædificium, Proceresq; ſimul & populum, una clade obruit univerſum. Simſon & ipſe interfectus eſt, idq; volens lubensque, hominum impiorum in ſe, Deumque, ſatis ultus injurias, & ingrata cæcutienti jam vita, utilius videbatur profundi non poſſe, quam tanta cum clade hoſtium. Plures enim ſua morte ad mortem rapuit, quam vivus unquam trucidaverat. Neque vero ii admodum culpandi, qui negant, ſi proprie loquamur, Simſonem mortem ſibi conſciviſſe, quod illi tantum ſe expoſuit, manus autem minime ſibi intulit. Vnde S. Ambroſius ita Simſonem ait fuiſſe a Deo exauditum, ut vitam cum triumpho clauſerit, nec Philiſtæos modo, ſed ipſum ſe vicerit. Cæterum, hac clade ita conſternati ſunt, qui ſupererant, Philiſtæi, Principibus extinctis, ut prohibente nemine, Cognati Simſonis, ejus inde corpus tulerint, honorificeque in tumulo ſepelierint paterno. Obiit autem anno viceſimo quam Judex eſſe cœperat.

Talmudiſtæ nobis perſuadere laborant, Simſonem fuiſſe tam immenſæ magnitudinis, ut humerus ab humero 60. ulnarum ſpatio diſtaret: quod, ex traditione, cui ratio lenocinatur, compertum ſit, portarum Gazæ, quas in humeros ille ſuſtulit, haud minorem fuiſſe latitudinem.

Iidem, Simſonis in piſtrino molituram, ex illo Jobi XXXI. 10. *molat alteri uxor mea, & ſuper eam incurvent ſe alii*, exponentes, confirmant, quemque Philiſtæorum Simſoni commiſiſſe uxorem ſuam

enim ſi vinciretur ſeptem reſtibus virenti nondum exſiccatæ fuerint ; modo ſi liga bus denſis recentibus, quibus cum nullum ſet factum ; modo ſi attexerentur ſeptem capitis ejus ad jugum textoris, ſe vim ſuam rum, ialſo verba ei dederat) bona fide ape maxime in re ſuæ ſint ſitæ vires, quoque d modo poſſint. Eſſe ſe nimirum ex eorum n quibus capilli nunquam raderentur, & Naz ab utero. Quod ſi igitur pili capitis tollerentu & vires corporis fore ſublatas, imbellemque turum. Dalila, pecunia ab hoſtibus Simſonis rupta, omnem rem iis renunciat, eosque feſtin accerſit. Adſunt propere, ponuntur inſidiæ ; ſu nua mulier dormienti Simſoni pro lecto eſſe vul papaver fortaſſe dederat perfida in cibo, ut dorm altius. Mox cum tonſor raſiſſet caput, & viribu ope Spiritus S. Simſon excidit. Sic captus & lum bus miſer orbatus, in piſtrinum detruſus eſt ; ut c aliis facinoroſis ibi moleret. Luebat hoc pacto pœ laſciviæ, & violati Nazaræatus voti multum diu At creverant interea loci crines rurſus ad eam lon tudinem, qua fuerant antequam tonderetur : re vatoque, ceu credibile eſt, Nazaræatus voto, c verant & vires, redieratque Dei Spiritus. Conv nerant autem die quodam Philiſtæi, ut Deo ſuo D goni de hoſte capto gratularentur victoriam. Ben poti, Simſonem accerſunt e piſtrino, ut ludos epu lantibus atque jocos det, quod ſive ſaltando fecit, ſive verbera ferendo & colaphos ; ſive quo modo alio. Vbi deſiit ludere, orat puerum quo duce utebatur, ut ad columnas quibus nitebatur templum, ſe duceret, quod in eas ex ludo feſſus reclinare ſe vellet.

Huc

Huc delatus, conſcius ſibi jam ... columnas tangit, & Deum ... ingentem illis vim adhibet. ... pente totum corruit ... populum, una clade ... interfectus eſt, idq; ... piorum in ſe, Deumque ... cæcutienti jam vita, ... poſſe, quam tanta cum clade ... morte ad mortem rapuit, ... cidaverat. Neque vero ... negant, ſi proprie loquamur, ... ſibi conſciviſſe, quod illi ... nus autem minime ſibi ... ita Simſonem ait fuiſſe a Deo ... cum triumpho clauſerit, nec ... ipſum ſe vicerit. Cæterum ... nati ſunt, qui ſupererant, Philiſtæi, ... tinctis, ut prohibente nemine, ... ejus inde corpus tulerint, honorifice ... ſepelierint paterno. Obiit autem ... Judex eſſe cœperat.

Talmudiſtæ nobis perſuadent ... fuiſſe tam immenſa ... humero 60. ... ditione, ... tarum ... norem ...

Idem ... bi XXII ... interne ... que Philiſtæ...

...itque Iſraëlitis an... ...e, domi foriſque ...im illius, *Hophni* ...npie ſe gerebant; ... Quippe, mi... ...arum contenti, ...od libuit. Nam... ...llico famuli eo... ...uſcinula, quic... ...d & coctas ali... & aſſandas po... ...olevisſent Deo ..., minabantur ...n. Ab iisdem ...ctu, mulieres ...bernaculi reli... ...ncubitu viola... ...er, ſed frigide ..., imo Judicis, ...tate uti debuiſ... ...m, deinde per ...nequitiam cor... ...licanda horum ...uper Philiſtæo... ...quam in rebel... ...umque Iſraëlitæ ...r millia amiſe... ...uod tanta clade ...s vim hoſtium, ...nt bellandi ra... ...m in acie vel in... ...*deris*; eamq; as... ...ontificis. Venien-
tem

ad eam gravidandam, ſperantes, futuram in prole patris robur ac virtutem.

Simſonis coævus fuit *Sanchoniathon*, ſcriptor antiquiſſimus, qui hiſtoriam Phœnicum, lingua Phœnicia compoſuit, & quam Philo Byblius (ſub Adriano Cæſare is vixit) octo libris Græce interpretatus eſt. Porphyrius apud Euſebium teſtatur, Sanchoniathonem ſua hauſiſſe partim ex urbium annalibus, partim e libris in templo aſſervatis, quos acceperit a *Jerombalo*, Dei Ἰευω ſacerdote. Per hunc Jerombalum, Gideonem, ſive Jerubbaal intelligendum eſſe, Viri Docti conjectarunt, & videndus Cl. Bochartus in libri Phaleg capite ultimo.

Heraclidæ, qui poſt obitum Herculis, ex Peloponneſo, ante bellum Trojanum ejecti fuerant, anno poſt Ilii excidium trigeſimo, reditum tentant, quibus Peloponneſii exercitum opponunt. *Hyllus* igitur, Herculis filius, provocat unum ex hoſtibus, qui ſecum ſingulari certamine congrederetur, hac conditione, ſi vinceret ipſe, ut Heraclidæ in Peloponneſum reciperentur: ſi vinceretur, ut Heraclidæ iterum recederent, & reditum in 50. annos differrent. At Hyllus, in hoc certamine victus eſt, & Heraclidæ, *Acrocorinthum*, arcem in monte qui Corintho imminebat, quam tenebant, receſſerunt.

Vita functo Simſone, ELI, ex Levitica tribu, (parentes Scriptura haud nominat) oriundus, Iſraëlis populo præeſſe cœpit. Neque Judex tantum, ſed & *Summus Sacerdos* erat, turbato tamen ſucceſſionis ordine. Ab *Eleazaris* enim, Aaronis filii, diebus, ad hæc usque tempora, in eadem ſemper linea Summum Sacerdotium a patribus ad filios derivatum fuit: ſed nunc, ex altera linea, quæ *Ithamaridum* erat, Eli illum

illum honorem indeptus eſt, præfuitque Iſraëlitis annis 40. Eo poteſtatem adminiſtrante, domi foriſque labefactata eſt Reſpublica. Filii enim illius, *Hophni* & *Phineas*, longe diſſimiles patri, impie ſe gerebant, vapulabantque ſermonibus omnium. Quippe, minime debita legitimaque parte victimarum contenti, per vim atque injuriam auferebant quod libuit. Namque immolantibus Iſraëlitis, aderant illico famuli eorum, & impacta in ollas aut lebetes fuſcinula, quicquid contigerat, abſportabant. Sed & coctas aliquando carnes recuſabant, crudas, & aſſandas poſcentes; etiam priusquam adipem adoleviſſent Deo. Quod, ſi quis religioſior detrectaret, minabantur protinus, &, ſi opus, inferebant vim. Ab iisdem præterea, quod multo eſt fœdius dictu, mulieres uxoresque alienæ, quæ ad oſtium Tabernaculi religionis cauſa ventitabant, nefario concubitu violabantur. Increpabat quidem filios pater, ſed frigide ac leniter, qui, autoritate Pontificis, imo Judicis, ubi lenitas nihil erat profutura, ſeveritate uti debuisſet. Igitur Deus, primo per Prophetam, deinde per Samuelem puerum, Elin ob filiorum nequitiam corripuit, cui tamen ſic quoque, ad vindicanda horum ſcelera, fervor defuit. Excuſſerant nuper Philiſtæorum Iſraëlitæ jugum. Illi igitur tanquam in rebelles arma capiunt, invadunt Judæam, cumque Iſraëlitæ iis occurrerent, victi, e ſuis quatuor millia amiſerunt. Mirati Principes Iſraëlitarum, quod tanta clade ſe afficeret Deus, nec ſuis, adverſus vim hoſtium, adeſſet præſidio, novam igitur ineunt bellandi rationem. Vt præſentem habeant Deum in acie vel invltum, accerſunt Silunte *Arcam fœderis*; eamq; asſectabantur Hophni & Phineas, filii Pontificis. Venien-
 tem

tem in caſtra, clamore maximo proſecuti ſunt Iſraëlitæ, quæ res, etſi in timorem dedit Philiſtæos, collegere tamen animos, & cohortationibus mutuis ſeſe confirmavere. Vbi ad manus ventum eſt, prælio ingenti funduntur Iſraëlitæ, cæſis 30. millibus, Arca etiam capta eſt, quique eam, Deo non conſulto, adduxerant Sacerdotes, Hophni & Phineas perierunt. Ad viam interea ſedebat Pontifex in ſella, ut occuparet nuncios ex prælio; admodum de Arca Dei ſolicitus. Cumque ex Benjaminita quodam, qui ex acie fugerat, Iſraëlitarum cladem, filiorum necem, Arcæ amiſſionem didiciſſet, protinus de ſede cecidit retrorſum gravis ætate ſenex, & qui 98. annos vixerat, fractaque cervice interiit. Permiſit Deus hanc Arcæ captivitatem, tum ut demonſtraret, non ſufficere externas ceremonias, ſine intima cordis pietate, qua tum plerique Iſraëlitæ deſtituebantur: tum, ut miraculis inter ipſos hoſtes Arca inclareſceret.

Cum cepiſſent Arcam Philiſtæi, triumphare videbantur non de Iſraëlitis modo, ſed & de ipſomet Iſraëlitarum Deo. Ergo de loco in locum cum eam transferre decreviſſent, primo *Azotum* delata eſt, ubi prope *Dagonem* idolum fuit collocata, & quaſi opimum ſpolium, Deus victus, victori conſecratus. At, ſtipitem ſibi rivalem Deus verus non tulit. Poſtero igitur mane, proſtratus atque projectus humi Dagon repertus eſt coram illius Arca. Cum in locum reſtitueretur ſuum, poſtridie iterum dejectus reperiebatur, ſed capite diminutus, palmisque manuum amputatis in limine. Eo factum eſt, ut illius limen calcare nefas deinde haberent Azotenſes, quaſi contactu Dagonis ita ſacratum, ut hominum calcibus

non

non eſſet polluendum. Neque Dagon ſolummodo pœnas dedit, ſed & cives Azotenſes, finitimique omnes, ſuam luerunt ſeverius in Arcam Dei contumeliam. Hæmorrhoides enim, inteſtinorum inflammationes, & dyſenteria, corpora illorum, murium vis ingens agros infeſtabat. Ergo tot malorum pertæſi, deprecati ſunt Arcæ Iſraeliticæ longiorem apud ſe moram: atque hinc *Gathum*, inde *Ekronem* fuit transportata; ſemper funeribus, morbis, aliisque damnis eam comitantibus. Cum ſeptem jam menſes apud Philiſtæos Arca morata eſſet, conſilium illi inivere de ea ultro reſtituenda. Plauſtro ergo impoſita eſt, quod vaccæ lactantes injuges ablatis vitulis trahebant, addita ad latus capſa cum aureis donariis. Vaccæ hæ indomitæ, pullis abſentibus, ſua ſponte (quod ſine vi divina fieri non poterat,) contendunt *Bethſemum*, Judæorum urbem. Metebant in valle triticum Bethſehemitæ, cumque e longinquo venientem ad ſe Arcam agnoſcerent, mirifice lætabantur. In agro autem *Joſuæ*, Bethſehemitæ, ad magnum quendam lapidem vaccæ ſubſtiterunt. Prodierunt ergo Sacerdotes (erat enim Sacerdotalis urbs Joſ. XXI. 16.) tignisque plauſtri conciſis, vaccas immolaverunt holocauſtum Domino. Convolant deinde Bethſehemitæ, ut rem occultam abditamque, quam neque majores viderant, nec erant unquam viſuri nepotes, (uni enim Pontifici, & id ſemel quotannis, patebat,) curioſis oculis foris & intus rimarentur. Non tulit Deus arcana ſuæ religionis myſteria explorari ad contemtum vulgaribus profanisque oculis; proinde multi ex iis qui aderant, perierunt. Atque neceſſaria fuit hæc divina animadverſio. Periculum enim erat, ne cæ-

teroqui poſthac Iſraëlitæ, Arcam Domini, quæ tot menſibus capta fuiſſet, vilipenderent.

Quot ex Bethſchemitis Numinis vindicta e medio ſublati fuerint, expedire difficile eſt. Hebræa verba omnes Interpretes ita exponunt, quaſi quinquagies mille & ſeptuaginta (qua plaga incertum,) interemti dicantur. Iſtum numerum, cum nimius videatur, aliqui Joſephum ſecuti, audaciter expunctis 50000. ad 70. reducunt. Eandem ſummam extinctorum Judæi ineunt, ita tamen ut dicant, ideo 50000. mentionem fieri, quia 70. quos exitium manſit, viri, autoritate & meritis ad 50000. æquiparari poterant. At, ὁ πάνυ Bochartus, tomo 1. Hieroz. l. 2. c. 36. alia via ingenioſe huc tendit, & locum 1. Sam. VI. 19. ubi res deſcribitur, ſic Latine exprimit: *Et percuſſit* (e Bethſemitis,) *quia Domini Arcam introſpexerant, percuſſit* (inquam,) *ex illo populo ſeptuaginta homines, quinquaginta* (ſcilicet) *e mille hominibus*. Senſus igitur ſecundum illum, Deum noluiſſe pro indulgentia ſua in omnes maleficos animadvertere, ſed e reis multo pluribus, ſolum 70. morte mulctaſſe, hac proportione obſervata, ut pro mille nonniſi quinquaginta perirent, id eſt, pars vigeſima. Reos igitur Arcæ introſpectæ fuiſſe mille quadringentos, quorum partem vigeſimam, id eſt, ſeptuaginta homines, Deus percuſſerit.

Cæterum Behtſchemitæ, clade ſua conſternati, non minus cupide a ſe abeſſe volebant Arcam, quam læti modo venientem acceperant. *Kirjath-jearimum* ergo, aliam Judææ civitatem, nuncios miſerunt, ut ejus incolæ Arcam ad ſe traducerent; quod, ab illis libentiſſime factum eſt. In colle ſeorſim habitabat *Abinadabus* Levita, pietatis opinione celebris. Ejus in do-

mo

mo viſum eſt collocare Arcam, illiusq; filium *Eliezerem* conſecrare, ut eam ſartam ac tectam cuſtodiret. Hoc igitur, poſt Silo, Arcæ fuit hoſpitium.

Judæi, traditione ſe tenere dicunt, *Saulem*, qui deinde Rex Judæorum evaſit, cum Arca a Philiſtæis, & quidem in his a Goliatho caperetur, viribus animoque collectis, ex illa Sacras *Decalogi tabulas* rapuiſſe, ne hæ in hoſtium poteſtatem pervenirent: atque hunc ipſum ad Elin triſte nuncium de prælii eventu pertuliſſe.

Ex eodem fonte manat, quod perhibent, Philiſtæos Arca capta dixiſſe, Iſraëlitarum Deum, pridem omnem ſuam vim, illos, quos odiſſet, lædendi, in Ægyptiis exhauſiſſe, nihil igitur metuendum ſibi eſſe periculi. Inde eveniſſe, ut novis & inauditis morbis corriperentur, ac per podicem inteſtina ejicerent, mures vero per umbilicum ſubirent in locum.

Circa *Vaccas*, quæ Arcam ad Iſraëlitarum limites pertraxere, non illud tantum miraculum obſervant, quod, quæ nullum unquam prius jugum paſſæ, vitulis inſuper habitis, via minime explorata, recta tamen, in Judæam perrexerunt: ſed & illas hymnos inter eundum Deo ceciniſſe comminiſcuntur.

Heraclidæ, cum 50. anni ab occiſo *Hyllo* effluxiſſent, claſſe Peloponneſum repetunt, eamque occupant, & pulſa Pelopis progenie, imperium ejus invadunt. Duces Heraclidarum fuerunt *Temenes*, *Creſphontes*, & *Ariſtodemus*. Atque Ariſtodemo obtigit Spartanum Regnum, cui paulo poſt defuncto, filii ſucceſſerunt.

DERCYLVS.

Annos 40. regnaſſe dicitur.

CONTEMPORANEA.

Collapſas Judæorum res, SAMVEL reſtituit, *Elcanæ* Levitæ, ex *Hanna* filius, quem mater diu ſterilis, ſuis precibus a Deo impetravit, ejusque miniſterio rurſus dicavit proprium. Hinc Veterum aliqui, ipſum deinde Summo Sacerdotio præfuiſſe cenſuerunt, ſed perperam. In Lege enim Moſaica, ea dignitas uni familiæ Aaronicæ erat alligata, ad quam Samuel non pertinebat. Aggreſſus officium Samuel, ante omnia Hebræos in *Mizpa* congregatos ad pietatem accendit. Durantibus his Comitiis, Philiſtæi arma expediunt, & Judæam invadunt, certa ſpe freti, ſe multitudinem inermem facile oppresſuros. Magno id metu Iſraëlitas perculit, obnixe igitur Samuelem orant, Deo, ipſorum ſalutem precibus commendaret. Id cum ille præſtitiſſet, exauditus eſt, dumque agni lactentis holocauſtum offert, tanto fragore intonuit Deus, tantaque imbrium, fulminum, turbinumque tempeſtate deſæviit in Philiſtæos, ut cœlitus profligati ſint. Joſephus addit motam fuiſſe terram, apertosque ſubito ingentes hiatus, in quos cæci præ terrore amentesque Philiſtæi, ſe præcipites dederint, ibique abſorpti perierint. Sic fracti Philiſtæi, non auſi ſunt deinde Iſraëlitarum fines infeſtare, quamdiu Samuel habenas Reipub. ipſe tractabat.

Cum ſenuiſſet Samuel, duos filios *Joëlem* & *Abiam*, Judices conſtituit, qui tamen hoc munere indigni, indigne illud adminiſtrarunt, dum propter gratiam ſæpe jus inflectebant, & vim inferebant legibus, venalem juſtitiam habentes, & ex munerum magnitudine, non æquitate, ponderantes cauſas. Volunt Interpretes, aliquid humani hic paſſum eſſe Samuelem

muelem, quod Deo, cujus erat unius Judices conſtituere, imo & populo inconſultis, filiis Magiſtratum vivus commiſit, in ſuam familiam jure quodam hereditario dignitatem translaturus. At, ſicut ille, Deo atque populo præterito, ſuos ipſe filios Judices renunciaverat, ſic populus, illo, Deoque temere neglecto, non alios modo Judices, verum & aliam regiminis formam poſtulavit: adeo, ut avitam libertatem, ſpontaneo mutare ſervitio cuperet, regiumq; nomen, plerisq; tunc gentibus familiare & acceptum, divinæ gubernationi, & theocratiæ anteferret. Illa vecordia commotus Deus, qui hactenus per Heroas & Prophetas, mitiſſimo imperio, Iſraëlitas rexerat, obſtinate ad deteriora ruentibus, beneficia ſua exprobravit, horribili inſuper tempeſtate, quantum tædii & abominationis contemtus Samuelis, ac Regis poſtulatio ſibi adferret, teſtatus. Ergo de Jure Regio multis per Prophetam præfatus, populo pertinacis propoſiti, id, quod petebat, conceſſit. Samuelique mandavit, ut Saulem Benjaminitam Regem crearet.

SAVLVS, primus Rex Iſraëlitarum, dum de amiſſis aſinis Samuelem percontatur, reperit Regnum, Deique monitu ſacro unguento perfuſus, regium & adeo propheticum ſpiritum induit. Sortibus quoque, congregato per tribus atque gentes populo univerſo, permiſſa de Rege res, ne quam Samuelis fraudem ſuſpicaretur. Primæ autem in tribum Benjamin ceciderunt; deinde in Matreæ familiæ gentem, ubi Saulus tandem filius Kis captus eſt. Modeſtus is animi erat; belli egregius, ſpecie & dignitate corporis eximius, ita ut humero tenus altior exiſteret cæteris omnibus. Auſpicatus eſt regnum a bello

cum *Nabas*, Ammonitarum Rege. Hic *Galaaditas* exitiali bello premens, *Jabenſibus*, deditionem facere paratis, haud alia ratione gratiam facere volebat, quam ut ſinguli dextrum ſibi oculum erui paterentur. His ergo ad Saulem confugientibus, ipſe concîdit illico in fruſta boum par: quibus per omnem regionem ſumma celeritate diſpertitis, denunciavit ſimul, ita fruſtatim ejus eſſe ſecandos boves, quicunque non adeſſet protinus, ut Saulem & Samuelem ſequeretur. Quo ſuam augeret, Samuelis autoritatem adjungebat. Erant enim qui Saulem fortaſſe nondum agnoſcerent Regem: Samuelem vero qui repudiarent Judicem, omnino nulli. Atque hanc eſſe cauſam voluit Deus, qua dignum probaret ſe imperio Saulus, & communibus omnium ſuffragiis reciperetur. Nec mora, populus repente in unum coactus eſt, ac Saulus hoſtes inopinantes aggreſſus, ad internecionem pæne delevit.

Aliquanto poſt *bellum Philiſtæum* recruduit: cui anſam præbuit *Jonathas* Sauli filius, qui, cum millenis militibus, in ſtationem quandam hoſtium impetum fecit, eamq; profligaverat. Erat tum dura Iſraëlitarum conditio; nam, ut ſolent ſubditos tyranni, ſic Philiſtæi, prohibebant eos armis æneis ferreisque. Non enſes illis, non clypei, non haſtæ erant, præterquam Saulo & Jonathæ ſolis. Quippe fabros omnes ferrarios, armorum artifices, abſtulerant, ut neceſſe eſſet inſtrumenta etiam ruſtica apud Philiſtæos acuere. Proinde eos, qui caſtra ſequebantur, ne prorſus inermes fingamus, arcubus tantum, ſagittis, fuſtibus atque fundis inſtructos fuiſſe, ratio credere compellit. Cæterum, bellum, quod indicavimus, idem ille Jonathas feliciter finivit, qui id conciverat. Solus

lus enim, cum armigero, hoſtiles munitiones aggreſſus, impetu in hoſtes facto, illos demetebat quaſi, ſternebatque humi; ſtratos, jugulabat armiger. Hac paucorum audacia & virtute perterriti reliqui ſtationarii, in caſtra evadunt, pavore omnia complent, ita ut univerſa multitudo, deſperata victoria, in effuſiſſimam ſe fugam daret. Fugientibus inſiſtentes Hebræi, facilem victoriam, & cum victoria libertatem adepti ſunt. Poſtea Saulus varia quoque bella geſſit contra *Moabitas*, *Idumæos*, *Ammonitas*, & *Reges Zobæ*, ac quam diu ad præſcriptum Dei vitam & mores ſuos formavit, viciſſim ubivis propitium Numinis favorem expertus eſt. Eo autem excidit in bello contra *Amalekitas*. Hanc enim expeditionem, cum ſuſcepiſſet, juſſit Deus per Samuelem, veteres illos, & primos populi Iſraëlitici hoſtes, exciſioni pridem deſtinatos, (videre juvat Ex. XVII. 8. & Deut. XXV. 17. 18.) cæderet univerſos; nullique parcens ordini, nulli ſexui vel ætati, & nec pecudi, nec jumentis, nec aſinis aut camelis, omnes & omnia funditus exſtirparet ac diſperderet. Cum Victoria potitus eſſet Saulus, in populum quidem provinciæ ſævitum eſt; cæſique omnes, niſi qui fuga evaſerant, Regi tamen *Agago* ne moreretur, indulſit Rex, quod ab eo fortaſſe magnum vitæ pretium exſpectaret; res viliſſimas cum ferro flammaque ſuſtuliſſet populus, optima quæque ex gregibus & armentis, aliiſque rebus perire noluit. Sed, res exſecratas, exitio, quibus devotæ ſunt, eripere, ac prohibere, ſuis vero aſſervare commodis, Achanis (Jud. VII.) ſcelus eſt, tantoque gravius, quia publicum & commune, populiq; totius atque Regis erat ſcelus. Noctu igitur monuit Samuelem Deus, pœnitere

nitere ſe, quod Saulem præfeciſſet Iſraëlitis Regem, quippe hominem pervicacem, &, qui ſua non ſit exſecutus imperia. Exprobravit deinde Samuel non tantum Sauli inobedientiam, ſed &, ut placaretur Deus, quantum fieri potuit, perfecit, quod ille omiſerat. Agagum enim ad ſe adductum, id præfatus, æquiſſima ſe talionis lege acturum, quemadmodum ipſe mulieres Iſraëliticas plurimas liberis orbaviſſet, ita matrem ejus, filio etiam Rege orbam futuram; mox gladio protinus adacto, ut hoſtiam Deo mactavit, & diſſecuit in fruſta. Nihilominus Deus Samueli mandatum dedit, ut *Davidem* valde tum adoleſcentem, oleo regali regno inauguraret Saule inſcio, quod etiam, quamvis ægre, dedit effectum.

Interea loci *Philiſtæi* vires ſuas recolligere, & bellum ſummo niſu adverſus Hebræos reparare cœperunt; adſcito in auxilium *Goliatho* gigante: qui tamen virtute Davidis feliciter proſtratus eſt, unde cæteri quoque, animo fracti, vitæ ſuæ fuga conſuluerunt; quos Iſraëlitæ inſecuti, magnam edidere ſtragem. Saulus vero Rex, ob egregium Davidis factum, invidia & capitali odio in illum exarſit, eoque magis, cum mulieres triumphale carmen, quo facinus Davidis, ſui ipſius geſtis, tanquam decuplo præſtantius extollebatur, ſibi occentarent. Filiam igitur *Merabam*, natu majorem, quam Goliathum occiſuro præmium ſtatuerat, Davidi non dedit, alteram vero *Michalem*, nova conditione deſpondit, ſi centum præputia ex hoſtibus retuliſſet. Sperabat enim, juvenem periculis crebro ſe objicientem, facile periturum. Sed, conditione præter ſpem impleta, promiſſum exſolvere coactus eſt, cum interim

rim filio *Jonathæ*, & Amicis imperaret, ut, quem invitus adſciviſſet generum, dolo tollerent. Verum Jonathas, paternæ autoritati, ſinceram incorruptamque fidem prætulit, nec a Davidis amicitia dimoveri ſe paſſus eſt. Furiis igitur agitatus Saulus, bis Davidem lancea trajicere voluit, ſed conatum hunc irritum reddente Supremo Numine, ictum declinavit David, nec ultra inimico ſe credidit. Saulus igitur jam aperto Marte, eum, ad ultimum usque vitæ halitum, quamvis fruſtra, perſecutus eſt, David autem varia vitæ pericula, divina ſemper virtute evaſit; cumque bis Regem in poteſtate haberet, gravius quid in eum, per ſummam moderationem, ſtatuere noluit. Interim ad Davidem afflictiſſimus quisque ac fortiſſimus Hebræorum, tanquam ad commune aſylum, vindicemque injuriarum, ſe recipiebat, quam manum, exul, e rapinis gentium aluit.

Tandem, ipſe Saulus, furoris, & inobedientiæ adverſus Deum commiſſæ, meritas pœnas luit. Cum enim *bello denuo a Philiſtæis peteretur*, nec ullo divino oraculo eum dignaretur Deus, relictis Superis, ad Acheronta ſe convertens, pythoniſſam adiit, quæ Samuelem demortuum ei ſtitit, a quo imminentis cladis, inſtantisque mortis nuncium accepit. Nec eventus fruſtratus eſt prædictionem hanc. Poſtero enim die, cum videret Saul victoriam ad Philiſtæos inclinare, quin & occiſos ante oculos filios ſuos, & omnem militiæ Iſraëliticæ florem extinctum eſſe, deſperatum conſilium iniit, & ſui ipſius carnifex effectus eſt. Cadaver ejus, victores, de Bethſanis muro ſuſpenderunt, caput, Dagonis in fano fixum. Sed *Jabenſes*, diſcuſſæ olim obſidionis memores, detractum

ctum mœnibus corpus regium, ſepulchro intulere. David, carminibus deplorato infeſti Soceri exitio, collaudataque Jabenſium fide, pridem deſtinato Regno potitus eſt. Samuel autem, & Saulus, res Hebræorum per 40. annos adminiſtrarunt.

A Judæis proditum eſt, *Amalekitas* admodum deditos fuiſſe veneficiis, atque in brutorum formas ſeſe ſubinde mutaſſe. Hinc igitur factum eſſe, quod Deus, præter morem, Amalekitarum pecudes quoque & armenta omnia jugulare juſſit, ne evaderent cæteroqui illi, qui eorum habitum induerant. Rex *Agagus*, eo, quod inter Judæos exegit, tempore, mulierem quandam peregrinam gravidavit, inde poſtea *Haman* prodiit, qui, Mardochæo, tribuli Saulis, minitabatur exitium.

Secundum eosdem, *Goliathus Orpæ* fuit filius, quæ, Naëmi ſocru, & Rutha affine deſertis, cum illæ in Judæam tenderent, in Moabitidem reverſa eſt.

Mirum quomodo Davidi adverſus Goliathum pugnaturo, Saulus, quod 1. Sam. XVII. ſcriptum eſt, induere potuerit arma ſua, qui tamen toto capite excedebat Iſraëlitas univerſos. Nempe, non ſine Numinis Supremi diſpoſitione id factum fuit, ut Sauli veſtes Davidi eſſent aptiſſimæ. Quod cum Saul animadvertiſſet, facile inde collegit, Davidem aliquando Regem futurum: totus ergo exhorruit. Ibi David, ut Saulo metum, quem eum occupaſſe videbat, demeret, queri cœpit, male ſibi convenire loricam, & reliquam Sauli armaturam: atque his ſe exuit.

Extat genus quoddam *herbæ*, id ſi quis calcet, tanta fame corripitur, ut niſi cibus ſuppetat, continuo moriendum ſit. Hanc David, Saulum fugiens, quia pede

pede preſſerat, quamobrem cum exitium ei immineret præſens, licebat ſacrum panem ab *Achimelecho* accipere, illoque famem depellere. Quippe, ad vitæ periculum averruncandum, fas eſt omnia divina præcepta transgredi & inſuper habere, ſolis, quæ falſa Numina colere, illicitos concubitus ſectari, & cædem inſontis hominis committere prohibent, exceptis.

Dixerat aliquando David Deo, mirari ſe cur *Stultos* ipſe crearit, itemque *araneos*: ex utrisque enim nullam in genus humanum redundare utilitatem, cum ſtulti ratione privi ſint, aranei venenum tantum excoquant. Reſpondit Deus, futurum olim, ut ipſe commoda quæ præſtant hominibus eæ creaturæ, experiatur. Atque hoc ſane factum eſt. Niſi enim vidiſſet ante David ſtultos inſanientes, non potuiſſet illorum amentiam coram Rege Philiſtæorum Achis imitari. Quando autem Specum opacam cum ſuis ingrediebatur, ut ibi lateret, atque eandem Saulus, dum illum perſequitur, ad purgandam alvum, ſubintrabat, prohibuere araneorum telæ, ne ab hoc conſpici poſſet. Cæterum, haud recte factum, quod in illa ſpecu, David Saulo oram veſtis abſcidit, hac pœna ideo ſenex affectus, ut nullis veſtibus injectis calefieret.

Legitur 1. Sam. XXV. 44. Saulum, filiam ſuam *Michalem*, ut Davidi ægre faceret, dediſſe *Palti*, filio Lajiſch, in uxorem. At is, cum frugi eſſet, noluit ipſam attingere, ſed ita cum ea dormiebat in lecto, ut gladium ſtrictum inter ſe & illam collocaret. Manſit ergo intacta, ac potuit Michalem David in thorum rurſus admittere: quod ipſum feciſſe, 2. Sam. III. 14. proditum eſt.

Autor

Autor traditionum Hebraicarum in libros Regum,qui vulgo Hieronymus fuiſſe creditur,docet Hebræos velle, Pythoniſſam quam adiit Saul, *fuiſſe matrem Abner filii Ner: & propter eundem Abner, ne perimeretur cum cæteris, abſconſam & reſervatam fuiſſe.*

Saulus, diſſimulato habitu, adiit Pythoniſſam, nec ab ea agnitus eſt, niſi tum, cum Samuel, conjurationibus evocatus e terra prodiret; ibi enim clamare cœpit mulier voce magna: *Quare decepiſti me cum tu ſis Saulus?* 1. Sam. XXVIII. 12. Quærat ergo quis, unde id cognitum habuerit? Nimirum, manes, qui in privatorum hominum gratiam proliciebantur, ita ex ima terra ſe exerebant, ut pedes ſurſum, caput deorſum haberent. At, in Regis gratiam prodeuntes, ſtatim erecti proſiliebant, quo ſic Regem, corpus inclinando, venerari poſſent. Ex illa autem de Samuele per Pythonyſſam evocato hiſtoria, ſi accurate perpendatur, illud liquido quoque patere contendunt Judæi, veneficos, qui Manes excitant, eos videre, non vero audire quæ loquuntur. Contra hos, quorum cauſa Manes conjurati ſe ſiſtunt, audire eorum voces, ſpeciem ipſam oculis minime uſurpare. Neutrum aliis, ſi qui adſunt, obtingere. Potuit autem Pythoniſſa Saulem exhibere, quia haud pridem mortuus ille fuerat: id vero poſt annum ab obitu fieri amplius non potuiſſet. Sciendum enim, animas piorum, a corpore ſeparatas, non ſtatim cœlum petere. Per duodecim menſes vagantur eæ in mundo, ſubinde corpus ſuum viſitantes, quoad illud in pulverem reſolvitur, & tum deinde ad thronum gloriæ evolant.

Nunc Gentilium res reſpicientibus, *Codrus* potiſſimum occurrit. Erant inter Athenienſes atque Pelo-

Peloponneſios ſimultatum veteres offenſæ. Peloponneſii ergo Atticam invaſuri, de eventu belli prius Oraculum conſulunt. Reſponſum, futuros illos ſuperiores, ni Regem Athenienſem occidiſſent. Cum ventum eſſet in bellum, a Peloponneſiis ante omnia cuſtodia Regis Athenienſium militibus præcipitur, ne quis eum quovis modo violaret. Codrus autem, Oraculo intellecto, depoſita veſte regia humilem induit; atque ſic pannoſus, ſarmenta collo gerens, caſtra hoſtium ingreditur ſub veſperam, ne facile agnoſceretur. Vbi de induſtria rixam ciens, imprudenter a milite, quem aſtu falce vulneraverat, interemptus eſt. Secuta Peloponneſiorum deſperatio, & clades. Poſt Codrum nemo Athenis regnavit, quod memoriæ nominis ejus tributum eſt. Adminiſtratio Reipublicæ deinde Magiſtratibus permiſſa, qui *Archontes* dicti: initio perpetui, deinde annui. Primus eorum fuit *Medon*, Codri filius, a quo poſteri *Medontidæ* apud Atticos dicti ſunt, qui honorem uſurparunt usque ad *Charopem*.

Magna vis Græcæ juventutis, abundantia virium ſedes quæritans, ſe in Aſiam effudit, nobiliſſimam ejus partem maritimam, quæ deinde vocata *Jonia*, occupans, urbesq; ibi conſtituens *Miletum*, *Epheſum*, & alias. Cauſa fuit: Codro Rege Athenienſium cæſo, filii ejus *Medon* & *Nileus* de regno certabant: & quoniam Medon pede truncus erat, Nileus ipſum inhabilem regno cenſebat. Lis defertur ad Pythiam: regnum Medonti per Oraculum adjudicatur. Nileus, indignum judicans, ſub Rege claudo vivere, hanc expeditionem ſuſcepit, & Miletum urbem condidit, unde ea urbs Nilei appellata fuit.

MILLLENARII III.

SECVLVM X.

EVPACMES.

IDem & Eupales dicitur, regnavitque annos 38.

CONTEMPORANEA.

DAVID, ſecundus Judæorum Rex, cum regnare inciperet, minime univerſis Iſraëlitis præfuit. Respublica enim Hebræorum in partes ſecta erat, unamque efficiebat *Tribus Juda*, Davidi adhærens; alteram, *Tribus reliquæ* XI. in quas *Isboſeth*, Sauli filius, poteſtatem exercebat. Quæ diſſenſio, civili bello anſam præbuit, in quo tamen *Joab*, Davidici exercitus Dux, *Abnero* hoſte ſuperior fuit, ſed qui in fuga, *Aſahelem* Joabi fratrem, ſibi moleſtum occidit. Nec poſtea a continuis bellis inter hos duos Reges ceſſatum, donec ipſe Isboſeth oppreſſus, Davidi cauſa fuit, ut plena poteſtate in Judæos omnes potiretur. Ei autem opprimendo occaſionem dedit ipſe Abner, dum ab Isboſetho, ſuam, cum *Riſpa*, Sauli concubina, conſuetudinem, indigne ferente, ad Davidem defecit, herumq; deſertum, & omni ope deſtitutum, aliorum injuriis expoſuit. Nam, cum ſomno meridiano, quem, Chaldæus Regium vocat, indulgeret, a duobus ſicariis confoſſus & exanimatus eſt. His tamen parricidis, caput Regis ſui ad ſe deferentibus, dignam mercedem David perſolvit, eisque manus & pedes amputare præcepit. Ergo imperium in univerſos Iſraëlitas indeptus David, *arcem Sionis* munitiſſimam, ac Jebuſitis pro inexpugnabili habitam, cui defendendæ vel cæci & claudi

claudi ſufficerent, bello petiit, eamque expugnavit, ac ſedem ſuam in illa collocavit. His geſtis, mox Philiſtæi, qui duabus vicibus adverſus Davidem magnis copiis aſcenderant, feliciter repreſſi ſunt.

Quiete a bellis facta, Rex ad *divinum cultum*, diu hactenus neglectum, inſtaurandum, animum appulit, *Arcamque Domini* ex Gibea, in civitatem ſuam, ſolemni cum pompa transferre conſtituit. Quo minus autem propoſitum hoc ad finem perduceret, impeditus eſt; quoniam *Vſa* quidam, vir inter Judæos primarius, cum Arcam plauſtro impoſitam irreverentius tetigiſſet, ſubita morte extinctus, lætitiam hanc in luctum convertit. Poſt trimeſtre tamen exactum, Arcam David ſuſtulit, & Hieroſolymas multo cum tripudio transportavit. Inde bella perſequens, victorias victoriis cumulavit, & quicquid hoſtium in circuitu erat, debellavit, ac ad obſequium perduxit: nec proditum eſt, victoriarum ejus curſum, ullo unquam prælio infeliciter geſto, fuiſſe interruptum.

Cæterum, in tanto rerum ſucceſſu, gemino, eoque graviſſimo, ſcelere, David ſe contaminavit. Nam, cum otio & deambulationi in tecto indulgens, viſa *Bathſeba*, Vriæ conjuge, cui ſpecies corporis ingens, vehementi amore erga eam excandeſcere cœpit, eaq; ad ſe vocata, cum conſuetudine illius uſus eſſet, adulterium, *Vriæ* inſuper homicidio cumulavit. At vero hujus flagitii pœnas graviſſimas paulo poſt Deo vindici dedit. Infans enim ex adulterio natus, mox iterum exſpiravit. *Amnon*, filius ejus primogenitus, ob inceſtum cum ſorore Thamar commiſſum, ab *Abſalomo*, uterino ſtupratæ fratre, in convivio ad quod ſubdole invitatus fuerat, incautus & temulentus obtrun-

catus eſt, ob quem tres fere annos David in luctu egit, Abſalomo interim apud avum maternum *Geſſuri* commorante. Triennio exacto, Abſalomus, intercedente Joabo, patri reconciliatus, eundem Hieroſolymis ac regno expulit, occupataque regia, fœdiſſimo concubitu, paternas concubinas polluit. Sic David, qui Conjugem alienam macularat, idem dedecus in aliquot genialis thori ſociis, & una filiarum eſt expertus. Quin, ne quid miſeriarum deeſſet, ipſe Rex, a *Simei*, Benjaminita, cum in fuga verſaretur, lapidibus & maledictis petitus eſt. Deo tamen reſpiciente, ejusque miſerente, ex his malis tandem ereptus, &, occiſo a Joabo, dum ex cæſarie quercui illigata, pendulus fit, Abſalomo, Regno reſtitutus eſt. His turbis vix ſedatis, *Seba*, Benjaminita, Iſraëlitas, Tribu Judæ excepta, a Rege avertere, & tyrannidem moliri cœpit. Sed perduellis hujus cæde, a muliere quadam procurata, omnis motus continuo ſedatus eſt, univerſusque Iſraël ad Regem ſe recepit.

Succubuit poſt, ſecunda vice, tentationi Sathanæ, Rex pientiſſimus. Nimirum inceſſit animum ejus cupido *numerandi populum*, ut ſciret, quantum virium & virorum in regno haberet: reperitq; ultra ſedecies centena millia, quibus ætas militaris eſſet. At, quia huic facto, ſuperbia quædam & vanitas junctæ erant, id Deo maxime diſplicuit, qui *peſtem* eapropter in Hebræos immiſit, qua 70. millia ſubditorum fuere abſumta.

Ætate cum provectior eſſet David, *Adonias* filius ejus, dominandi libidine accenſus, Regnum affectabat, multosque ex Proceribus ſibi reddebat ob-

noxios.

noxios. Verum, improba ſua ſpe miſer excidit. Neque enim ipſi ſucceſſio, ſed *Salomoni*, Davidis è Bathſeba filio, cœlitus deſtinata erat, qui, volente Patre, ſtatim a *Nathane* Propheta unctus, Regnoque tranſcriptus eſt. Collocato in Sede Regia Salomone, David aliquandiu adhuc ſupervixit, ac tandem ſeptuagenarius mortalitatem exuit, anno Regni quadrageſimo.

Judæi perſuadere nobis laborant, *Davidem minime adulterium commiſiſſe cum Bathſeba* Vriæ conjuge. Fuiſſe enim quondam uſu receptum, ut in militiam proficiſcentes, ſuæ quisque uxori daret libellum repudii, valiturum, ſi in expeditione morerentur, irritum futurum, ſi domum ſani poſtliminio redirent. Nempe, flagitaſſe neceſſitatem ut hoc fieret: nec enim uxori relictæ, aliter ullo unquam tempore matrimonium inire rurſus licuiſſet, marito minime reduce, niſi teſtes adeſſent, qui affirmarent, vidiſſe ſe illum pereuntem ſuis oculis. Ergo, quia libello repudii inſtructa erat Bathſeba, pro ſoluta matrimonio accipere illam oportet.

In poſterioris Samuelis libri XII. capite, circa finem, memoriæ proditum eſt, Joabum Ammonitarum metropolin *Rabbam* expugnâſſe. Id ita factum eſſe dicunt Judæi, ut nimium longam obſidionem pertæſis militibus, & jam re infecta diſcedere volentibus, perſuaſerit Joabus, jactarent ſe in lecto decumbentem, noctu, fundali machina in urbem: rerum in ea bene geſtarum ſignum futurum, inde profluentem ſanguinem: id ſi deficiat, argumentum hoc caperent periiſſe ſe, nihilque tum fore conſultius quam ut de capienda urbe ſpem abjiciant. In urbem delapſus Joabus, ægre ſe movens, apud viduam anum

quæ illum, quod diceret, a Judæis, quia parum ex voto ſucceſſiſſet expeditio, tam inique ſe habitum, cibo & medicaminibus fovit, ſanitatiq; poſt hebdomadas quatuor reſtituit. Cum convaluiſſet, armorum artificem adit, gladium emturus: ſuum enim jactationis vehementia reddiderat inutilem. Septem amplius, quorum inflectendo fecerat periculum, cum vim non ſuſtinuiſſent, confracti fuere: tandem autem probus, & ſatis roboris habens, repertus eſt: itaque ad artificem converſus Joabus, ecce, inquit, gladium ex ſententia nactus ſum, ſed, quem tu maxime hoc peremtum velles? Joabum, ait ille, nec mora Joabus homini retrorſum ſpectanti, ex improviſo caput amputat, ac deinde in cives graſſatus, promiſcua cæde paſſim ſævit. Sic ex urbe manans occiſorum cruor, oppugnatores monuit, de impetu in portas urbis faciendo, quas nullo negotio perfregerunt. Cum vero Scriptura amplius memoret, Davidis capiti Coronam Regis Rabbæ, quæ centum pondo gravis erat, fuiſſe impoſitam, ne quis miretur, quomodo tantum onus ſuſtinere potuerit David, ſciendum, apici Coronæ inſertam fuiſſe gemmam, cujus ea virtus, ut rebus pondus adimat: ea colore Succinum refert.

In 2. Sam. XIII. 13. difficultatem habet, quomodo *Thamar* fratri Amnoni, vim facienti, ſuadere potuerit, ut a Davide patre eam uxorem ſibi expetat, quale conjugium etiam gentilibus erat turpitudini. Sed ſciendum, Davidem aliquando in bello deperire cœpiſſe captam virginem pulcherrimam, quæ ex ejus concubitu prægnans reddita, Thamarem edidit. Finita expeditione cum mulier ſacris Judæorum initiari ſe paſſa eſſet, David illam uxo-

rem

rem adſcivit, eaque deinde Abſalomum etiam peperit. Ergo quia ſervilis conditionis erat mater Thamaris cum illa conciperetur, non fuit illa vera ſoror filiorum Davidis legitimorum, hæc appellatio enim minime ex ancilla conceptæ convenit. Nulla autem jura vetant, ut liberi ex juſtis nuptiis ſuſcepti, atque ii quos ancilla aliqua peperit, inter ſe contrahant matrimonium.

Cum *Abſalomus* ſub quercu, e nodo crinium ramis implicato, in aëre penderet ſublimis, volebat ipſe ſuo ſibi gladio crines præſcindere, verum videbat ſub ſe hiantem abyſſum inferni, itaque deſtinata exequi prohibebatur. Fuit autem Abſalomus ſtaturæ prorſus immenſæ; quod exinde colligere licet; *Abba Schaul*, omnium ætatis ſuæ longe maximus, veſpillonis inter Judæos munere fungens, cum aliquando terram foderet, fovea patuit, in quam ille incidit ad ſummas usque nares. Deprehenſum, oculum Abſalomi fuiſſe illud ſpecus. Et vero, referebat cæſaries Abſalomi, ingentem arborem ceratiorum, cujus rami multi magnique ſunt, & quaquaverſum diffuſi.

In 2. Sam. XXI. capite deſcribitur hiſtoria, qua ratione *Gibeonitæ*, ad piandam ſuorum cædem, quos Saulus innocenter trucidaverat, petierint ſibi dedi ſeptem e Sauli ſanguine, ut eos in Gibea coram Deo ſuſpenderent; cujus voti etiam fuere damnati. At, non legitur uſpiam, Saulum in Gibeonitas ſæviiſſe. Quamobrem ſic habendum: Gibeonitæ ſervi erant Sacerdotum, ad cædendum ligna, & hauriendum aquam in Domo Dei a Joſua damnati. Ex eo labore quia ſuſtentabant ſeſe, hinc, cum Saulus Nob civitatem Sacerdotum, quia Davidi famelico panem

 ſuffe-

ſuffecerant, excidiſſet funditus, miſeris Gibeonitis fame pereundum fuit. Hoc igitur perinde erat, ac ſi ipſe Saulus ipſos ſuſtuliſſet e medio: qui enim vitæ præſidia eripit, mortem inferre videtur. Merito autem ſcruplum alicui injiciat, quare iſta Sauli progenies, adverſus Dei Deut. XXI. deſcriptam legem, tam diu ſuſpenſa relicta fuerit. Ad eum eximendum, dicas licet, pernoctaſſe cadavera in patibulo, ad Dei gloriam promovendam. Nam illac prætereuntibus gentilibus, & quærentibus, quales ii ſint, qui tam miſere vitam ſuſpendio finierant, reſponſum fuit, eſſe Regis filios, qui hoc ſupplicio affecti ſint, quoniam pater ipſorum, homines peregrinos male tractarit. Rapiebat homines in ſtuporem illa erga alienigenas Judæorum bonitas & æquanimitas, ita ut crederent, inter ſolos Judæos expedire peregrinum eſſe: unde tum illorum Reſpublica aucta eſt centies quinquagies mille proſelytis.

Alcoranus aſſerit, Davidem eloquentem, fortem, & pium fuiſſe, qui montes etiam & aviculas habuerit obſequentes, atque in celebrando Deo ſibi auxiliares. Item, ferrum manibus emolliendo, fuiſſe artificem ſingularis armaturæ, quæ ipſum præſtiterit impervium telis, adeoque vulneribus inviolabilem. Et vero, etiamnum credunt Judæi, illa verba, literarumque notas, quibus ex ipſorum ſententia, Davidis Scutum diſtinguebatur, non tantum valere ad evitandos ictus hoſtiles, & ad indurandum corpus, ſed &, ſi una cum Hebræis verbis Num. XI. 2. expreſſis, maſſæ panis includantur, aut cruſtæ inſcribantur, in ignem conjectas reſtinguere incendium.

LAOSTHENES.

Iſte annis 45. imperio populis præfuit.

CON-

CONTEMPORANEA.

SALOMO, ſub auſpicia Regni, ante omnia id negotii ſibi credidit dari, ut illud repurgaret, ac facinoroſos e medio tolleret. Quapropter *Joabum*, qui *Abnerum* & *Amaſam*, viros eximios, veteratorie peremit, *Simei* item, virum maledicentiſſimum, & *Adoniam* fratrem, novis artibus ad Regnum graſſantem, vita exuit. Amplius, *Abjatharem* Pontificem, quod ab Adoniæ partibus ſtetiſſet, a ſummo ſacerdotali gradu dejecit, & in ejus locum *Zadokum* ſurrogavit, Pontificatum Eleazaridis reſtituens. Poſt hæc, cum Salomoni Deus per viſum apparuiſſet, eique, cujus vellet rei, optionem dediſſet, Sapientiam omnibus rebus antepoſuit, ac divinitus conſecutus eſt. Inſignis hujus ſapientiæ rumor, vicinos Reges, *Hiramum* Tyriorum, & *Vaphrem* Ægyptiorum, excitavit, ut cum Salomone amicitiam contraherent, & tum rerum ab eo deſideratarum copiam ſubminiſtrarent, tum alia humanitatis officia præſtarent: horumq; literas ultro citroq; miſſitatas, apud Euſebium l. 9. de Præpar. Evang. cap. ult. reperire eſt, qui eas ex Eupolemo aſſervavit. Quidam, inter quos etiam eſt Pineda in Jobum commentans, Salomonis ſapienter inventis annumerant *Alphabetum*, *& linguam Arabicam.* Cui rei fidem facere conantur, ex libris plumbeis Granatenſibus, ſuperiori ſeculo inventis, & ab Apoſtolo Jacobo illiusque Diſcipulis exaratis, in quibus literæ Arabicæ, characteres Salomonis appellentur.

Cæterum, Salomo, Deo, primus omnium mortalium, *Templum* ædificavit, ſtructura magnifica. Magnitudo operis ex numero operariorum conjici poteſt,

eſt. Adfuere enim ex peregrinis Bajulorum 70000. Fabrorum 80000. Præfecti operis 3600. tum 30000. ex Iſraëlitis, qui per vices laborabant. Incomparabilis vero induſtria celebratur *Hurami*, totius ædificii atque ornatus magiſtri, & artificis. Deſcriptio ipſius Templi, ejusque partium, quarum tres erant præcipuæ, *Veſtibulum*, *Sancta*, & *Adytum ſanctiſſimum*, in quod Summus Sacerdos ſemel tantum in anno introibat, omnisque horum decor, peculiarem omnino tractationem requirunt, nec compendio tradi poſſunt. Diligentiſſime id præſtitit *Joh. Baptiſta Villalpandus*, qui *Hieronymi a Prado* labores, in illuſtrando Ezechiele continuavit.

Poſt ſeptimum ædificationis annum, & menſes fere ſex, abſoluta eſt Templi ſtructura, perfecta etiam ſunt vaſa ſacra, ingentis numeri & pretii. Proinde menſe ſeptimo, circa feſtum ſolemne Tabernaculorum, Salomo *Inaugurationem Templi*, convocato univerſo Iſraëlitarum populo, magna cum pompa atque religione celebravit, illato in novum Templum, locis convenientibus, Sanctuario Moſaico, Arca Domini, & reliquo ſacro apparatu, qui partim in Gibea, partim in monte Sion huc usq; fuerat. Oblata enim ſunt in ſacrificium, Boum 22000. Ovium 120000. Rex ipſe, ardentiſſima oratione, Deum, ut templo huic atque cultui favere, clemensque & propitius precantibus omni tempore adeſſe velit, invocavit, & populo benedixit. Deus viciſſim, in præſentiæ ſuæ teſtimonium, totum Templum nebula implevit, ac ſacrificia cœleſti igne abſumſit.

Templo exſtructo, *Palatium* ſplendidum, quod pro Regia eſſet, ac *Prætorium* eburneum inauratumque, cum leonibus per ſex gradus diſpoſitis, Salomon con-

condidit, 13. annorum opere. *Vrbes* præterea plurimas fundavit, aut munivit. *Claſſem* etiam in Ophir miſit, qua immenſam opum vim ſibi congeſſit. Sunt vero, quos inter, Poſtellus, & Arias Montanus locum ſibi vindicant, qui *Ophir*, pro Novi Orbis, ſive Indiæ Occidentalis ea parte habeant, quæ Peru hodie dicitur; inducti in id rationibus, tum quod Peruana regio auro abundat, tum quod literis inter ſe Ophir & Peru conveniunt. His tamen obſtat, quod naves Salomonis, quæ in Ophir abiiſſe dicuntur, conſtructæ fuere in *Eſiongaber*, ad mare Erythræum; quarum confectio facilior fuiſſet in ipſo Mediterraneo mari, pronior etiam inde navigatio in Peru: ſi modo, ſine pyxide nautica, Salomonis ætate nondum inventa, oceanus tam immenſus poterat transmitti. Porrò nec Ebur ex Peru attuliſſent Salomonis naves, ubi deſunt Elephanti; neque ſimias, pavones, thyinave ligna, quibus caret America. Quin, nec Peru nomen, ex Ophir conflatum eſt, quod indigenis, ante Hiſpanorum adventum ignotum erat, qui illud a flumine quodam, vel, quod alii volunt, ab homine, qui primus advenientibus Chriſtianis ibi obviam factus eſt, caſu impoſuerunt. Potius Ophir ea Indiæ Orientalis regio eſt, quæ, ultra Gangem, *Regnum Peguſiæ* nunc dicitur, & in quod omnes notæ quadrant, quibus Sacræ Literæ regionem Ophir inſigniunt. Ibi enim magna auri copia, gemmæ optimæ, elephanti, ſimiæ, pavones, & ligna pulcherrima, unde citharæ fiunt, reperiuntur.

Sapientiæ Salomonis fama, excivit Reginam felicis Arabiæ, ex plerorumque ſententia *Nicaulam* dictam, ut videre gloriam tanti Regis, ejusque frui alloquio concupiſceret. Hieroſolymam igitur adiit, & cum

Salo-

Salomonis ſapientiam ac Regiæ univerſæ cultum, longe ea ſuperare perſpiceret, quæ fando acceperat, in laudes ejus ſe reſolvit, eique, quod 1. Reg. X. 10. legitur, centum viginti talenta auri, aromata multa valde, & lapides pretioſos donavit. Zonaras l. 1. Annal. ſuperaddit iſtis Balſami radices, ut ob hanc cauſam, & ex hoc tempore, Balſamum deinde in Judæa creverit.

Enim vero, Salomonis felicitas, omnium rerum abundantia, & pax altiſſima, quibus fruebatur, adeo *animum ejus enervarunt*, ut in luxuriam, & vitia alia ſeſe transderet. Præter ſicitum enim Vxorum numerum, Reginas (inter quas Pharaonis Vaphris filia agmen ducebat) & Concubinas ſuas adeo multiplicavit, ut ad millenas adſcenderent. Cumq. inter illas plurimæ alienigenæ, ex vicinis gentibus, quarum conſuetudo lege divina prohibita erat, lectæ eſſent, amore earum occæcatus, cultum idolorum, in terram ſanctam ab iisdem introductum, primum diſſimulavit, deinde approbavit, denique & ipſis Deaſtris idola erexit.

Acceſſit ad hoc prodigioſa *tributorum exactio*. Cum enim tot Conjugibus ac Pellicibus ſplendide alendis veſtiendisque, item tot urbibus, templis; & palatiis exſtruendis, theſauri Regii exhaurirentur, ſubditos exactionibus graviſſimis vexare cœpit, ceu conſtat ex iis, quæ Iſraëlitæ, antequam a Domo Salomonis deficerent, Rehabeamo objecerunt. Præcipue *Idololatria* Deus offenſus eſt, & idcirco tres ei adverſarios ſuſcitavit. *Hadad* enim Idumæus, regio ſanguine natus, Ægyptia affinitate confirmatus, paternam provinciam, a Davide debellatam invaſit. *Rezon* quidam, Syrus gente, e Ducibus Hadar-Ezer olim a Davide victi, latrociniis vires adeptus,

Dama-

Damaſcum ſibi vindicavit. Inſuper *Jeroboam*, Nabathi filius, e tribu Ephraim, magnam inter populares autoritatem acquiſivit. Huic etiam a Deo Regnum in X. Tribus Iſraëliticas, ſtabile quidem ac felix, ſub conditione pietatis, per Prophetam *Ahiam*, Silonitem, promiſſum eſt, Salomone fruſtra eum perſequente.

Inter hæc calamitatis publicæ præludia, mortuus eſt Salomo, ſexagenario major, cum regnaſſet annos 40. De *pœnitentia* ejus nihil in Sacris Literis diſerte traditur, quam ideo quidam Eccleſiæ Doctores in dubio relinquunt, aliqui etiam prorſus negant. Nos, ad mitiorem partem accedimus eorum, qui ſub exitum vitæ conſcriptum ab eo *Eccleſiaſtem* opinantur, pœnitentiæ indicem, &, quo amoribus mulierum, cultui idolorum, aliisque, ut ipſe appellat, vanitatibus nuncium remiſit. Ter mille *Sententias*, *Cantica* vero quinque ſupra mille compoſuit. De rebus quoq; naturalibus, arboribus, herbisque, & plantis fere omnibus, de jumentis pariter & volucribus, de piſcibus, reptilibusque commentatus eſt. Horum aliqua ſuperſunt, in libris *Proverbiorum*, *Canticorum*, & *Eccleſiaſte*; reliqua, injuria temporum interciderunt.

Nunc videndum, quomodo eam, quam e Sacra Scriptura petitam, nos breviter dedimus veram Salomonis hiſtoriam, mendaciis & nugis alii interpolarint. *Judæorum Traditiones ſunt*: Expetierat Salomo, Templum Deo fabricaturus, a Rege Ægypti, Socero ſuo, ut Operarios ſibi mitteret ingenti numero. Ægypti Rex, utpote profano cultui addictus, ægre ferens iſtud cœptum, cum tamen minime auderet Generi deſideriis refragari, permultos quidem ablega-

legabat, ſed omnes tales, de quibus, ex Aſtrologica, qua pollebat, ſcientia, certo ſciebat, eos illo ipſo anno morituros. Non minor erat Salomonis in aſtrorum ſcientia virtus, ad ſe igitur delatis hominibus, cum liquido animadverteret, cuique illorum ſuum imminere fatum, ſingulis amiculum ferale dare, atque omnes dein abigere juſſit, cum epiſtola, his verbis ad Pharaonem perſcripta: *Equidem credo, te, iſtis, de amiculis feralibus, hoc anno induendis, proſpicere non potuiſſe. Ecce iis inſtructi ad te redeunt.*

Legitur 1. Reg. VI. 7. *Templum cum ædificaretur, lapide integro, ut fuerat advectus, ædificatum eſſe: neq; malleum, aut ſecurem, aut ullum inſtrumentum ferreum auditum eſſe in illo Templo cum ædificaretur.* Quærat quis, quomodo citra inſtrumenti ferrei uſum, ex integris lapidibus Templum ædificari potuerit? Notandum igitur, nefas fuiſſe, ut ferrum, quo nullam rem nocentiorem natura rerum edidit, quoq; homines plurimum necari ſolent, ad Templi, quod pacem & tranquillitatem inter mortales conciliare debebat, fabricam adhiberetur. Pro ferro igitur *Schamir* vermiculus, haud major hordei grano, ſub ipſius mundi exordium a Deo μοναδικῶς creatus, & cujus ea vis, ut lapidi etiam duriſſimo maximoq; impoſitus, eundem diffindat, valuit, eoque uſus etiam Moſes eſt, cum gemmis, quibus & Pectorale, & Humerale Summi Pontificis ornabantur, Nomina Tribuum inſculperet, quod, ex præcepto Exod. XXV. 6. & c. XXXV. 9. ita peragendum fuit, ut iis gemmis, מלאים [illegible] *integritates ſuæ* conſtarent, nec quicquam illis [illegible]oturam decederet. Nempe, deſcribebatur [illegible] gemmis figura literarum, quam impoſitus

deinde, Schamir, poſt ſe, ſolo contactu impreſſam relinquebat: atque ſimili ratione Salomo quoque, illo verme, aut ſecabat plane lapides, aut artificioſe cælabat. Sed, quo pacto eum nactus ſit Salomo, cujus a Moſis ævo notitia inter homines plane perierat, cognitum habere oportet. Nimirum, cum Salomo Judæorum Sapientes convocaſſet, ac conſilium petiiſſet, quomodo vermiculo Schamir, tam neceſſario ad ædificationem, potiri poſſet? illi ignorantiam ſuam profeſſi ſunt, interim ſuadentes, dæmonas ad ſe vocatos tormentis ſubjiceret, ut profiterentur, quid de Schamir habeant cognitum. Dæmones in equuleo torti, perſancte dejerabant, nihil quicquam ſibi de Schamir conſtare, ita tamen ut proderent, penes Aſmodæum Principem ipſorum, hujus teredinis extare notitiam. Ergo miſſus eſt *Benjahu* Jehojadæ filius, qui, catena, cui ineffabile Dei nomen inciſum, Aſmodæum vinciret, vinctumque adduceret. Fecit ille, quod fuerat imperatum, ac tertio poſt die quam fuit adductus *Aſmodæus*, cum prius ob crapulam & intemperantiſſimam comeſtionem, ex quibus laborabat Salomo, non admitteretur, ad Regem intravit: ibi ſumta pertica, ſpatium ulnarum quatuor, quot ſcilicet longus erat Rex, humi dimenſus eſt. Poſt, projecta in medium pertica, Salomonem intuens, ait: Iſte homo, cum nihil poſt obitum ex hoc mundo ſibi habiturus ſit, præter ulnas telluris, ubi ſepulcrum fodietur, quatuor, tamen ſubjugato orbe univerſo, nondum ſatiatur, niſi me quoque peſſundet. Reſpondet Salomo: Nihil tuarum rerum ego deſidero: ſolo Schamir ad exſtructionem ſacri templi mihi opus eſt. Subjicit Aſmodæus: Meæ cuſtodiæ creditus non fuit, ſed tenet eum *Sara-Duma*, qui

Occa-

Oceano, undiſque præfectus eſt Angelus, nec illum cuiquam credit, niſi ſoli *Gallo ſylveſtri*, cujus jurijurando fidem adhibet. Quærente vero Salomone, quid Gallus ſylveſtris faceret cum vermiculo Schamir? reſpondit Aſmodæus; iſte Sylveſtris Gallus, defert vermiculum ad montes petroſos, nullo gramine, nullisque arboribus veſtitos, quorum cacuminibus dum eum imponit, ut findantur efficit. Poſtea collecta arborum ſemina, illuc projicit, unde montes ſylveſcunt: atque hinc Gallus ſylveſtris montium cultor ſolet appellari. Proinde quæſitus fuit nidus Galli ſylveſtris, isque commodum pullos tum excluſerat. Hunc nidum, una cum pullitie, abſente genitore, vitro albo obduci curavit Salomo. Reverſus Gallus ſylveſtris, cum intrare nidum conaretur, nec poſſet, abiit, & vermiculum Schamir afferens, eum vitro imponere volebat. Ibi tum ii quos ablegaverat Salomo, clamorem ingentem edunt, quo ille perterritus, vermiculum decidere paſſus eſt, quem a Salomone miſſi ſuſtulerunt. Gallus vero ſylveſtris abiit, & ſe ſuſpendio necavit, ob violatam jurisjurandi religionem. Hunc deinde Vermem, usq; ad primi templi deſolationem, Judæi in arca plumbea ſummo ſtudio ſervarunt, rebus mollibus ei ſubſtratis, quod durioribus contineri non poſſet, furfurum copia ei abunde ſubminiſtrata. Fidem, quod obiter monendum, fabulæ huic, nonnihil tamen mutatæ, adhibuit e Chriſtianis etiam Vincentius Bellovacenſis, ſcripſitque adeo Doctrinalis libro 16. cap. 123. *Salomon cum marmor Parium ad ædificationem Templi de remotis partibus convehi præcepiſſet, conſcius probibitionis Legis, quæ vetuit altaris ædificandi lapides ferro incidi, quæſivit experimentum in vermibus,*

bus, quod ars humana neſcivit. Nam pullum Struthionis in vitreo vaſe recluſit; quem, cum videret Struthio, & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentans, ad deſertum cucurrit, rediensq; vermiculum tulit; cujus ſanguine vitrum linivit, & confractum eſt, ſicq; fœtum eripuit. Quod videns Salomon, hoc experimento, eodem genere vermis in inciſione duriſſimi marmoris uſus eſt, & effectum conſecutus eſt. Silet quidem de Dæmonibus a Salomone ſubactis, qua in parte tamen Judæis pollicem preſſit Gregentius Archiepiſcopus Tephrenſis in Diſputatione cum Herbano Judæo, quæ Tomo IX. Bibliothecæ Sanctorum Patrum inſerta habetur, agnoſcens, quod Salomo, ad tempus, dæmonas vaſis incluſos & ſeptos tenuerit, & ſigillo conſtrictos terraque obrutos occulerit.

Etſi Scriptura teſtatur *Salomonem Templo Dei ædificando, non totos octo annos, ſuæ vero Regiæ conſtruendæ, annos tredecim impendiſſe,* non ideo tamen credere oportet, hujus fabricam, illo fuiſſe pulchriorem. Nimirum, melius & promtius ſuccedebat Templi ædificatio, quia huic labori Deus adſpirabat; & Angeli quoque ſocias manus commodabant. Ex architectis vero, qui operam ſuam navabant, per omne illud tempus, quo ædificationi intenti erant, nemo unus ægrotavit, nec cujusdam ſecuris aut malleus confractus fuit.

In reliquo Templi ornatu, eminebat imprimis *Vitis aurea*, aurearum uvarum quotannis ferax. Notabantur in Templo aſſidue X. *miracula.* (1) Nidor carnium quæ ſacrificabantur, nunquam earum appetentes reddebat prægnantes: nec enim ex illis aliquid porrigere licuiſſet deſiderantibus; recuſatio-

nem autem arbortus conſequi poterat. (2) Cum Muſcæ cæteroqui mactatis carnibus inhient, nulla tamen ullo tempore inſedit victimis. (3) Haud unquam Summus Pontifex immunditie gonorrhœas pollutus fuit per ſomnum pridie diei expiationis, ſecus enim in ſolemni feſto officium ei facere non licuiſſet. (4) Etiam Nimbi denſiſſimi ex æthere cadentes, non exſtinguebant ignem æternum altaris. (5) Quin nec ventorum vis, Fumi, ex altari alta petentem quaſi quandam columnam, diſſipare potis erat. (6) Nullum vitium unquam inerat manipulo hordei, ex lege Lev. XXIII. 10. ſeqq. deſcripta, poſtridie feſti paſchatos, Deo, pro meſſis mox peragendæ primitiis, offerendo. (7) Nec erat unquam vitium in Panibus Agitationis, de quibus mandatum ſequitur in eodem cap. XXIII. 17. & in Panibus Propoſitionis, de quibus Levit. XXIV. 5. ſeqq. præceptum extat. (8) Stabant Judæi in Templo, ob frequentiam, arctiſſime, ſed inclinantes ſeſe prono corpore verſus Templi adyta, aut confitentes peccata, ampliſſimum nanciſcebantur ſpatium. (9) Nunquam Hieroſolymis ſerpens vel ſcorpius quenquam læſit. (10) Fragmina ollarum ſolum deglutiebat. Hæc uberius expoſui in Sota p. 426. ſeqq.

De eo quod circa *Sabæorum Reginam* ſucceſſit, ſic habendum. Solebat Salomo evocare ad ſe gentium vicinarum Reges, & cum iis genio indulgere. Cœnantes una, ſaltationibus ac tripudiis ſuis exhilarabant varii generis animantia, quæ ad nutum vocantis Salomonis aderant. Juſſus eſt aliquando comparere *Gallus Sylveſtris*, quem cunctantem, rurſus evocat Salomo, & adventanti tarditatem exprobrat. Reſpondet Gallus: Ignoſce, quæſo, o noſter Rex, nec enim

enim ob virium defectum, ex trium menſium continua inedia ortum, citius adventum maturare poteram. Nempe libido me cepit, pervolandi orbem univerſum, ut explorarem, num quæ gens aut natio eſſet, tuo minime ſubjecta imperio. Dum alarum remigiis mundum, qua patet, ſic emetior, in unam ſolam Reginam incidi, tuæ poteſtati neutiquam obnoxiam, cujus regio auro & argento, fructibusque abundat, quæque Sabæorum Regina vulgo dici ſolet. Quod ſi igitur tibi videtur, ſtipatus avium catervis, efficiam, ut illa Regina faſces quoque tibi libens volensque ſubmittat. Tu modo Epiſtolam ad illam ſcriptam, mihi committe perferendam. Ergo Salomo tales concipit literas: *Rex Salomo, Sabæorum Reginæ bene rem gerere. Numen Æternum Regem me conſtituit omnium ferarum & volucrum: meum ſupercilium omnes Orbis hujus Reges verentur. Quod ſi me viſitabis, majore te præ cæteris honore afficiam: abnuentem, copiis meis infeſtabo. Neque eſt ut dicas, non poſſe me tibi ob nimiam locorum diſtantiam nocere. Faxo enim aves atque feræ, te tuosq; diripiant.* Has literas, Salomon alis Galli ſylveſtris ſupponebat, atque is, comitatus Avibus univerſis, Sabæam regionem petit. Habebat Regina in more poſitum, ut quotidie, poſt auroræ exortum, litus maritimum peteret, Oceano, quem pro Deo colebat, ſupplicans. Ergo, dum quodam die ad litus ſe confert, videt tantam Avium copiam advolantem, ut ipſius Solis conſpectum ſibi adimerent. Nec mora, Dux reliquarum, Gallus ſylveſtris, Reginæ propior factus, literas quas ejus fidei Salomon crediderat, exhibet. Illa, tum avium mirata multitudinem immenſam, tum Salomo-

nis literas, quærit, ex Satrapis, num quid fando de Salomone acceperint? Negantibus iis, & Salomonem contemnentibus, ait illa, minime eum ſperendum eſſe, qui aves omnes famulantes habeat, ac ſtare ſententiam, illum, quisquis tandem ſit, conveniendi. Hanc ob cauſam naves multas parat, quarum proræ puppesque gemmis & multo auro radiabant, iisque imponit ſex mille adoleſcentes venuſtatis eximiæ, omnes eodem anno, eadem die, eademq; hora in lucem editos. Hos ad Salomonem curſu pelagio contendere jubet, cum literis,quibus inſcriptum erat: *Regina Sabæorum Salomoni Regi multam ſalutem precor. Equidem nolim deeſſe officio te adeundi, & tua juſſa capeſſendi. Sed, cum mea regio, ab ea, quam tute incolis, ſeptem annorum diſtet itinere, quæſo te, pro ea, qua polles, ſapientia, modum aliquem ineas, quo tantum intervallum, ad triennalis itineris compendium redigatur.* Fecit id Salomo, atque exacto triennio, adeſt Regina Sabæorum, cui a Salomone *Benjahu Jebojadæ filius*, vir decore corporis ante alios, obviam miſſus fuit, qui adventum gratularetur. Illa, Regem ipſum venire credens, in genua provolvitur, cui Benjahu ſublatæ, quis ſit eloquitur. Tum ad Satrapas converſa Regina, qualem, inquit, quantumque oportet Regem eſſe, qui talem habet miniſtrum! Deducta deinde a Benjahu ad Salomonem, offendit eum ſedentem in aula, cujus pavimentum totum erat cryſtallinum. Ipſa igitur exiſtimans, undas ſibi ingrediendas eſſe, tollit genibus tenes veſtes, atque ſic animadvertit Salomo, tibias ejus crinibus refertas eſſe. Ait igitur: fateor ſane, te fœminam perpulchram eſſe; ſed iſti criniti pedes, virorum proprii, formam tuam non decent.

Atque

Atque hoc primum ſapientiæ, quam Salomo edidit, erat ſpecimen, eumq; Regina, cum ſimul conſediſſent, variis porro pertentare cœpit ænigmatibus. Quid eſt illud, inquiebat, quod cum terra ſit, ac e terra proveniat, in aquam tamen commutatur: atque ſic fluidum, & cuti tenaciſſime adhæret, & flammam concipit? Reſpondebat Salomo: Picem, mihi ſignificas. Ea effoditur e terra; excocta, fit liquida; cuti illita, ægre abradi poteſt; ignique præbe pabulum. Pergebat Regina: Dic dum quid illud ſit, quod Viros nobiles ornat, pauperes non item: quod mortuis elegantiam conciliat, vivis non item: quod avibus gratum eſt, piſcibus minime. Reſpondebat Salomo, omnia iſta in Linum quadrare. Nimirum veſtem linteam, aliis indumentis ſplendidis additam, Nobilium eſſe ornamentum; pauperum, qui ea ſola tecti incedunt, dedecus. Hac, ſi mortui involvantur, cadavera cultum accipere; ſed vivos, ſi funibus e lino factis ligentur, ſqualere: Avibus prodeſſe ſemen lineum ad victum, Piſces capi lineis retibus. Inſtabat Regina: Hem, quid illud tibi videtur, cujus fons eſt ligneus, ſitulæ ferreæ: quod hauritur lapideum eſt, quodque effunditur aqueum. Nihil cunctatus Salomo, ait eſſe Colorem. Quippe hunc asſervari in pyxide lignea: eximi cochleari ferreo; dum eximitur ſervare naturam lapidis; cum in uſum adhibendus, aqua macerari, & redigi ad fluorem.

Poſtquam iſtos alioſque griphos Salomoni Regina ſic propoſuiſſet, quos omnes ille diſſolvit, adducit in medium pueros puellaſque veſtitos muliebri habitu; jubetque, mares a fœminis diſtingueret. Salomone ergo pira & poma jactante, cum pueri, gremio e tunicis facto, ea exciperent, puellæ vero ma-

nibus tantum miſſiles fructus captarent, præ modeſtia veſtem tollere non audentes, facile ſexus utriusque apparuit diſcrimen. Similiter oſtendit Regina Salomoni e longinquo veros flores, aliosque ad imitationem verorum, e cera, ſummo artificio confictos, quærens, num naturæ, ab artis floribus dignoſceret? Hoc quoque expedivit Salomo, imperans ut alvearium plenum apum afferretur: quibus emiſſis, veros flores illæ delibabant, fictitios miſſos facientes.

Cum Salomo inter confabulandum cum *Aſmodæo*, aliquando huic teſtaretur, velle ſe libenter ſcire, qua poteſtate dæmones polleant: ibi Aſmodæus, ſolve me, inquiebat, Dei ineffabile nomen inſculptum habente, quæ me conſtrictum tenet, catena, ac tum oſtendam tibi, quantum dæmones valeamus. Fecit id Salomo, nec mora Aſmodæus correptum Salomonem jactat in eremum 400. milliaribus Hieroſolymis diſtantem. Interea loci induebat Aſmodæus Salomonis formam, pro illo ſe gerens, & cum ejus mulieribus in geniali thoro recubans: miſer vero Salomo circuibat per orbem, clamitans: ego ſum Salomo: eratque ludibrium mortalium, cum omnes illum amentem crederent. Quia vero conſtans hic ſermo fuit in ore Salomonis, ſcrupulum ea res movit Sapientibus Hebræorum, quod mente capti non idem ſemper dicere ſoleant. Ergo quærunt ex conjugibus regiis, anne Salomo adhuc cum illis agat? Reſpondent illæ, frui ſe ipſius conſuetudine ſingulis noctibus. Mox, ex ipſa re Sapientibus incidit ſuſpicio, fieri poſſe, ut iſte Salomo, perſonatus dæmon ſit, unde quærunt, quales ei ſint pedes? hos enim nunquam dæmones plane in humanorum pedum formam immuta-

mutare poſſunt. At, negant mulieres, ſe unquam iſtius Salomonis pedes conſpexiſſe, quod ſoccos indutus in lectum ſe conferat. Hanc ob cauſam minime dubium fuit Sapientibus, dæmonem quendam, ſub Salomonis habitu, hominibus illudere: unde, vero Salomoni Dei Nomen committunt, quo ille ſtatim Aſmodæum abegit.

Etiam mortuus Salomo dæmonas fefellit, qui eum defunctum ignorabant, priusquam vermes baculum, cui innitebatur, arroderent. Locum hic ſibi ſummopere poſtulat, quod apud Joſephum l. 8. Antiq. c. 2. legitur. *Eam*, inquit, *rem Salomon divinitus conſecutus eſt, ad utilitatem & medelam hominum, quæ adverſus dæmones eſt efficax. Incantationes enim compoſuit, quibus morbi pelluntur, & conjurationum modos ſcriptos reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, ut in poſterum, nunquam reverti audeant: atque hoc ſanationis genus nunc usque plurimum apud noſtrates pollet. Vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum, in præſentia Veſpaſiani, & filiorum, & tribunorum, reliquorumq; militum, multos arrepticios percurantem. Modus vero curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci anulo, ſub cujus ſigillo incluſa erat radicis ſpecies a Salomone indicatæ; ad ejus olfactum, per naſum extrahebatur dæmonium; &, collapſo mox homine, adjurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein Eleazarus, his qui aderant, oſtendere artis ſuæ efficaciam, non longe inde ponebat poculum aut polubrum aqua plenum, imperabatque dæmonio hominem exeunti, ut his ſubverſis ſignum daret ſpectantibus, quod reliquiſſet hominem;*

quo facto nemini dubium erat, quanta fuiſſet Salomonis ſcientia, & ſapientia. Et vero, Romana quoque Eccleſia, illius dæmonas conjurandi artis, quem exorciſtæ in ea profitentur, Salomonem facit autorem. Extat etiam penes me libellus MS. cui *Clavicula Salomonis* nomen, plane magicus, & plenus male ominatorum verborum, quem Salomonem compoſuiſſe perhibent.

Æthiopes narrant, Reginæ, quæ Salomonem adiit, nomen fuiſſe *Maqueda* Hanc fama excitam Salomonis, profectam Hieroſolymas, dum adhuc idolorum cultui ſtudebat, ab eo Moſaicam legem didiciſſe, & in reditu, ex illo peperiſſe filium qui *Meilech* vocatus ſit. Hunc annos 20. natum a Maqueda miſſum ad patrem Salomonem, ut ab eo ſapientiæ præceptis inſtrueretur; Salomonem, iſtum filium ſuum appellaſſe *Davidem*, optimeque inſtitutum remiſiſſe ad matrem, qui prius ante diſceſſum, tabulas fœderis Domini ex Arca ſurripuerit; proque iisdem alias, quas in ſimilitudinem verarum prius edolaverat, ſuppoſuerit, veris & legitimis ſecum abſportatis. Porro, matrem, filio redeunte, abdicaſſe ſe imperio, illud in Davidem transtuliſſe, atque in hæc usque tempora, in eadem gente proleque maſcula id perdurare.

Muhammedes, in Alcoranum, a Judæis petitas fabulas, ſedulo tranſtulit: quod nimirum Salomo feris imperarit, quod cum illis ſermones miſcuerit, quodque dæmonum in exſtruendo templo uſus ſit miniſterio; ne illam quidem de Sabæorum Reginæ piloſis pedibus negligens, ut Schickardus in Tarich, perperam, pro libidinoſi hujus Mecchenſis Prophetæ invento, illam narrationem accipiſſe videatur. Fit pariter Salomonis perſonati, & veri hominis figuram

ram mentientis, in Alcorano mentio. Addendum, his, quod Salomo, ex Saracenorum opinione, *ludi latrunculorum* autor extitit.

PYRITIADES.

Hujus imperio 30. annos aſſignant.

CONTEMPORANEA.

JVDÆ REGNVM.

Æqualis temporum Pyritiadis, aut paulo etiam antiquior, (neque enim de his admodum laborandum,) fuit ſapientiſſimi patris Salomonis ſtolidiſſimus filius REHABEAMVS. Hic enim, mentis ſuæ levitate, plerorumque ſuorum ſubditorum animos adeo offendit, ut alium quemvis, quam ipſum, ſibi imperare mallent. Cum enim in *Comitiis Sichemi celebratis*, Iſraëlitæ eum rogaſſent, ut de tributis aliquid remitteret, impoſitumque a patre jugum levius redderet; ipſe juvenum conſilia ſecutus, aſperum reſponſum dedit, quo ſe atrocius quam a Patre factum eſſet, in omnes graſſaturum affirmavit. Hoc reſponſo exulceratus major Iſraëlitarum numerus, mota ſeditione, novum ſibi Regem *Jeroboamum*, Ephraimitam, ex Ægypto, quo metu Salomonis confugerat, revocatum, ſtatuit, Rehabeamoque obſequium detrectavit. Seceſſerunt vero ab ipſo *X. Tribus*, ſecundum vaticinium ab *Achia* Propheta editum, Judæ tantum, & Benjaminis Tribubus eidem relictis: adeoque *duplex Hebræorum Regnum exortum, Judaicum & Iſraëliticum*; illiusque, *Judæ*, hujus vero, *Iſraëlis* Reges appellati ſunt. Lapidato a rebellibus *Adorami* Quæſtore, qui ad mitigandum populum deſtinatus erat, Rehabeam etiam ſibi metuens, ex Sichemo Hieroſolymas aufugit: ultionemque ſpirans,

habito delectu, centum octoginta millium exercitum conſcripſit, quo amiſſa recuperare, ac ſeditioſos ad priſtinam obedientiam reducere volebat. Verum, in ipſo procinctu, Propheta *Schemaja* a Deo miſſus, eum a propoſito abſterruit. Regionis diviſionem, ſecuta quoque eſt religionis diverſitas, ob Jeroboami cœptum. Quamobrem Deus iratus, hoſtium libidini Judæos expoſuit. *Siſac* enim Ægyptiorum Rex, ex Ægypto in Palæſtinam, magna cum multitudine aſcendit, Hieroſolymas cepit, & quicquid theſaurorum tum regiorum, tum ſacrorum, inventum fuit, ſecum absportavit. In his præcipue erant aurea Scuta, quæ, pompæ gratia conflarat Salomo: quorum vice Rehabeamus, Glauco haud abſimilis, ærea repoſuit. Regnavit Rehabeamus annis 17.

Mortuo Rehabeamo, regnavit apud Judæos, tribus fere annis, filius ejus ABIAM, quem, ex *Maacha* genuerat. Is, parente felicior extitit: quippe Jeroboamum bello laceſſere auſus, quinquies centena millia Iſraëlitarum proſtravit, quot uno in prælio interfectos, vix alibi legitur. Perſecutus victoriam, Bethelem, ubi alter a Jeroboamo conſtitutorum vitulorum colebatur, aliasque urbes, una cum villis earum, in ſuam redegit poteſtatem. Regnum tamen Iſraëlis recuperare non potuit: tum quod ei vita diuturna non fuit, tum quod Deo aliter placuit. Judæi tradunt illum a Deo propera morte ſublatum eſſe, quod vitulum aureum in Bethel, quem tollere poterat, intactum reliquit.

ASSA, Abiamis filius, initia Regni læta habuit. Arſit enim veræ religionis zelo, eoque motus, lupanaria, Deosque ſtercoreos ſuſtulit, neque materno terriculamento, *Miplezeth* dicto, pepercit,

ſed

ſed illud ſubvertit funditus. In præmium hujus pietatis, Deus ei ingentem contra Æthiopum Regem *Zaram*, conceſſit victoriam, quem, cum decies centenis, hominum millibus, ad internecionem delevit, immenſa præda potitus. Poſtea tamen hic pietatis fervor nonnihil refriguit. Cum enim *Baëſa* Rex Iſraël, urbem *Ramam*, ut ex ea Hieroſolymitanos incurſionibus tanto commodius fatigare poſſet, communire, muroque circumdare vellet, Aſſa, relicto Deo, humanam quæſivit opem, Syriæque Regem *Benhadadum*, fœdere ſibi junxit. Is, bello in Iſraëlitas moto, Aſſæ gratificatus, æmulum a munienda Rama revocavit. Iſtud cœptum Deo vehementer diſplicuit, eoque nomine Aſſa per *Hananum* reprehenſus eſt, etſi irrito conatu. Cum ſenuiſſet Aſſa, fere omnem Dei cultum abjecit, Medicisque, vel, ut alii volunt, Incantatoribus, totum ſe tradidit, omnemque fiduciam in iis habuit repoſitam: qui tamen gravi pedum dolore, quo cum conflictabatur, liberare eum non potuerunt, ſed illo extinctus eſt. Deceſſit anno regni 41. magnaque cum ſolemnitate, in crypta, quam ſibi fieri curaverat, fuit ſepultus.

ISRAELIS REGNVM.

Major, ceu dictum eſt, Jſraëlitarum numerus, a Rehabeamo, Salomonis filio, defecit, Regemque ſibi conſtituit JEROBOAMVM, ex Ægypto revocatum, quo, metu Salomonis, confugerat. Cæterum, Jeroboam Rex Iſraëlis factus, veritus, ne ſi ſui, ſacrorum celebrandorum cauſa Hieroſolymas aſcenderent, ſeducti ab Hieroſolymitanis, ſententiam mutarent, & poſtliminio ad Rehabeamum deficerent, inito cum aliis conſilio, novas religionum formulas, aſtute quidem

dem, ſed impie commentus eſt. Duos enim conflavit *Vitulos aureos*, e quibus alterum in Dan conſecravit, ad terminum ſui Regni Borealem; alterum, ad Meridionalem, in Bethel, urbe Benjaminiticæ tribus: ſive Aaronis in deſerto conſtituti, ſive potius Ægyptiacæ religionis, unde nuper redierat, æmulatione, &c; ut Ægyptiorum amicitiam, ac auxilium, ſi opus, ſibi conciliaret. Excelſa etiam poſuit, ubi ſacra fierent, & Sacerdotes qui præeſſent, e plebe quosvis inſtituit, veros autem Sacerdotes Levitasque omnes, ex ſuo regno exturbavit. Poſtremo, publico edicto cavit, ne quis Hieroſolymas religionis cauſa adiret. Et vero, ab hac impietate, nulla prophetia, nullo miraculo repelli amplius potuit. Cum enim aliquando, inter adolendum, manus ei exaruiſſet, iterumque per Prophetam quendam reſtituta eſſet, adeo tamen idololatriæ non valedixit, ut potius in ea ſtatuminanda quaſi obbrutuerit. Hinc per *Achiam*, qui regnum & ſceptra ipſi olim vaticinatus fuerat, exterminium quoque domus ejus, imo totius Regni Iſraëlitici, ſuo tempore futurum, dum ab illius uxore de morbo filioli conſulitur, prædictum eſt: cui vaticinio etiam poſtea eventus nequaquam defuit. De reliquo, Jeroboam memorabili prælio ab Abiam, Rehabeami filio, victus, haud diu poſt ſuperfuit. Regnavit vero in univerſum, annos 22.

Jeroboamo patri ſucceſſit filius NADAB, paucorum menſium Rex, non regni tantum, ſed & malitiæ paternæ ex aſſe heres, & jam vivo parente in conſortium regiminis aſſumtus. Is, cum minus feliciter bellum Philiſtæis inferret, in odium venit, & a Baeſa peremtus eſt.

BAESA,

BAESA, Ahiæ filius, ex tribu Iſaſchar, non Nadabum tantum occidit, ſed & univerſam Jeroboami familiam crudeliter extinxit: auſu quidem improbo, quo tamen, neſcius, & malus ipſe, divinum de Jeroboamo decretum executus eſt.

Res Gentilivm.

Apud Gentiles, clariſſimum eluxit *Homeri* ingenium, omnium, qui extant, profanorum Poëtarum antiquiſſimus, qui, ceu Vellejus l. 1. prædicat, fulgore carminum, ſolus apud antiquos appellari Poëta meruit. In eo hoc maximum eſt, quod neque ante illum, quem ipſe imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet inventus eſt. Cæcum fuiſſe volunt, & ob id Homeri nomen ſortitum eſſe, cum prius *Meleſigenes* diceretur. De patria vere non conſtat, &,

Septem Vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chius, Argus, Athenæ.

Nec tantum hæ ſeptem urbes, verum, ſi ex Suida, & Plutarcho rationem ineas, vel ter ſeptem, interque has Roma, civem ſuum Homerum vindicabat. Quæ ſane rei incertitudo, Appionem Grammaticum permovit, ut umbras evocaret Homericas, ad percunctandum, qua patria, quibusve parentibus eſſet genitus. Reliquit nobis Homerus præcipue Iliadem & Odyſſeam. Atque *Ilias* ab eo dicta, quod bellum contineat, apud Ilium, inter Græcos & Trojanos, ob raptum Helenæ geſtum. Quoniam vero in hoc opere, nullum non mali genus recenſetur, factum eſt, ut *Ilias malorum*, pro omni genere calamitatum accipiatur. Alterum opus vocatur *Odyſſea*, quod eſt de

de Vlyſſis erroribus, qui Græcis Ὀδυσσεὺς dicitur. Atque hos libros, Alexander M. in ſcrinium Darii, quod auro gemmisq; ac margaritis pretioſum nactus erat, cuſtodiæ dedit, ut pretioſiſſimum humani ingenii opus, quam maxime diviti arca ſervaretur. Sane *Plutarchus l. 2. de Homero*, omnium artium, phyſicæ, medicinæ, politicæ, ethicæ, eloquentiæ, rei militaris ſemina, Homeri libris ineſſe affirmat. Apud Ælianum legimus, Homerum ab Indis in ipſorum linguam converſum eſſe, quin & templum aliquos ei condidiſſe: legimus apud Abulpharajum, in Compendio Dynaſtiarum Arabico quod Pocockius edidit, a Theophilio Thoma, Maronita in monte Libano, Homerum Syriaco idiomate fuiſſe expreſſum. Illud tamen in Homero reprehenſionem meretur, quod primus Diis nomina flagitiaque attribuere auſus eſt. Mortuum eſſe Homerum, ægritudine victum, quod quæſtionem de pediculis ſolvere non potuerit, magis fabulæ quam vero affine videtur.

MILLLENARII IV.

SECVLVM I.

OPHRATÆVS.

IMperium adminiſtravit annos 20.

CONTEMPORANEA.

JVDÆ REGNVM.

JOSAPHAT, Aſſæ filius, unus fuit ex optimis, & laudatiſſimis Judæorum Regibus. Regnum ab inſtauratione divini cultus auſpicatus eſt, lucos & excelſa idolorum e medio tollens. Porro

Eccle-

Eccleſiaſtica & Politica judicia conſtituit, Caſtella & Arces communivit, præſidiaque iisdem impoſuit; nam & undecies centena & ſexaginta millia hominum, ad pugnam expeditorum, ſub ſignis habebat. Ea re, tantum nominis ſui terrorem vicinis gentibus, Philiſtæis & Arabibus præſertim, incuſſit, ut certatim ei dona ferrent. Inter bella quæ geſſit, illud maxime memorabile, quod *Ammonitæ*, *Moabitæ*, & *Idumæi*, junctis viribus, adverſus Judæos excitaverant. In hoc, inſperatam de prædictis populis victoriam conſecutus eſt, eamque facillimam. Nam, pars hoſtium, quæ in inſidiis collocata, & ex Idumæis conflata erat, Deo vertiginem quandam immittente, in ſocios magno cum impetu irruit, ſerio perſuaſa, hoſtes ſuos ſe adoriri, atque ſic maximam cladem, & dedit, & paſſa eſt. Profligatis hac ratione Idumæis, poſtea Ammonitæ quoque & Moabitæ, rixa temere ſuborta, ferrum adverſus ſeſe mutuo ſtrinxerunt. Cæterum, ob affinitatem, cum *Ahabo* & *Ahaſia*, impiis Iſraëlis Regibus, initam, dum *Ahabi filiam Athaliam Joramo* filio conjugem expetivit, fortuna vultum ſuum ab eo avertere cœpit. *Naves* enim ejus, quas in Ophir deſtinaverat, in itinere confractæ ſunt: ipſeque, dum Ahabo ſe jungens, contra Syros dimicant, ægre incolumis evaſit. Diem obiit ſexagenarius, annos regnavit 25.

Israelis Regnum.

ELLA, Baëſæ filius, Rex fatuus, impius, & ebrioſus, rebus præfuit cum patre biennium, &, poſt eum, paucos menſes. Quippe, a ſervo ſuo *Simri*, qui dimidiæ partis curruum præfectus erat, transfoſſus eſt inter pocula.

SIM-

SIMRI, Ellam, cum univerſa Baëſæ ſtirpe ſuſtulit e medio. Sed, nec hujus Regicidæ imperium diu ſtabile fuit. Ei enim pro Rege ſe gerenti, *Thirzamque* Vrbem Regiam occupanti, alius Rex, qui ab Iſraëlitis, *Gibethonem* oppugnantibus, communibus ſuffragiis electus erat, oppoſitus, nomine *Amri.* Iſte, omiſſa obſidione Gibethonis, magis neceſſarium ratus, æmulum e medio tollere, Simrium in Thirza concluſum, arcta obſidione cinxit. Qui tamen metu, ne ſi vivus in hoſtium poteſtatem veniret, atrociſſimis ſuppliciis cruciaretur, deditionem præveniens, Regiamque incendens, vitam ſpontaneo vivicomcubrio finivit, poſtquam tyrannidem ſolos 7. dies uſurparat.

AMRI. Huic Regnum Iſraëliticum mox dubium reddidit, quidam *Thibni Ginathis* filius, populo in duas factiones diviſo, & partim huic, partim illi adhærente: donec Thibni mortuus, Amrio plenarium dominium ſuper Iſraëlitas ceſſit. Hic eſt ille Amri, qui *Samariam*, celebrem urbem, condidit, eoque, derelicta Thirza, regni Sedem tranſtulit. Hinc deinde Regnum Iſraëlis, dictum eſt *Regnum Samariæ:* Regnavit Amri annos 12.

ACHAB, poſt patrem Amri, poteſtatem adminiſtravit, nequam homo, & profligati pudoris. Nec melioris notæ fuit *Iſebel*, filia *Ethbaal*, Tyriorum Regis, Deæque Aſtartæ Sacerdotis, cujus apud Joſephum contra Apionem mentio. Deditus vero non tantum fuit Achabus ſuperſtitioſo Vitulorum cultui, a Jeroboamo introducto, verum etiam impulſu Vxoris, *Baali*, Tyriorum Numini, templum & aras dicavit, Sacerdotesque conſtituit. Ob quam impietatem exacerbatus Deus, pluviam Iſraëliticæ regio-

regioni per Eliam denegavit, eamque ſiccitate triennali ita aduſſit, ut horrenda exinde fames homines atque pecudes affligeret. Neque tamen hoc flagello Rex impius perduci potuit, ut ab improbitate deſiſteret. Viſum ergo Deo animum beneficiis emollire, quem pœnis edomare non poterat. Quapropter, duplici victoria, de *Benhadad*, Syrorum Rege, potitus eſt, & 127. millia ex exercitu illius occidit: quin & ipſum vivum cepit, cui tamen præter fas pepercit, cum tanquam blaſphemum occidere debuiſſet. At vero, tantum abeſt hæc beneficia Achabum in melius converterint, ut potius mentem ejus, magis magisque in malitia obfirmarint. Etenim *Nabothum*, eam ſolam ob cauſam, quod vineam, patrum ſuorum hereditatem, vendere nolebat, dolo Iſebelis Conjugis, per calumniam, tanquam blaſphemiæ reum, in judicio accuſari, innocentemque lapidibus obrui nequiter permiſit. Quamvis autem ab Elia, hujus facinoris cauſa reprehenſus, pœnituit, veniamq; conſecutus eſt, in priſtina tamen peccata paulo poſt relapſus, pœnas divinas, olim prædictas, reſuſcitavit. Nam in bello Syriaco, cum urbem Ramoth recuperare vellet, ſagitta transfixus, canibus, ſicut prædictum fuerat, cruorem lingendum præbuit, cum regnaſſet annos 22.

Fuit, quod jam indicatum, æqualis horum temporum, *Elias* Propheta, cujus parentes, & ætatis initia, Scriptura nos ignorare voluit. Chronicon tamen Alexandrinum, ſtirpem ejus ex familia Aaronis deducit, patremque ei *Spacham* tribuit. Traditur etiam ibi, ipſum adhuc a matre rubentem, igneis faſciiis involutum, igneque paſtum fuiſſe. Judæi, Eliam, & *Phineam*, qui Joſuæ temporibus vixit,

pro uno & eodem habent, ac firmiter credunt, ipſum etiamnum, quoties Circumciſio peragitur, præſentem ceremoniæ intervenire. *Miracula*, ad divinam gloriam, per fidem & preces Eliæ impetrata, hæc potiſſimum in Scriptura memorantur. Famis triennalis, & ſecutæ dein fertilitatis prædictio. Cibus a corvis, & dein ab angelo allatus. Farinæ & olei prodigioſa, in vaſculis viduæ Sareptanæ, multiplicatio. Filii ejusdem mortui reſuſcitatio. Ignis cœlo demiſſus, ad conſumendum ſacrificium. Jejunium 40. dierum, ſupra naturæ vires toleratum. Apparitio Dei in ſibilo auræ. Combuſtio 100. militum ab Ahaſia emiſſorum. Jordanis tandem diviſio, & igneo curru in cœlum evectio. Nec minus ſummis Prophetæ honoribus acceſſit, quod poſt 900. circiter annos, una cum Moſe, glorioſæ Chriſti Servatoris transfigurationi adfuit. De *reditu Eliæ* ante finem mundi, jam tempore Chriſti variæ fuerunt Judæorum opiniones & nugæ, in quibus adhuc hærent. Nec longe admodum ab illis Chriſtiani quidam diſcedunt.

Judæorum alias de Elia traditiones, ſtrictim & breviter ut attingamus, tenent illi a majoribus acceptum, Corvos, cibum, quem Eliæ attulere, e dapibus, quæ Joſaphati & Achabi Regum menſis inferebantur, deſumpſiſſe. Cum 1. Reg. XVIII. 26. legatur, Baaliticos Sacerdotes in ſolemni illa contentione, quæ iis circa Divinum Numen cum Elia interceſſit, accepiſſe juvencum, quem Elias iis conceſſerat, atque hunc ſuis ritibus hoſtiam mactaſſe: exinde viſum Judæis, pecus illud reſtitiſſe, & noluiſſe Baaliticis Sacerdotibus ſe mactandum committere; ſerio profeſſum, ſe Baalis victimam fieri nolle.

Opus

Opus igitur fuit, ut Baaliticis Sacerdotibus illud in manum daret Elias, cum prius vix ac ne vix quidem perſuaderi ſibi paſſum eſſet, ut contentum acquieſceret, quod illius quoque mactatio in Dei veri gloriam ceſſura ſit, ſi ad preces Baaliticorum Sacerdotum cœleſti igne non abſumatur. Amplius, quia Scriptura dicit, Eliam circa veſperam ſuum ſacrificium obtuliſſe, ideo contendunt Judæi, conſulto Eliam elegiſſe hoc tempus, ne, ſi Sole adhuc fulgido, aut intempeſta nocte, victima ejus cremata fuiſſet, Siderum cultores, in Solem aut Lunam combuſtionis conjicerent cauſam.

De Achabo, ſecundum Judæos, difficultatem parit, quare tantis ambagibus opus fuerit, in vindicanda ſibi vinea Nabothi, nec ſtatim jure ſuo Rex uſus ſit, in ea Nabotho auferenda: quod inter jura Regum Iſraëliticorum, quæ 1. Sam. VIII. recenſentur, hoc quoque eſſet, ut agros ſubditorum, & vineas, ac oliveta optima capere poſſent, & inter ſervos diſtribuere. Reſpondent igitur, verba illa Scripturæ, ad fructus tantum agrorum, vinearum & olivetorum attinere, hos enim, belli tempore, Regem militibus pro commeatu concedere poſſe, ita tamen ut proprietatem penes poſſeſſores ſemper relinquere oporteat. Fuit autem Naboth Achabi e fratre filius, illo igitur cum liberis (nam & hos Iſebel una cum parente e medio ſuſtulit,) peremto, Achabo tanquam proximo heredi vinea ejus obtigit. Niſi forte illorum magis probanda eſt ſententia, qui exiſtimant, eam ob cauſam Nabothi vineam Achabi propriam factam, quia ob læſæ majeſtatis crimen, cujus Nabothus reus erat, ſupplicio affectorum, facultates omnes Regibus cedebant.

De Joſaphati cum Achabo adverſus Syros inita ſocietate, hiſtoria extat 2. Chron. XVIII. In ea mirum videri poterat, quo indicio cognoverit Joſaphat, quadringentos Prophetas Achabi, in idem omnes conſpirantes, falſum tamen vaticinari. Nimirum, id perpendebat ſecum Joſaphat: ſolent quidem veri Prophetæ, circa rerum eventus inter ſe conſentire; atque adeo neceſſe eſt ut id fiat: interim, vaticinia ſua, ſermone diverſo enunciant. At vero, iſti tot tantique, cum iisdem omnes verbis utantur, fieri non poteſt, ut pro veris Prophetis haberi queant. Cæterum, Nabothi anima, erat falſus ille ſpiritus, qui Prophetarum Achabi animos occupaverat, ut peſſimus Rex, ob impietatem, in prælio ſupplicium lueret. Pro Achabo, dum pugnatur, ab hoſtibus habitus Joſaphat, clamore liberatus fuit, ut a ſe deſiſterent; quippe verum Deum invocabat, quo ipſo facile conſtitit, eum Achabum Regem Iſraëlis, a Dei veri cultu alieniſſimum, eſſe non poſſe. Rex autem Syriæ præceperat præfectis curruum ſuorum, ne pugnarent contra parvum aut contra magnum, ſed contra Regem Iſraëlis ſolum.

OPHRATANES.

Africano dicitur Ephacheres, regnavitqve annis 50.

CONTEMPORANEA.

JUDÆ REGNUM.

[illegible]US, Joſaphati filius & ſucceſſor, alterius [illegible]ëlitarum Regis, ſororem, *Athaliam*, [illegible], in matrimonio habebat, magis mater[illegible]ne, quam Hebræis ſacris imbutam. Hac

Hac igitur impellente, tantum a paterna pietate deſcivit, ut a fratrum cæde regnum auſpicaretur, peregrinaque ſacra & ceremonias anteferret divinis inſtitutis, & adeo populum, a vera religione, ad dæmonum cultum abſtraheret. Hinc in varias incidit clades. *Idumæi* ab eo defecere. Exemplum ſequuta eſt *Libna*, civitatesque aliæ. Noviſſime Arabes Palæſtinam adorti, omnem campeſtrem regionem ferro & igne populati ſunt, Regia inſuper direpta. Ibi uxores, liberique regii, præter *Ahaſiam*, natu minimum, cui eidem & *Joahas*, & *Azaria* nomen, qui fuga ſervatus eſt, ſubito hoſtium incurſu periere. Joramo etiam *literæ, ab Elia datæ*, allatæ ſunt, quibus inter alias calamitates, dirum morbi genus, quodque ipſi lethale futurum eſſet, prædictum fuit. Eas literas, ab Elia, cum adhuc in terris ageret, ſpiritu prophetico ſcriptas eſſe, traditasque diſcipulo, qui eas ad Joramum convenienti tempore perferret, ſatius fortaſſe eſt credere, quam cum aliquibus aſſeverare, cœlitus fuiſſe allatas. Et ſane, inteſtinorum graviſſimo morbo laboravit per biennium, quibus deinde ſummo cum dolore ex alvo erumpentibus, animam exhalavit; cum 8. tantum annos poteſtatem adminiſtraſſet.

AHASIA. Joramo patri ſucceſſit *Ahaſia*, natura & animo filius, cui mater inſuper *Athalia*, ad omne ſcelus magiſtra erat. Itaque vix anno integro rebus præfuit. Cum *Joramo* avunculo fœdus percuſſit, junctis viribus in Syros movens. Ibi accidit, ut Joramus acceptis in prælio vulneribus, *Jezraëlem* diſcederet, refovendi ſui cauſa, eumque Ahaſia viſeret. Interea loci *Eliſæus* diſcipulorum aliquem Ramothas mittit, præfectumque militiæ *Je-*

hum inungi Regno curat, præcipiens Dei nomine, ut de ſcelerata Achabi domo, impietatis exigat pœnas. Jehu confeſtim a Centurionibus Rex ſalutatus, ambos Reges, Joramum & Ahaſiam, ſibi occurrentes, interfecit.

ATHALIA. Nece filii Ahaſiæ furens *Athalia* mater, Regnum invadit, omnemque maſculam ſtirpem regiam, nepotes ſuos, excepto ſolo *Joaſo*, qui, a *Joſeba*, Ahaſiæ ſorore, clam ſurreptus & abſconditus fuerat, de medio ſuſtulit; ne ſcilicet ſupereſſent, quorum intuitu, ſubditi, ut regnum ei eriperent, moliri poſſent. Nefaria hæc fœmina, rerum potita, inſolenter & tyrannice per ſexennium Regnum adminiſtravit, gentiliſmo præterea invecto, & per totam Judæam amplificato. Expleto ſexennio, *Joiadas* Sacerdos, qui Joſebam in matrimonio habebat, affinem ſuum *Joaſum*, ad patrium avitumque Regnum produxit, ingenti ſtudio populi, Davidis prolem in regali ſolio deſiderantis, quæ, Athaliæ tyrannidem compeſceret. Illa, in templum ruens, ut motus, ſua præſentia, ſedaret, extracta eſt in aream a militibus, & gladiis confoſſa.

JOAS, præreptum ab Avia Regnum, puer ſeptennis recuperavit. Initio, magiſtro uſus Jojada, Divini cultus obſervantiſſimus fuit, ſublatisque e regione idolorum altaribus, Templum veri Dei, collectis ſumtibus inſtauravit, invitatis, ad ſanctam liberalitatem, ſubditis, Miniſtrisqve Dei ad diligentiam officio ſuo dignam. Viceſimo & tertio Regni anno, comperta Sacerdotum avaritia, ſacram pecuniam in ſuos uſus vertentium, *gazophylacium* in veſtibulo templi poſuit, in quod ſinguli, munera ſua conjicerent, ut ex eo deinde operariis merces, per Pontificem & Scribam regium numeraretur. Poſtquam vero

vero Jojadas, anno 130. ætatis expleto, e vita exceſſit, omnia in pejus ruere, & retro ſublapſa referri cœperunt. Rex enim, adulatione ſuorum Optimatum delinitus, idololatriam, a ſeipſo olim profligatam, reduci & exerceri haud gravatim permiſit. Cumque propterea a Prophetis, imprimis vero a *Zacharia*, Jojadæ filio, acriter increparetur, eum, Deum vindicem obteſtantem, intra templum, & altare æneum, lapidibus obruit; ingenti ſuo, totiusque populi malo. Etenim *Haſaël*, Syriæ Rex, qui Galaaditidem ante dirum in modum vaſtaverat, in Judæam quoque & Hieroſolymam irruit, cæſisq; Principibus, defectionis autoribus, in tantum terrorem egit Joſuam, ut theſauris Templi, ſuisque, emercari pacem cogeretur. Poſtea ægritudinibus diuturnis & gravibus correptus, eandem ſuorum ſenſit perfidiam, quam ipſe adverſus Jojadæ filios exercuerat. A propriis enim ſatellitibus, *Sabad*, & *Joſabad*, in cubili ſuo, anno 40. regni occiſus eſt, corpusq; haudquaquam regali more fuit funeratum.

De *Zachariæ Prophetæ trucidati Sanguine*, vetus, & Chriſtianis quoque Scriptoribus ſæpe celebrata, inter Judæos extat traditio, illum aboleri e templo, aut tolli non potuiſſe, ſed aſſidue aquæ ferventis inſtar bulliviſſe mirum in modum. Capta a Nebucadnezare Hieroſolymorum urbe, cum Ducum militarium præcipuus Nebuſaraddan Templum ingrederetur, ac portentum illud ſanguinis bullientis conſpexiſſet, quærebat ex Judæis, quæ hujus rei cauſa ſit? Reſpondebant illi, fuiſſe quondam inter ipſos Prophetam divinum, Zachariam nomine, hunc majores ſuos inſontem in Templo occidiſſe, illius ergo diras, quas moriens imprecatus, efficere, quo minus ſanguis ſe quieti det. Tum Nebuſar-

addan, bene, inquiebat, ſe res habet, ego placabo Zachariæ manes, & ſedabo ſanguinis impetuoſi æſtus. Multis ergo adductis Sacerdotibus & Levitis, mactat illos ſuper Zachariæ ſanguine, ſed fruſtra, & continuante adhuc iſto indeſinenter ſuas ebullitiones. Proinde puerulos, ſcelerum adhuc immunes, colligit immenſo numero. & horum quoq; occiſorum ſanguinem, Zachariæ ſanguine ſuperfundit, qui tamen ne ſic quidem æſtuare deſiit. Miratus implacabilitatem Nebuſaraddan, tum denique exclamat: Heus Zacharia! necavi tui cauſa, & ut inferias umbris tuis immolarem, innumeram omnis ætatis Judæorum multitudinem, tuo tamen adhuc ſanguine fervente. Quod ſi igitur ita viſum tibi; omnes omnino Judæos victimas tibi offeram, gentemque illorum delebo funditus. Vix hæc enunciaverat, & ſtatim Zachariæ ſanguis fluctuationes motusque continuit.

Israelis Regnvm.

AHASIAS. Achabo ſucceſſit filius *Ahaſias*, cujus poteſtas, modico duravit tempore. Nam, cum ex *caſu per cancellos*, morbum contraxiſſet, de valetudinis eventu, idolum Ekronitarum, Baal-Sebub dictum, per legatos conſuluit. Hoc facto, in tantum Deum offendit, ut per Eliam, ipſum hoc morbo certo moriturum eſſe, nunciari juſſerit. Secundum hoc vaticinium, cum duos tantum annos rebus præfuiſſet, in impœnitentia extinctus eſt. Ab hoc Ahaſia defecere *Moabitæ*, ſtatim poſt Patris obitum.

JORAM. Fratri Ahaſiæ, ſine liberis mortuo, *Joram* ſucceſſit, & ipſe Achabi filius. Hic, abſtulit quidem ſtatuam Baalis, a Patre confectam, verum Jeroboami vitulos non item. Proficiſcens contra

Moa-

Moabitas, cum *Joſaphato* Rege Judæ, & *Idumæorum Rege*, ſiti in itinere preſſus eſt; ſed quibus Eliſa potum ſubminiſtravit. Videns autem Rex Moabitarum, prævalere ſibi hos bellatores, mactavit filium ſuum primogenitum, & obtulit eum in holocauſtum ſuper muro. Hac abominatione offenſi ſunt Iſraëlitæ, & retroceſſere: timebant enim, ne Deus adverſus ſeſe quoque iraſceretur. Cum *Benhadad*, Rex Syriæ, obſidione cingeret *Samariam*, & ad tantam famem incolas redegiſſet, ut caput aſini veniret octoginta ſiculorum argenti, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum, ſiclorum quinque pretio, Deus noctu in caſtris Syrorum ſtrepitum curruum & equorum concitavit, ita, ut aufugere, & obſidionem relinquere cogerentur, unde illico magna annonæ conſecuta eſt vilitas. Tandem Joram, in prælio adverſus *Syros*, graviter vulneratus, una cum *Ahaſia* Judæ Rege, a *Jehu* occiſus eſt, anno 12. adminiſtratæ poteſtatis.

JEHV. Hic, ipſius Dei mandato, ab *Eliſæo* Rex inauguratus eſt; ut Joramum, & univerſam Achabi familiam penitus eradicaret. Nec mora, Jehu ad iſta peragenda ſe ſtatim accinxit, initoque cum Regni Proceribus fœdere, *Joramum* ſagitta transfixum, in Nabothi, ab Achabo interfecti, agro, volucribus in prædam expoſuit. Tum *Iſebel*, mater Jorami, e Regiæ feneſtra, in præceps data, per plateam pedibus protrita, & a canibus devorata fuit. Id temporis, Ahaſias Rex Judæ, qui ad Joramum Hieroſolymis Samariam deſcenderat, æque jugulatus eſt: cui, mortis comites paulo poſt 42. *Agnati* additi, qui, talium rerum ignari, cum Jehu in itinere occurrerent, e vita pariter ſublati ſunt. Peremit quoque

Jehu 70. *filios Achabi* : atque hæc opera in tantum Deo grata fuit, ut regnum illi in quartam usque generationem polliceretur. Poſtea tamen Jehu, Deum, qui illum in occupando Regno juverat, minus conſtanter veneratus eſt, ac eo relicto & contemto, ad vitulorum cultum animum applicuit. Id vero male ipſi ceſſit. Deo enim permittente, *Haſaël*, Syrorum Rex, contra illum invaluit, & florentiſſimam ejus Regni partem, tum devaſtavit, tum ſuæ ſubjecit poteſtati. Quicquid enim trans Jordanem erat, occupavit. Ergo Jehu, inglorius, ac infelix, reliquum, & Regni, & vitæ curſum peregit. Imperavit autem annis 28.

Eliſæi Prophetæ res, hoc loco percenſendæ veniunt. Fuit is filius *Saphat*, eumque ab aratro, pallii injectione, abduxit Elias, Dei ſpiritu aſſiſtente ita mutatum, ut miniſterium, pauperis, & ab omnibus contemti Prophetæ, parentibus, & rei familiaris commodis præferret. Magiſtro in cœlum contendente, petiit, non ambitioſe, ſed quod ita afflictiſſimis Eccleſiæ temporibus expedire putaret, *ſpiritum Eliæ duplicem*, impetravitque; ſive aliorum diſcipulorum reſpectu, ſive quod omnino pluribus miraculis, vaticiniis, ac miniſterii diuturnitate, Magiſtrum ſuperavit. Is igitur, per Jordanem, ad exemplum Eliæ, pallio aquas feriens, iter ſibi aperuit. *Aquas Hierichuntis* minus ſalubres, ſale fonti injecto, ſanas ſuavesque reddidit in perpetuum. Pueris improbe inſultantibus, *Vrſos* a Deo immiſit. Joramo, Iſraëlis, & Joſaphato, Judæ, Regibus, adverſus Moabitas expeditionem ſuſcipientibus, ſuis precibus, *aquarum* immenſam copiam, & mox etiam victoriam facillimam, impetravit. *Oleum* in lecytho

viduæ

viduæ honeſtæ, ære alieno oppreſſæ, quod ſolum reliquum illa habebat, in tantum multiplicavit, ut & creditori ſatisfacere, & ſe cum duobus filiis alere poſſet. Vxori decrepiti viri in Sunem, *filium* a Deo exoravit, mortuumque, quod illius miniſter Gehaſi, fruſtra cum ejus baculo tentaverat, revocavit in vitam. Diſcipulis, *lethales cibos* ſalubres reddidit. Viginti exiguis *panibus*, quos vir unus portabat, centum Diſcipulos ſaturavit. *Naamanis* Syri lepram curavit, eandemq; *Gehaſi*, miniſtro ſuo, ex Prophetæ beneficio turpe lucrum quærenti, impegit. *Ferrum* demerſum, ad illius præceptum, e fundo Jordanis aſcendit in altum. *Syrorum* occultas machinationes, tanquam conſiliis intereſſet, Iſraëlitarum Regibus detegebat. Ob id armatis copiis circumſesſus, *glaucomate* percuſſos hoſtes, in mediam Samariam deduxit, iisdemque hoſpitaliter habitis, ac Damaſcum remiſſis, effecit, ut Syri animum deſpondentes, irruptionibus aliquandiu abſtinerent. In extrema *fame Samaritana*, qua coactæ matres liberos mactabant, omnium rerum affluentiam ad diem ſequentem, Aulico vero incredulo, mortem prædixit. *Haſaëli* Syro, Regnum, *Benhadado*, hero ejus, mortem vaticinatus eſt. *Jehum*, ſingulari Dei mandato, ex privato, Regem inungere juſſit. Deceſſit valde ſenex, &, nec æger, nec mortuus, a miraculis vacuus. *Ægrum* enim cum viſeret *Joas*, triplicem ei de Syris victoriam promiſit, cum ſagittam in nomine Dei ejaculatus eſſet. *Mortui oſſa*, cum forte cadaver attingerent, illud vitam recepit.

Judæi perſuadere laborant, pueros illos, qui Eliſæum convitiis petebant, ejus rei cauſam habuiſſe,

quod

quod vitæ ſuſtentendæ adminicula, quibus hactenus gavisi fuerant, ipſis præſcidit. Cum enim aquæ Hierichuntinæ incolis ad potum minime prodeſſent, hauſtam ex Jordane aquam, pueri illis quotidie afferebant, pretium operæ accipientes. At, fontis Hierichuntini aquis morbiferis ab Eliſa emendatis, ceſſabat jam puerorum quæſtus, unde Eliſa calvaſter illis dictus eſt, quaſi vitæ neceſſitatum depilator. Dilaniati autem omnes ab urſis ſunt Eliſæ imprecatione; quia tanquam vates prævidit ipſe, in omne volubile ævum prodituram ſemper ex iis progeniem vitioſiorem.

Legitur 2. Reg. III. Eliſam, cum a Joramo Rege Iſraëlis, & Joſaphato Judæ Rege, quibus Rex Idumæorum ſe comitem adjunxerat, conveniretur, commotiorem, durioribus verbis illos affatum eſſe. Non igitur vaticinari deinde poterat, niſi prius fidicen, modulatione ſua, animum illius demulceret. Eos enim quorum mentem ira inſedit, vis divina vaticina deſtituit.

Regem Moabitarum, ad immolandum filium primogenitum, cum a Regibus illis in anguſtias eſſe redactus, id permovit, quia pro certo acceperat, Iſraëlitas ideo Deum tam faventem habere, quod is, a quo genus ducerent, Abrahamus, filium ſuum Supremo Numini victimam offerre paratus fuiſſet. Ut ergo hoc ſibi quoque placaret, imitari Abrahamum conſtituit, & adeo, filium bona fide immolando, pietatem Abrahami ſuperare. Commovit hoc factum Deum, ut vi ulteriore Reges inimicos prohiberet, apud quem, deſiderio ſibi placendi, utut infidelis Regis, pretium erat repoſitum: imprimis quia tum apud Iſraëlitas omnino omnis religio cultusque divi-

divinus frigebat, ut res etiam leves ac faciles, in Dei gratiam minime præſtarent.

Mulier, cui Eliſa tantum olei ſuffecit, ut exinde æs alienum diluere, & una cum filiis ſe porro ſuſtentare poſſet, erat vidua illius *Obadiæ*, qui, furenti adverſus veri Dei Prophetas, Iſebeli, centum ex iis ſubduxit, eosque clam aluit; de quo in 1. Reg. XVIII. capite hiſtoria legitur ſub initium. Quia vero Obadias opibus minus inſtructus erat, ad tantos ſumtus, quos illorum victus & amictus requirebat, faciendos, coactus eſt a Joramo prædivite pecuniam mutuo petere, atque hic, Obadia mortuo, ſolutionis a vidua rigidus erat exactor.

Capiat quem miratio, quare Gehaſi, baculo Eliſæi magiſtri, quod tamen hic futurum crediderat, filio Sunamitidis defuncto, vitam reddere non potuerit. Nimirum Eliſæus, ablegans miniſtrum ſuum Gehaſi cum baculo, ei præceptum dabat, neminem obvium ſalutaret. Is vero, mandato hoc neglecto, cum omnibus, qui in via occurrebant, ſermones miſcebat; inter cætera dicens: ecce vobis, ſola ope iſtius, quem manibus teneo, baculi, paulo poſt, defunctum exanimem vivum ſiſtam. Ob hanc jactantiam, merito pœnam luit Gehaſi, ut omnis illius conatus evaderet inutilis.

Quatuor leproſos, qui Syrorum fugam Samariæ incolis nunciavere, &, de quibus, poſterioris Regum libri caput VII. conſulere oportet, opinio eſt, Gehaſium fuiſſe cum tribus filiis.

Is, cujus cadaver, in Eliſæi mortui ſepulchrum conjiciebatur, homo nequam erat: nolebat igitur Propheta, ut juxta ſe cubaret. Vnde vitæ reſtitutus, alioverſus ſe contulit, ut ibi rurſus exanimis, apud

apud ſui ſimiles humaretur, vivendi enim tempus expleverat. Alii volunt, corpus piiſſimi hominis fuiſſe, & erga pauperes ſumme benefici. Id vero, *quia* ob Moabitarum invaſionem, raptim, & citra decorem ſic ſepultum fuit, vitam, ex Eliſæi oſſium *con*tactu, accepit, ut iterum mortuo, juſta funebria, prout merebatur, rite & more majorum *perſolve*rentur.

Res Gentilivm.

Dido, ſeu *Eliſa*, *Beli*, vel *Metræ*, Tyriorum R*egis* filia, *Sichæo*, Herculis Sacerdoti nupſerat. Quem, ut illius theſauris potiretur, cum *Pygmalion*, *Eliſæ* frater, ante aram obtruncaſſet, illa, per inſomnium monita, impoſitis in naves opibus, cum ſibi *addi*ctis, in Cyprum primum, inde in Africam contendit. Ibi, tantum agri, quantum corio bovis a*mbire* poſſet, mercata, ſecto in tenuiſſima filamenta corio, atque ſic locum ampliſſimum complexa, novam *con*didit Vrbem, quam, *Carthaginem* appellavit: Arci autem, in medio ejus ſitæ, a corio bubalo, *Byrſæ* nomen inditum.

Deinde, cum *Jarbas* Getuliæ Rex, nuptias *ejus* ambiret, illasque averſantem hoſtili vi cogere niteretur, ipſa ſimulans, ſe prioris mariti manes, ante *novos* hymenæos, ſacrificiis placaturam, ſumto gladio pyram conſcendit, ſibique manus intulit, *mori ſa*tius judicans, quam prioris lecti ſacra, iterato matrimonio contaminare.

[illegible]æ apud Virgilium leguntur, Æneam capta Tro[illegible]ia profugum, vi tempeſtatis Carthaginem [illegible]tum, Didonemque amore illius captam, [illegible]r ſpem ab eo deſereretur, mortem ſibi con-

conſciviſſe, poëtica licentia, per ingentem metachroniſmum, ceu jam ſupra prædiximus, conficta ſunt. Conſentiunt enim Scriptores veteres, Carthaginis & Romæ initia in idem ſeculum incidere. Ab Æneæ vero in Italiam adventu, usque ad Romanæ Vrbis jacta fundamenta, anni 330. circiter numerantur, quibus Albæ regnatum fuit.

ACRACARNES.

Hujus imperio 42. annos aſſignant.

JVDÆ REGNVM.

AMAZIAS. Joaſi filius, *Amazias*, poſt patrem imperavit. Is, laudatioribus patris veſtigiis initio inſiſtens, ætate provectior, eadem inconſtantia fuit, mores cum annis mutans, & ob id fortunam quoque adverſam expertus. Principio, fuſum patris ſanguinem morte parricidarum ultus, filiis eorum benigne ignovit, æquiſſime judicans, pœnas tantum delinquentes manere debere. Contra *Idumæos* feliciter dimicavit, & eorum X. millia proſtravit, totidem quoque, ex prærupto quodam ſaxo, in præceps egit. Verum hæc victoria, ut ſolent res ſecundæ, victori in perniciem ceſſit. Deos enim Idumæorum, qvorum ſimulacra & viderat, & abduxerat, venerari, ſibique in Numina ſtatuere cœpit: nec ab inſania iſta per Prophetas ſe abſterreri paſſus eſt: quare temeritatis hujus pœnas luit graviſſimas. Sibi enim relictus, & divino favore deſtitutus, *Joaſum* Samariæ Regem, quietis percupidum, ad bellum temere laceſſivit. Concurrebant infeſtis ſignis prope oppidum *Bethſemes*, improſpero Amaziæ fato. Nam victus, vivus in provocati hoſtis manus venit, the-

ſauros.

ſaurosque omnes amiſit. Muri Hieroſolymæ, qua Samariam ſpectabant, diruti, & obſides exacti. Amazias cladi huic 15. annos ſupervixit, conſpiratione tandem ſuorum necatus, cum annos 26. imperaſſet.

Israelis Regnum.

JOAHAS, filius Jehu, vitulinæ ſuperſtitioni gnaviter addictus, Regum fere omnium, qui ante ipſum res adminiſtraverant, infeliciſſimus fuit. Tantopere enim eum afflixit Haſaël Syrus, ut tantum currus 10. nec ultra 50. equites, & pedites decies mille, ad militiam idoneos haberet. Regnavit annos 17.

Infelici patre Joahas, felicior longe fuit filius JOAS. Quippe, pleraque a patre amiſſa recuperavit, Syros tribus præliis fregit, eorumque jugum a cervicibus Iſraëlitarum propulſavit. Neque contra Syros tantum, ſed & Judæos felicibus ſucceſſibus uſus eſt. Provocatus enim ab *Amazia* Judæorum Rege, adverſarium vicit, cepit, vinctumq; duxit. Hieroſolymam quoq; ingreſſus, magnam urbis murorum partem diruit, theſauros etiam tum ſacros, tum profanos ſecum abſtulit, & ingenti præda potitus, Samariam rediit. Præfuit regno Iſraëlis annos 16.

JEROBOAM II. Joaſi filius, patri in Regno ſucceſſit, &, ab hoc inchoatas contra Syros victorias, feliciter promovit. Etenim crebris præliis eos fati[illegible]que *Damaſcum*, Syriæ metropolin, illis [illegible]&, quæ ab *Hemath*, cui deinde *An*[illegible]n impoſitum, usque ad lacum *As*[illegible]litæ olim poſſederant, priorum autem [illegible]dia amiſſa erant, recuperavit. De hoc Rege

Rege imprimis mirandum eſt, quod licet trita, & impia anteceſſorum veſtigia preſſerit, tamen fortuna uſus ſit propitia. Nempe miſertus Deus populi Iſraëlitici, a Syris hactenus immane quantum attenuati, & plane ad incitas redacti: experimentum capiens, num forte beneficio tali præſtito, Hebræorum reliquias, ad mentis ſanitatem reducere poſſet, tot calamitatum flagellis incaſſum hactenus caſtigatas. Sed & hoc remedium fruſtra tentatum, indies enim magis Iſraëlitæ indurati ſunt. Vnde nec eorum ſalus amplius Deo curæ fuit, fuit exterminium. Proinde a Jeroboamo hoc, usque ad Iſraëlitarum captivitatem, omnia afflicta, turbulenta, & ad interitum vergentia deprehenduntur. Regnavit Jeroboam annos 41.

Jeroboami temporum æqualis fuit *Jonas* Propheta, cui & victoriam adverſus Syros prædixit. Pater ei *Amithai*, traduntque Hebræi, quos Epiphanius & Hieronymus ſequuntur, *matrem* ipſum habuiſſe viduam illam Sareptanam, quæ Eliam aluit, ut ſic ab hoc, cum deceſſit, in vitam fuerit revocatus. Cæterum Jonam Deus ad *Ninivitas* ablegavit, exitium urbis prædicturum, ni intra dies 40. a ſceleribus flagitiisque ſuis reſipiſcerent. Reluctantem & profugum, immani Ceto devorandum objecit, cujus ille viſceribus per triduum clauſus, miſerante Deo, in litus ejectus eſt, imperiumque ejus, ante detrectatum, peregit. Quod Cetus Jonam, ad Joppen, Palæſtinæ oppidum, faucibus ſuis exceperit, ex Sacris Literis certum eſt: ſi autem Joſepho credimus, evomuit eum rurſus in ora Ponti Euxini. Quod ſi verum, Cetus cum Jona ſingulis horis 4. milliaria Germania confecit, & intra triduum, Natoliam, mare

Ægæum,& Propontidem, hoc eſt 250. milliaria Germanica emenſus eſt.

Res Gentilium.

Hac tempeſtate Lacedæmoniorum in Græcia Rempublicam, ſaluberrimis legibus fundavit *Lycurgus*, Eunomi filius. Is, fratre, *Polydecto* Rege, mortuo, cum regnum ab illo ſibi relictum aliquandiu adminiſtraſſet, nato fratris filio poſthumo *Charilao*, ſponte poteſtate ſe abdicavit, ac pro tutore adminiſtravit Rempublicam. Charilao adulto, peregre profectus, variorum ex uſu populorum, confectam legum, ac diſciplinæ civilis formam, reportavit in patriam. Imprimis agrum Spartanum, inter omnes ex æquo partitus eſt: auri, & argenti uſum, tanquam litium ac ſcelerum omnium cauſam funditus ſuſtulit, numis e ferro gravibus inductis. Ac, ne cuiquam, luxus parandarum opum occaſionem daret, tum epulari publice juſſit omnes, tum frugali ac duro victu conſueſcere. Hæc aliaque Civibus ſuis inſtituta mandanti, gravis orta ſeditio exitium pæne attulit; quam dum fuga declinare ſtudet, *Alcander*, converſo capite forte reſpectanti, excuſſit oculum. Hoc ſpectaculo repente flexis ad miſericordiam animis, auctor facinoris illi ad ſupplicium deditur. Quem ille, in domum acceptum, lenitate & obſequio ita ſibi devinxit, nemo ut deinceps illi perpetuo fuerit amicior. Ad eum modum publice receptis legibus, ut iis æternitatem daret, *Delphos* ſe ad Oraculum proficiſci velle denunciat, conſultum, num quid legibus addere, aut in iis mutare conveniat, ſacramento interim Cives obſtringens, ſe illas ſervaturos, donec revertiſſet. Sic in *Cretam* abiens, ibi ad obitum usque

uſque permanſit, ac moriens, oſſa ſua in mare abjici juſſit, ne iis Spartam relatis, Lacedæmonii ſe jurisjurandi religione ſolutos cauſarentur.

Caranus, ſeptimus ab Hercule, reſponſo Oraculi juſſus eſt ſedes in Macedonia quærere, & *Capras* duces ſequi. Huc, cum ingenti Græcorum multitudine comitatus veniſſet, *Edeſſam* urbem, Caprarum gregem, imbrem fugientium, non ſentientibus id ob tempeſtatis vehementiam oppidanis, ſequutus, occupavit, eamq; regni novi caput ſtatuit, a Capris *Ægeam* dictam. Ab hoc Carano, uſque ad Alexandrum M. numerantur vulgo XXIII. Reges; e quibus *Amyntas* cum 4. filiis Regibus, maxime illuſtris; quorum minimus natu *Philippus*, prima Monarchiæ Græcorum fundamenta jecit. Duravit Regnum hoc, uſque ad Alexandri M. obitum, annos 490. & uſque ad Perſei ultimi Regis interitum annos 646.

Alladius duodecimus Rex Albanorum, Deorum contemtor, commentus eſt qua ratione fulmina & tonitrua imitaretur, ut a civibus, hoc terrore attonitis, ipſe haberetur pro Deo. Sed imbribus, & veris fulminibus in ædes ejus irruentibus, ſtagnoque juxta quod habitabat præter ſolitum exundante, diluvio, cum tota domo abſorptus eſt.

Alladio *Aventinus* ſucceſſit. Is, vivendi ſpatio expleto, terræ conditus fuit in eo colle, qui pars Romanæ Vrbis poſtea factus eſt, & ex illo cognomen traxerat.

MILLLENARII IV.

SECVLVM II.

SARDANAPALVS.

S*Ardanapalus*, Aſſyriorum, ſecundum vulgatiorum calculum Rex XXXVI. regnare cœpit annis circiter 280. ante Cyrum Perſarum Monarcham, regnavitque annos 20. Mos erat Aſſyriorum Principum, ex antiquo traditus, ut ſe conſpiciendos nemini præberent. Ad eum autem videndum, cum *Arbaces*, Medorum Præfectus, magna ambitione veniam obtinuiſſet, invenit eum muliebri habitu inter ſcortorum greges, purpuram colo nentem, & penſa inter virgines partientem. Quibus viſis, indignatus, tali fœminæ tantum virorum ſubjectum, negat apud Socios, ſe ei parere poſſe, qui ſe mulierem eſſe malit, quam virum. Conjurationem igitur init cum *Beleſo*, ſive *Phul Belocho*, Babyloniorum Satrapa, atque ambo palam deficiunt, ac viribus junctis, adverſus Sardanapalum exercitum ducunt. Prodit & in aciem, excitis undiq; viribus Sardanapalus, atq; aliquot prælia, eventu vario, fuere geſta. Poſtremo, cum *Bactrianis*, ſeditioſi ſe junxiſſent, victus, in Regiam ſe recepit, ac coacervatis in lignorum ſtruem theſauris omnibus, ſeſe ſuperinjecit, vivumque concremavit. Monumento Sardanapali, Strabone teſte, literis Aſſyriis fuit inſcriptum: *Sardanapalus Anacyndaraxæ F. Anchialen & Tarſum una die æd*[illegible]*avit. Tu autem, Hoſpes, ede, bibe, lude: cæ*[illegible]*ne hujus ſunt dign*[illegible]. Crepitatio ſignifica[illegible]orum. Nam & ſimulacrum, crepitantis [illegible]da teſte, ſepulchro erat impoſitum.

CON-

CONTEMPORANEA.

Jvdæ Regnvm.

VSIAS, qui & *Azarias*, Amaziæ filius, unico facto excepto, cætera Rex minime malus fuit. Veri enim Dei cultui deditus, multa feliciter peregit, ac a Philiſtæis, *Gethum*, *Jaminiam*, *Azotum* urbes cepit, captasque mœnibus nudavit. Simili ſucceſſu proſpero, *Arabes* & *Ammonitas* ſubegit, Regnique fines, Ægypto tenus protulit. Bellicis rebus præclare defunctus, pacis etiam opera curavit. *Hieroſolymæ* enim mœnia, vetuſtate, priorumque Regum cladibus collapſa, valide inſtauravit, ac regionem aquæductibus & caſtellis exornavit. Nec agrorum cultum aſpernatus eſt, vineis, rei pecuariæ, & hortenſi apprime deditus. At, non contentus regia eminentia, *Sacerdotum* etiam *officium* involare, & incenſum ſuper altari thymiamatis, quod tamen ei facere non erat integrum, Sacerdotibus licet renitentibus, adolere voluit. Quare, infami culpa, infamem quoque ſibi pœnam attraxit. *Lepra* enim correptus, reliquum vitæ tempus, hominum conſortio excluſus, ſummo cum mœrore tranſegit: Rex utique rerum geſtarum gloria multos, regiminis diuturnitate omnes anteceſſorum ſupergreſſus, nam imperium usque ad 52. annos produxit.

PHVL BELOCHVS,

Sardanapalo extincto, facta eſt *diſtractio Monarchiæ* in duo Regna; quorum alterum *Medorum* fuit, ſub quo & Perſæ, alterum *Babyloniorum*, quod in Sacris Literis, nomen *Aſſyriorum*, quia Aſſyrii ſub Babyloniis comprehendebantur, retinet. Illius Rex

factus eſt *Arbaces*, hujus *Phul Belochus*, qui & *Beleſus* dicitur. Sacrarum Literarum in gratiam, Babylonii Reges deinceps enarrandi veniunt. Cæterum Phul Belochus, Syriam pervagatus, in Samariæ quoque Regnum irrupit, inq; eas *Menahemum* Regem redegit anguſtias, ut amiſſam poteſtatem, mille talentis argenti redimere cogeretur.

CONTEMPORANEA.

ISRAELIS REGNVM.

ZACHARIAS. Jeroboamo II. defuncto, *Anarchia* quædam, per aliquot annos apud Iſraëlitas obtinuit, de qua, Hoſeam X. 3. loqui plerique opinantur. Cum enim *Zacharias*, Jeroboami filius, tenerioris ætatis eſſet, quam ut Regno præeſſe poſſet, primores per ſe Regnum adminiſtravere, donec tandem Zachariæ adultiori facto, paterni Regni habenæ commiſſæ ſunt. Non tamen hæc dignitas ei diu ſarta & tecta permanſit. Per ſolum enim ſemeſtre regnavit; quo exacto, a ſeditioſo quodam *Sallum* obtruncatus, ſua morte finem quatuor generationibus impoſuit, quibus Deus ex ſtirpe Jehu naſcituris, Regnum fuerat pollicitus.

SALLVM, filius *Jabes*, Zacharia interfecto Regnum arripuit. Sed mox eodem a *Menahemo*, ſimul cum vita, ſpoliatus fuit, cum vix per menſem unum illo eſſet gaviſus.

MENAHEM. Poſt Sallum, *Menahem*, Gadi filius, Regnum ſibi ſumſit, Iſraëlitisq; per decennium præfuit. Contra hunc, ceu paulo ante dictum, bellu[illegible] [illegible]vit *Phul Belochus* Aſſyriorum Rex, a quo [illegible] ſolutis mille argenti talentis, pacem im[illegible] [illegible]uam pecuniam, ut præſtare poſſet, a ſingu-

ſingulis viris divitibus, quinquagenos Siclos argenti exegit. Illud quoque de Menahem proditum eſt, ipſum *Tiphſam* occupaſſe, &, quia portas occluſerat, omnes incolas trucidaſſe, ita, ut inaudita crudelitate, etiam prægnantium uteros diffinderet. Vitam tamen finivit tyrannus hic morte incruenta: connivente divina Nemeſi, &, a filio eas pœnas ſumtura, quas pater non dederat.

PEKAJA. Menahemi filius *Pekaja*, patri in Regno ſucceſſit; ſed, quod haud ultra biennium tenuit; quo exacto, a *Peka*, Remaliæ filio, tribuno ſuo, per inſidias, in palatio trucidatus eſt.

Inclaruit hac tempeſtate *Hoſeas* Propheta, filius Beeri, qui rebellibus Iſraëlitis captivitatem prædixit, pluscula de Chriſti æterna divinitate, officio, morte, ſuis vaticiniis inſerens. Eum 100. annos vixisſe quidam contendunt.

Hoſeæ, *Amos* ſuppar fuit, *Thekoam* oppidum patriam habens, e bubulco in ordinem propheticum adſcitus. Si Judæis credimus, clavo per tempora transfixo fuit peremtus, quod vitulorum aureorum cultum, cui Iſraëlitæ dediti erant, vehementer damnaſſet.

Eſaias, filius Amoz, Amaziæ Regis, ſi Rabbinis fides, frater fuit. Prophetavit ſub *Vſia*, *Jothan*, *Achas*, & *Hiskia* Regibus, atque ſic per 47. circiter annos: nec tam Propheta, quam Evangeliſta videtur. Quippe, *ita univerſa Chriſti Eccleſiæque myſteria proſequitur, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præterito hiſtoriam texere*, ut loquitur S. Hieronymus. Quo mortis genere ſublatus fuerit, non ſatis conſtat. Nam, quod Talmudiſtæ asſerunt, quodque Chriſtianis Interpretibus, Veteri-

bus æque ac Recentioribus, Hebr. XI. 37. inſinuari videtur, ſerra ipſum a Manaſſe diſſectum eſſe, incerta nititur traditione, nec firmam fidem vel ideo meretur, quod Eſaias c. I. 1. non dicitur ſub Manaſſe propheticum munus exercuiſſe.

Res Gentilium.

In Media *Arbaces* per annos 28. poteſtatem exercuit, ſucceſſore *Soſarmo*.

Heſiodus Poëta, in *Aſcra*, Bœotiæ vico, natus eſt, unde & *Aſcræus* dicitur. Suidas memorat, non defuiſſe, qui eum Homero antiquiorem, aut ſaltem æqualem temporum facerent, ſed a Porphyrio atque aliis traditum eſſe, ipſum centum omnino annis poſt Homerum floruiſſe. Atque ſic Vellejus Paterculus quoque, Heſiodum circa 120. annos ab Homeri ætate diſtinctum fuiſſe nobis confirmat, eumque tanquam *virum perelegantis ingenii, & molliſſima dulcedine carminum memorabilem*, celebrat. Solinus, in auſpiciis primæ Olympiadis mortem obiiſſe tradit. Cleomenes, Æliano teſte, dicere ſolebat, Homerum Lacedæmoniorum eſſe poëtam, Heſiodum *Helotarum*: quod ille belligerandi, hic agrum colendi rationem præſcriberet. Teſtatur Pauſanias, Heſiodi carmen adhuc ſuo tempore, in plumbeis tabulis, in Muſarum templo, cujus Sacerdos ille erat, ſervatum fuiſſe. Antiquorum pueri, Heſiodi carmina ediſcere ſolebant, unde & Cicero l. 6. Famil. *Lepta ſuaviſſimus ediſcat Heſiodum, & habeat in ore:*

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι.

Multa Heſiodi ſcripta perierunt, tenemus ea, quæ inſ[illegible]ur, *Opera & Dies*, *Scutum Herculis*, & [illegible]*ratio*.

Olym-

Olympiadum initium ſeſe offert, de quarum Epocha dictum eſt in Præcognitis p. 115. ubi tamen pro *Theſſaliæ*, quod vitio irrepſit, vocem *Elidis* ſubſtituere oportet. In Olympiis ludis, quos circa hæc tempora *Iphitus* reſtituit, Græca juventus ſe *pentathlo* ſeu quinquertio exercebat; cæſtibus nimirum, curſu, ſaltu, diſco, & palæſtra. Celebrabantur per quinq; dies. Victor, qui *Olympionices* vocabatur, & qualem eſſe, ex Ciceronis pro Flacco aſſerto, apud Græcos majus & glorioſius judicabatur, quam Romæ triumphaſſe, olea coronabatur, ac tantum honoris ei habitum, ut non per portas urbis, ſed pet ruinas murorum, ſublimis in curru in patriam reveheretur. *Athletæ* jurabant, ſe decem perpetuos menſes exercitationi certaminis inſumſiſſe, ac nihil ſe fraudis facturos, quo minus Olympici ludi rite fiant. *Hellanodicæ*, ſive Judices, in eam rem ſacramento fidem obſtringebant ſuam, ſe ſententiæ dicendæ cauſa, nulla munera accepturos, neque cauſam, ex qua probent quenquam vel improbent, in vulgus prolaturos. Putant nonnulli, *ceſſaſſe Olympiadas* circa A. C. 312. temporibus Conſtatini M. cujus autoritate ſucceſſerit *Indictionum Epocha.* At Cedrenus, diutius continuatos eſſe Olympicos ludos teſtatur, ultimam Olympiadem faciens ducenteſimam nonageſimam tertiam, quæ ſic acta fuit A. C. 393.

In Olympiade prima, ceu ex antiquis Chronicis ab Agellio l. 15. Noct. Att. c. 16. proditum eſt, coronatus fuit *Milo Crotonienſis*, Athleta fortiſſimus, qui, ictu nudæ manus, taurum fecit victimam, illumque integrum, eo, quo mactaverat die, abſumſit. Cum conſtitiſſet, nemo ipſum veſtigio educere poterat: pomum tenenti, nemo digitum corrigere.

Exitum vitæ habuit miſerandum. Cum enim jam natu grandis, in Italiæ ſylveſtribus locis ſolus iter faceret, quercum vidit proxime viam, patulis in parte media ramis hiantem. Tunc experiri volens, an vires adhuc adeſſent, immiſſis in cavernas arboris digitis, diducere & reſcindere quercum conatus eſt. Ac mediam quidem partem diſcidit, quercus autem, cum ille, quaſi perfecto, quod connixus erat opere, manus laxaſſet, rediit in naturam, manibusque retentis denuo cohærens, dilacerandum hominem feris præbuit.

PHVL ASSVR.

Hunc Sacræ Literæ *Tiglath Pileſar* vocant, isque 23. annos regnavit, Galilæam vaſtavit, Syriam occupavit, ac ipſum quoque *Achas* a quo in auxilium vocatus erat, tractavit inclementius.

CONTEMPORANEA.

IVDÆ REGNVM.

JOTHAM. Vſia defuncto, *Jothamus*, qui pridem leproſi patris partes geſſerat, plenam regni adminiſtrationem ſuſcepit; patrisque inſiſtens veſtigiis, Deum rite veneratus, munitiones urbis regiæ, tum & alias perfecit. *Ammonitis* iterum bello domitis, gravius jugum impoſuit, ut ſupra centena argenti talenta annua, coros tritici decies mille, tantundemque hordei pendere cogerentur. Templum Dei, editiſſima porta exornavit. Feliciſſimus utique, ni acriter Deum offendiſſet ſtultitia populi, præ collibus ac lucis, ſanctiſſimum Templum ſpernentis, profanaque numina identidem reſpectantis. Hanc enim ob cau-

cauſam, Judaicum Regnum, vicinis Regibus, *Rezini* Syriæ, & *Pekæ*, Samariæ, tanquam in prædam ceſſit, finesque ejus late devaſtati ſunt.

ACHAS. Jothamo patri ſucceſſit filius *Achas*, Rex Majorum ſuorum peſſimus. Idololatriæ enim usque ad inſaniam deditus fuit, & ipſis hoſtium ſuorum, Syrorum præſertim, idolis ſacrificavit, legitimo veri Dei cultu prorſus neglecto. *Filium* quoque ſuum Deaſtro *Moloch* dicto, Cananæorum ritu, obtulit, igneque luſtravit. Vbi notandum, non omnes, qui Molocho per ignem luſtrabantur, omnino combuſtos fuiſſe. Duplici enim more illud terriculamentum, a ſuperſtitioſis parentibus, colebatur: ſcilicet, partim combuſtione, partim traductione per flammam. At, *Hiskiam* filium, a patre Achaſo, non traducendi, ſed comburendi animo, Molocho oblatum fuiſſe, verum Salamandræ ſanguine inunctum, ex flamma ſalvum exiiſſe, Judæi comminiſcuntur. Cæterum, non tantum idolis ſacrificavit Achas, ſed & in veri Dei cultu multa innovavit, plurima etiam ſuſtulit, Vriæque, Summo Sacerdoti, ut altare Domini removeret, aliudque novum, ſecundum typum Damaſceni, ad honorem Deorum Damaſci ſubſtitueret, imperavit. Tandem etiam Templum Dei, quo non ipſe tantum, ſed & populus, idololatriæ liberius indulgeret, occluſit. Hinc regnum ejus usquequaque turbidum & infelix fuit. Ab *Iſraëlitis* enim & *Syris*, bellis graviſſimis petitus eſt, & hi quidem, *Elath* urbem, ad oram maris Erythræi ſitam, ipſi extorſerunt: illi vero, in Judæam irrumpentes, uno die centum viginti millia interfecerunt, abductis ſimul ducentis mulierum, puerorum, & puellarum millibus. Iidem conjunctis viribus *Hieroſolymam* obſidione cinxere, a qua

a qua tamen per *Tiglath Pileſer*, Aſſyriæ Regem, quem Achas magnificis muneribus in auxiliatorem adſciverat, repulſi ſunt, *Rezin* Rex Syriæ ab eodem interemtus, *Peka* vero Rex Iſraël, meliore Regni ſui parte ſpoliatus eſt. Sed & ab ipſo hoc Aſſyrio, quem ſibi in auxilium evocaverat, Rex Achas obſeſſus, ingentique pecuniæ ſumma mulctatus eſt. Quin imo, ut calamitatum ipſi abunde eſſet, ab Idumæis, poſtremo & Philiſtæis infeſtatus, multis civitatibus exutus eſt. Perſtitit autem in impietate ſua, toto imperii tempore, quod 16. annos duravit, & in eadem quoque extremum vitæ diem clauſit, una re felix, quod piiſſimum filium Hiskiam progeneravit.

ISRAELIS REGNUM.

PEKA. Peka *Remaliæ* filius, occiſo Pekaja, Regnum, tanquam præmium impiæ proditionis ac conjurationis in ſuum dominum, obtinuit, & per 20. annos adminiſtravit. Bellum ei continuum fuit cum *Achas*, Rege Judæorum, atque una cum *Rezin* Syrorum Rege, Judæam invaſit, & Hieroſolymam obſidione preſſit, ſed fruſtra. Interim tamen ambo ferro & igne totam Judæam vaſtarunt, ac immenſam multitudinem, ceu jam modo dictum eſt, tum trucidarunt, tum abduxere in captivitatem: poſtremis tamen, ſuaſu Prophetæ *Obed*, iterum libertas reddita. *Tiglath Pileſer* quoque, cujus opem Rex Judæ imploraverat, Pekam repreſſit, & magna regni parte mulctavit, duasque Tribus cum dimidia, *Ruben*, ſcilicet, *Gad*, & *dimidiam Manaſſe*, regionem trans Jordanem incolentes, nec minus e Galilæa ſuperiore [illegible] *Naphthali*, in miſerrimam ſervitutem abduxit,

xit, & per provincias quasdam Mediæ diſperſit, Deo diuturnam impietatem tam Regum, quam populi Iſraëlitici, hoc pacto ulciſcente, reliquosque tanto exemplo, ad pœnitentiam invitante. Tandem vero Peka, ab *Hoſea* ſervo ſuo, per conjurationem morte ſublatus eſt.

Micha ſive *Micheas* Propheta, non ille filius *Jemla*, de cujus ſiniſtris auguriis Achabus queſtus eſt 1. Reg. XXII. 8. ſed ex *Mareſa*, tribus Ephraim urbe oriundus, ſub *Jothamo*, *Achaſo*, & *Hiskia* Regibus, munere ſuo defunctus eſt. In libro vaticiniorum, qui ſupereſt, & VII. capitibus abſolvitur, inſignia myſteria revelavit; &, inter cætera, locum nativitatis Meſſiæ, verbis apertiſſimis prædixit.

Joëlem quoque Prophetam, *Pathuelis* filium, in hæc tempora communiter referunt, nam, de vera ejus ætate non conſtat. Prophetia, quam reliquit, III. capitibus abſolvitur, in qua de captivitate Babylonica, miſſione Spiritus S. & Judicio extremo, habentur vaticinia.

Res Gentilium.

Romæ Vrbis initium huc referendum. *Amulius*, Procæ filius, Albanorum Rex, cum *Numitori*, fratri majori, Regnum extorquens, filium ejus *Lauſum*, pubeſcentem, in venatione per inſidias interemiſſet, filiam unicam *Rheam*, quam, *Iliam* alii vocant, Veſtalem fecit. Illa, in templo, ſive a Genio quodam, quem Martem plerique venditarunt, ſive a procorum aliquo compreſſa, uno partu *Romulum* & *Remum* eſt enixa, quos, matre viva defoſſa, in profluentem abjici juſſit Amulius. Hos, in alveum Tiberis miniſtri deportantes, cum acceſ-

ſiſſent,

ſiſſent, invenere reſtagnantem, ob continuos imbres, fluvium, itaque in alluvie infantes reliquerunt. Ibi fluitans aqua, juxta *ficum*, quam tandem tempore Neronis aruiſſe refert Tacitus, pueros effundit. Tum dicitur *Lupa*, diſtentis a recenti partu uberibus, mammas iis præbuiſſe. Alii, *Laurentiam* uxorem *Fauſtuli* paſtoris, a quo pueri reperti nutriti ſunt, ſive ob alias cauſas, ſive ob meretriciam cum aliis ſtupri conſuetudinem, Lupam cognominatam, fabulæ occaſionem dediſſe autumant. Sic ſervati pueri, vitam agebant paſtoritiam, manibus victum ſibi parantes. Annum ingreſſis XVIII. controverſia de paſcuis cum Numitoris bubulcis oborta, ac a litigiis ad arma ventum eſt. Rebus admodum exaſperatis, Remus tandem, abſente Romulo, per inſidias captus, & Albam traductus eſt. Ibi, capitis ab Amulio reus factus, cum Numitoris judicio jus ſupplicii permitteretur, ab eo clam in necem Amulii armabatur, Romulusque, a Fauſtulo, quo ſanguine oriundus ſit, edoctus, fratri in ſubſidium veniens, urbem, cum cohorte non invalida, ingreſſus, Amulio obtruncato, avum maternum Numitorem, regiæ dignitati reſtituit.

Romulus poſt hæc & Remus, ipſi *urbem* ad Tiberim condere inſtituerunt. Sed, cum diſſidio de loco exſtruendæ urbis exorto, Romulus montem *Palatinum*, Remus, *Aventinum* munire conarentur, reque, ex Numitoris conſilio, Deorum judicio permiſſa, Romulus prior vultures ſex, Remus poſterior bis ſex conſpexiſſet, uterque augurium ſibi melius obtigiſſe ratus, alter tempore, numero alter contendere cœpit. Accendit fratrum contentionem reliqua multitudo, pugnam exorſa, non expectato Ducum imperio. Certa-

tum

tum eſt acriter, & multis utrinq; cadentibus, interq; illos, non Fauſtulo ſolum, qui, litem diremturus acceſſerat, ſed & ipſo Remo, penes Romulum victoria manſit, non ſine præſagio, de ſanguinolentia futuræ urbis. Alii narrant, Remum ob augurium, principatum ultro fratri ceſſiſſe, ſed, poſt mœnia condita, cum anguſtias foſſæ factæ irrideret, hanc tranſiliiſſe, eamque ob cauſam, aut a murorum præfecto, aut a fratre ipſo, retro in caput inflicto vulnere, occubuiſſe. Cæterum condita Roma A. M. 3197. Kalendis Maji, quo die ab paſtoribus in agris *Palilia* celebrari conſueverunt. Multi tamen, quos inter Dionyſius Halicarnaſſeus, & Plutarchus, a Romulo conditam negant, ipſum tantum ex ſparſa per Palatinum, Cœlium, Capitolinum ſeu Tarpejum, & Quirinalem montes civitate, oppidum quadratum feciſſe perhibentes. Volunt igitur, antiquiorum autoritate nixi, à quodam Æneæ, ſive etiam Vlyſſis filio, *Romo*, aut, a *Roma*, fœmina Trojana, quæ, cum Ænea in Italiam veniens, navigationis & errorum tædio, cæteras Iliacas adhortata, effecerit, ut facto ſecum impetu, naves exurerent, Romam primitus eſſe conſtructam. Nonnulli, cum Saluſtius in Catilinaria dicat, Trojanos, cumque his Aborigines, Romam condidiſſe atque habuiſſe, cenſent eam *Valentiam* ante appellatam, quæ deinde, poſt Evandri adventum, Roma, a *ῥώμη robore* dicta ſit.

Romuli natalium ſeriem, tabella quam in averſa pagina, oculis ſpectandam ſubjicimus, indicat.

Tros.

Tros.

- Ilus, *Rex Trojæ.*
- Ganymedes.
- Aſſaracus.
  - Capys.
    - Anchiſes.
      - Æneas.
        - Aſcanius.
          - Julus, *Sacerdos.*
        - Æneas Sylvius.
          - Latinus.
          - Alba.
            - Atys.
              - Capys.
                - Capetus.
                  - Tiberinus.
                    - Agrippa.
                      - Aventinus.
                        - Procas.
                          - Numitor.
                            - Lauſus, *al.* Ægeſtus.
                            - Rhea Veſtalis.
                              - Romulus.
                              - Remus.
                          - Amulius.
                    - Alladius.

MIL-

MILLENARII IV.
SECVLVM III.
SALMANASSAR.

SAlmanaſſar, qui & *Nabonaſſar* dicitur, Regno Iſraëlis finem impoſuit, abductione X. Tribuum. Pro iis, in Samariam, & reliquas vacuas ſedes, colonos ex variis gentibus collectos miſit, qui regionem inhabitarent. His, cum infeſti *leones* eſſent, ablegati illuc Iſraëlitici Sacerdotes, qui veram Dei colendi rationem novos incolas docerent. Fecere id Sacerdotes, ſed novi habitatores, Iſraëlitica ſacra, cum profanis ſuperſtitionibus ſuæ quisque patriæ, interpolabant, unde Samaritana religio, ex Judaiſmo ac Paganiſmo cinnus, ſuam traxit orginem. Huic addicti, religionem ex utilitate metiebantur. Florentibus enim Judæorum rebus, illorum ſe ſanguinis & legum fingebant; ſi quando in arcto erant, alienam, ex vero, originem, & extranea inſtituta profeſſi, peregrinis gentibus ſe ſociabant.

SENNACHERIB.

Sennacherib, ſive Sanchereb, poſt Salmanaſſarem patrem regnavit annis 7. Is *Sethonem*, Regem & Sacerdotem Ægypti, bello fruſtra petiit. Sethon enim ad Numen ſuum confugiens, impetravit ab eo, ut mures catervatim in caſtra Aſſyriorum irrumperent, & pharetras, arcuum nervos, ac ſagittas arroderent, ut ſic Sennacherib cum ignominia retrocedere cogeretur. Poſtea Sethon, Numini ſuo imaginem Sennacheribi, murem manu tenentem, dedicavit, eique ſubſcripſit: *In me intuens pius eſto.* Quidam exiſtimant, Herodotum, a quo iſta

in Euterpe prodita ſunt, deceptum, Sennacheribi adverſus Hiskiam expeditionem, male enarraſſe. Hæc autem mox, una cum interitu Sennacheribi, ex Sacrarum Literarum fide recenſebitur.

CONTEMPORANEA.

JVDÆ REGNVM.

HISKIAS. Hiskias, ſive *Ezechias*, mox ab initio regni ſui, Templum a Patre occuluſum, reſeravit, cultum Dei ac ſacrificia reſtituit, idololatriam extinxit, ac Paſcha celebravit. Quin, tanto fervore reſtaurandæ pietatis incenſus eſt, ut *Serpenti* etiam æneo, a Moſe fabricato, nobili antiquitatis, & divinæ beneficentiæ monumento, quod Hebræi illi incenſum offerrent, non pepercerit, ſed eum aboleverit, atque confregerit. Hoc pietatis zelo Rex Ezechias viam ſibi ad felicitatem ſtravit, ac *Philiſtæos* devicit, ab ipſis injuſte ablata recuperans. Interceſſit rebus proſperis *Sennacheribus*, bellum magnis viribus intentans, agroſque late vaſtans, munitioribus plerisque urbibus in poteſtatem redactis. Non auſus eſt manum cum Aſſyrio conſerere Ezechias, quippe copiis militaribus longe inferior, ſed pacem ingenti auri pretio mercatus eſt. Hac autem non diu illum gaudere paſſus eſt Sennacherib, robore enim fretus militum, cum in Arabia, & alibi proſpere ei omnia cederent, reverſus, per *Rabſacen* Hieroſolymæ ſuperbe inſultans, deditionem imperare, & excidium minitare cœpit. At, cum ad Deum precibus confugiſſet Ezechias, mirabiliter e manu hoſtis liberatus eſt. Angelus enim Domini, una nocte, in Aſſyriorum Regis caſtris, prope Jeruſalem locatis, 185. millia

millia trucidavit, &, ut Sennacherib, ex Judæa, in Aſſyriam, ſe cum exercitus ſui reliquiis reciperet, invitum & frementem compulit: ubi paucis poſt diebus, à filiis ſuis, *Adramelech* & *Sarezer*, in templo idoli Niſroch interfectus eſt. Hujus Sennacheribi expeditionis in Aſiam & Ægyptum, meminit quoq; Beroſus apud Joſephum l. 10. Ant. c. 1. & Herodotus in Euterpe, ceu dictum. Nec tantum Ezechias divino præſidio ab Aſſyriis liberatus, verum etiam cum lethali morbo oppreſſus jaceret, Dei benignitate ex eodem emerſit, &, à fatali metà, ad diuturniorem vitam revocatus eſt. Quippe, ſanitas ei reſtituta, ac inſuper XV. anni vitæ ejus adjecti ſunt. In cujus rei fidem, *umbra Solis*, in horologio ab Achas facto, decem gradibus, per lineas quibus jam aſcenderat, retrorſum ducta eſt; atque non umbram tantum, ſed ipſum Solem retrogradum, & hunc diem 10. horis longiorem ſolito fuiſſe, veteres Eccleſiæ Doctores conſenſu tradunt. Et vero *Berodach*, ſeu *Merodach*, Babyloniæ Rex, quem Ptolemæus *Mardocempadem* appellat, hoc prodigio motus, Legatos muneribus inſtructos, ad Ezechiam miſit, ut ei de ſalute gratularentur, & in miraculum retroceſſionis Solis diligentius inquirerent. In hac Legatione excipienda, Hiskias parum provide verſatus eſt. Siquidem, quicquid theſaurorum ſibi erat, Chaldæis illis, non ſine animi elatione, & ingratitudine erga Deum, oſtentavit, eamque ob cauſam iram divinam in ſe & poſteros provocavit, atque audire coactus eſt, Babyloniis prædæ fore gazam, quibus tantum ipſe tribueret. Propter pietatem tamen, dum vixit, ejus habita ratio. In pace enim

mortuus, filio degeneri Manaſſæ Regnum reliquit, cui ipſe per 29. annos præfuerat.

Succedunt Judaicæ Traditiones. Hiskias abolevit *librum Medicinalem* conſummatiſſimum, quem Salomo reliquerat; quisque enim æger, ex ibi deſcriptis remediis, facile ſanitatem recuperabat, ita ut nemo in morbo, opem divinam amplius requireret.

In clade Sennacheribi, corpora necatorum in pulverem fuere redacta, ſervatis tamen veſtimentis & armis, ne tot cadaverum fœtore, aër inficeretur, aut ſpolia corrumperentur. Atque ex his manubiis, Ezechias gazophylacia, quæ tributo Aſſyriorum penitus exhauſerat, in tantum iterum replevit, ut illorum opulentiam, Babyloniis Legatis oſtentare poſſet, & ea ſe magnifice efferre. Nihil autem iſtos Legatos clam habuit, ne Tabulas quidem Legales; a Deo ipſomet deſcriptas.

Sennacheribi Idoleum *Niſroch* nomen habuit, ab aſſere quodam, ex Arca Noachi ibi reſiduo, & venerationi hominum expoſito: vox enim נסר *Neſer*, aſſerem ſignificat. Cæterum, percontabatur Sennacherib hariolos ſuos, ecquæ cauſa eſſe poſſit, quod Judæi Divos tam faventes habeant, ipſe contra tantam cladem paſſus ſit? Reſponſum ab iis, habere Judæos progenitorem Abrahamum, qui non recuſaverit filium unicum Numini holocauſtum offerre, atque ob tam bonum factum, ſemper omnes res ex voto iis fluere. Tum Sennacherib dicere, ſi hæc ſit cauſa Judæorum felicitatis, non æquaturum ſe tantum, ſed & ſuperaturum Abrahami pietatem, ac filios ſuos ambos ſacrificaturum. Id patris conſilium cum filiis innotuiſſet, de eo trucidando inter ſe conveniunt, ac deſtinata exequuntur.

Regi

Regi Babylonio *Merodach* ſolemne erat, prandere hora diei ſexta, ſive circa meridiem: poſt epulas, per trihorium ſomno indulgebat, & expergefactus, ad cœnam usque munera obibat ſua. At vero, die illo, quo Sol in gratiam Ezechiæ retroceſſit, cum a ſomno meridiano evigilaſſet, & Solem in Oriente conſtitutum animadverteret, queritur, quod usque in diei alterius mane ſe paſſi eſſent Miniſtri dormire. Hi, vero, quippe Aſtrologiæ peritiſſimi, reſpondebant, nondum diem quo ſe quieti receperat, præteriiſſe, ſed in Ezechiæ Judæorum Regis gratiam, Solem retroceſſiſſe. Quæ, ſi ita ſe habent, ajebat Merodach, neceſſe eſt, ut cum tanto Rege, cui etiam Sidera obſecundant, neceſſitudinem contraham; atque ſic Legatos ad eum deſtinavit.

Israelis Regnvm.

HOSEAS. Hoſeas *Elæ* filius, Regnum Domini nece quæſitum, male adminiſtravit. Iſraëlitæ quoq; nec minis nec plagis a legum Divinarum contemtu, ad pietatem bonamque mentem perduci potuere. Quamobrem Deus, tot annorum patientia tandem in furorem verſa, Salmanaſſarem adverſus illos concitavit, a quo bello ſubacti, tributum pependerunt: nec minus Syri, & Phœnices, quibus tunc *Elulæus* Tyriorum Rex præerat, graves illis fuerunt. At mox, defectionis anſam nactus Hoſeas, fidem fregit Aſſyrio. Conſiderata enim Ægyptiorum Regis potentia, quem Scriptura *Soum*, Herodotus *Sabacon* nominat, ad eum clam Legatos miſit ac munera, ſocietatem adverſus Salmanaſſarem cum illo iniens. Salmanaſſar, ea re comperta, reverſus cum exercitu, primo impetu quicquid erat terrarum ex-

tra Samariam, occupavit armis, habitatores ſedibus pepulit. Samaria ipſa, cum tertio demum anno fame expugnata, victas manus dediſſet, ſolo æquata, Regnumque Iſraëlis miſerabiliter deſtructum eſt, ac Rex cum incolis in captivitatem abiit. Regnatum eſt Sichemi primo & Thirzæ, deinde Samariæ a Regibus XIX. per annos 258. Inter illos, X. cruenta occubuerunt morte; reliqui item omnes impii, varie a Deo fuere afflicti.

Quorſum traducti ſint Iſraëlitæ X. Tribuum, & olim quæſitum eſt, & hodienum in quæſtione verſatur. Scriptura Sacra 2. Reg. XVII. 6. ea loca vocat *Chalach*, *Chabor*, & *Goſan*. Eruditiores cenſent *Chalach* Ptolemæo *Calacinen* dici, ac eſſe Aſſyriæ, verſus Septentrionem, partem: *Chaborem*, ad Euphratem, & *Gauzanitidem*, in Meſopotamia quærendas eſſe. Jam ex his poſtea locis, creſcente numero, in alios etiam Orientis tractus hoſce Iſraëlitas ſe effudiſſe, veriſimile iis evadit; cum ſint in Tartaria magna, Aquilonem verſus, *Hordæ*, quæ, nomina *Dan*, *Zebulon*, *Naphthali* retinent. Non deſunt quoque, qui illas Tribus in Americam usque penetraſſe contendant, huc trahentes, quæ in Eſdræ quarto libro c. XIII. 41. ſeqq. leguntur.

Mihi, in re difficili, &, quæ diu multumque me torſit, commodiſſimum videtur, ſi ſimpliciter dicatur, Iſraëlitas X. Tribuum, a Salmanaſſare abductos fuiſſe in Aſſyriam, atque ibi tam diu egiſſe, quoad Merodach, devicto Aſarhaddone, Aſſyriorum Imperium ad Babylonios tranſtulit. Sic, ſive ultro, ſive vi compulſos, conceſſiſſe deinde in Babyloniam, maxime, cum Nebucadnezar, reliquas, quæ in Judæa ſupererant Tribus, in eandem regionem exulatum

latum ire coëgiſſet; ut, hac ratione, univerſarum Tribuum Judæi, ea tempeſtate, in Babylonia habitaverint. Poſtea, ſoluta LXX annorum Babylonica Captivitate, cum Zorobabele in Palæſtinam reverſum populum, præcipue quidem componebant Judæ & Benjaminis Tribus, ſed quibus plurimi ex X. Tribubus fuere immixti. Huic rei argumento eſt, quod iſta avitis ſedibus reddita turba, condito Templo, in ejus dedicatione, præter alia ſacrifica, Deo obtulit, *hircos lactentes, pro peccato totius Iſraël, duodecim, juxta numerum Tribuum Iſraël*: Eſræ VI. 17. Pariter & ii, qui poſtea, ex intervallo, cum Eſra Palæſtinam repetebant, *& qui venerant de captivitate filii transmigrationis, obtulerunt holocauſta Deo Iſraël, vitulos duodecim pro omni populo Iſraël, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, hircos pro peccato, duodecim*: ibid c. VIII. 35. Et vero, ſcimus ex Lucæ c. II. 36. Annam prophetiſſam, filiam Phanuel, fuiſſe de Tribu Aſer, & adeo Jacobum, Epiſtolam ſuam, *duodecim Tribubus* inſcripſiſſe. Taceo veterem, ac præter alios, ipſi Joſepho probatam traditionem, ad faciendam Sacrorum Librorum in Græcam linguam, Ptolemæi Philadelphi auſpiciis, translationem, ſenos e quaque Judaica tribu ſelectos, ut LXXII. numero eſſent. Hoc autem utut ſe habet, vel eo tamen miſſo, ex ante dictis conſtat, univerſarum Tribuum Judæos, ad panoletriam usque gentis ſupremam, & quæ, ex illa ſuperſtites, omnes denique inter ſe confudit, in Palæſtina ſuperfuiſſe.

Ii, qui ex captivitate reduces erant, non jam tributim, ceu quondam, Palæſtinam ſibi habitandam ſumebant, ſed, quod pauci eſſent, primum Hiero-

ſolymis, ac in locis finitimis ſedes figebant, contenti, *extollere Domum Dei, & reſtituere ſolitudines ejus, ac accepiſſe maceriam in Jehuda & Hieroſolymis*, Eſræ IX. 9. Atque hinc Eſra collecturus in unum omnes qui ex captivitate reverſi erant, ut mores illorum pravos corrigeret, tantum *promulgavit vocem per Judæam & Hieroſolymas*, ibid. c. X. 7. Imo queritur Nehemias c. VII. 4. Civitatem Hieroſolymitanam *eſſe amplam ſpatiis, & magnam, populum vero paucum intra eam; nec eſſe domos ædificatas.* Vnde & poſtea, quod c. XI. 1. legitur, factum, ut cum principes populi habitarent Hieroſolymis, e reliquo populo per ſortem e denis unus eligeretur, habitaturus in Jeruſalem, cæteris in reliquas vicinas civitates concedentibus. Adde quod omnem X tribuum terram, alii incolæ occupaverant.

Aucti deinde Judæi indies, conterminam regionem, ita confuſi ac invicem mixti, nulla illius, per ſortem diviſionis, quæ ſub Joſua facta erat, amplius habita ratione, ut ferebat occaſio, & cuique commodum fuit, implebant, communi deinde nomine, uti pridem, omnes Judæi dicti.

Cæterum, remanſiſſe ſoluta captivitate permultos in Babylonia X. Tribuum Iſraëlitas, imo & Judæ ac Benjaminis Tribubus ortos, rurſus ex Eſræ libro evadit manifeſtum. Quippe, cum nova, poſt Zorababelem, (qui, quod ibi c. II. 64. ſcriptum, Judæorum tantum *quadraginta duo millia trecentos ſexaginta* in Judæam ſecum adduxerat,) profectione, Eſra ſimiliter eam regionem peteret, illum comitati ſunt, *de filiis Iſraël, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Levitarum, & de janitoribus, & de Nethinæis*; ut etiam tum, iſtorum multos, in Babylonia perduraſſe, ſatis

ſatis aperte ſignificetur. Nec id diſſimulavit Joſephus, teſtatus l. 11. Antiq. *multos Judæorum maluiſſe manere apud Babylonem, non ſuſtinentes posſeſſiones ſuas relinquere.* Atque hi, tum in illa ipſa regione, tum aliorſum quacunque ratione delati, ſucceſſu temporis, cum incolis nativis, per connubia, ceu fieri ſolet, in unam tranſivere nationem. Hæc ita ſucceſſiſſe, facile ex iis colligitur, quæ nondum elapſis annis LXX. captivitatis, & Prophetis adhuc ſuperſtitibus, acciderunt. Sic enim queritur Eſra c. IX. 1. 2. *Acceſſerunt ad me Principes dicentes: Non eſt ſeparatus populus Iſraël, Sacerdotes & Levitæ, a populis terrarum, & abominationibus eorum, Cananæorum videlicet, & Chittæorum, Perizzæorum, Jebuſæorum, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrhæorum: aſſumſerunt enim de filiabus eorum ſibi & filiis ſuis, & commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis illarum regionum: manus etiam principum, & magiſtratuum fuit in transgreſſione hac prima.* Conferre oportet Nehem. XIII. 23. ſeqq. Sane quidem iis, quæ de Judæorum & Iſraëlitarum in reditu ex Babylonica captivitate, permixtione, aſſeruimus, obſtat quodammodo, quod in genealogiis apud Eſram & Nehemiam, tantum Levi, Judæ, & Benjaminis, nulla aliis, Tribubus genitorum, fit recenſio. Sed tollitur qui eſt in hac re ſcrupulus, ſi dicatur, Judæos, penes quos τὸ κύϱιον erat, ex veteri erga Iſraëlitas odio, & quia hi jam olim veræ religioni nuncium miſerant, cultu profano ac vita impura aſſidue ſeſe polluerant, ſeparatamque conſtituerant gentem, iſtorum nullam rationem habuiſſe, eosque indignos judicaſſe, in quorum natales inquirerent, cum omnes vitio laborare

ſuſpicio eſſet. Imo fortaſſe nec poterant plerique X. tribuum Iſraëlitæ, majorum ſeriem edere, quam Judæ tantum proſapia, ob ex ſeſe proditurum Meſſiam, & Levi poſteri, ut ſacris officiis in templo fungi poſſent, ſolicite literis conſignabant. Judicent Doctiores.

Judæi, ſi in ulla re, certe de X. Tribuum Iſraëlitis, ſuaviter nugantur, & ipſi ſibi ſomnia fingunt. Scilicet, X. Tribuum Iſraëlitæ, ſi Superis placet, ſanæ atque ſalvæ adhuc ſuperſtites agunt in regione Æthiopiæ ampliſſima, quam vix integro anno emetiri licet, eamque Sambatjon fluvius undique ambit. Is, omnibus hebdomadæ diebus, lapidum quaſi montes tanto impetu provolvit, ut ſonus tonitruum fragorem æmuletur, & ad milliaria quatuor exaudiatur. In Sabbatho quieſcit quidem; ſed tum, omnem ripam, hinc & hinc, ignis flagrantiſſimus longe lateque veſtit, ut ſic ultro citroque commeandi, penitus præcluſa ſit facultas. Præeſt judæis, Rex potens, ad Davidem genus referens, juris æquique ſedulus cultor. Plebs habitat in palatiis ſumtuoſis, quibus horti & paradiſi adjiciuntur, omnis generis fructibus abundantes. Nullæ in tota regione conſpiciuntur feræ noxiæ, aut pecudes immundæ, non vulpes, non canes, non ſcorpiones, aut ſerpentes; imo nec pulices, pediculi, & adeo ne muſcæ quidem. Exulant omnes linguæ; præter ſanctam Hebraicam, quæ priſcum nitorem retinens, pro vernacula valet. Nemo moritur ante centeſimum ætatis annum exactum, nec turbatur unquam ordo mortalitatis, ut annoſi parentes, liberorum funera defleant. Nulli hic fures aut latrones, omneſque quod juſtum eſt colunt: unde interdiu noctuque ædes ſemper patent. Servorum & mancipiorum ignota nomina. Armorum, quip-

quippe in perpetua pace, nullus uſus, præterquam cultrorum, pecudibus nempe maɕtandis. Robuſti & fortes illico naſcuntur infantes, ac ne centum quidem valentiſſimorum inter nos virorum, uni domando puero ſufficerent. Suum quisque agrum colit, aut aliis artibus, quibus ad vitam opus eſt, incumbit. Terra haud unquam defraudat ſpem agricolarum, nec lolium in ea dominatur aut ſentes: quæque alia ſunt,

—— *mendacis deliramenta cataſtæ.*

Res Gentilivm.

In hæc tempora refertur *Bellum Meſſenium*, quod Meſſenii & Lacedæmonii per 20. annos geſſerunt. Nimirum, inter Meſſenen, & Spartam, vicinas in Peloponneſo Civitates, ſumma erat familiaritas & neceſſitudo, ita, ut altera alteri Virgines ſuas mitteret, ad ſolemnia ſacra peragenda. At Meſſenii, hujus amicitiæ jura turpiter violantes, Spartanorum Virginibus aliquando ad ſe venientibus vim intulere. Hanc injuriam Spartani indigne ferentes, arma in Meſſenios ſumpſerunt, religione jurisjurandi ſeſe obſtringentes, non prius ſe reverſuros quam Meſſenen expugnaſſent. Cæterum, cum contra præſumtionem ſuam, annis decem in obſidione urbis jam tenerentur, & querelis uxorum poſt tam longam viduitatem revocarentur, veriti, ne hac perſeverantia gravius ſibi quam Meſſeniis nocerent, & ſic omne Spartanum genus interiret, miſere juvenes aliquot, ad fœminas domi fœcundandas, iisque promiſcuum illarum concubitum permiſere. Ex his nati, ob notam materni pudoris, *Partheniæ* diɕti. Qui, cum ad annos 30. perveniſſent, metu inopiæ, (nulli

enim

enim pater exiſtebat, cújus in hereditatem ſucceſſio ſperaretur,) ducem *Palantum* aſſumunt, filium *Araci*, qui autor Spartanis fuerat, juventutis ad generandam ſobolem domum remittendæ; ac ad ſedes inquirendas proficiſcuntur. Sic, diu, & per varios caſus jactati, in Italiam deferuntur, &, occupata *Arce Tarentinorum*, expulſis veteribus incolis, domicilium ibi conſtituunt. Antequam iſta acciderunt, Meſſenii, cum per annos 20. obſidionem toleraſſent, inſidiis magis quam virtute ſuperati, deditionem facere coacti fuerant, in quos, victores Lacedæmonii, gravi ſervitute animadverterunt. Hujus Meſſenii impatientes, ex interjecto tempore in libertatem ſeſe vindicare cupientes, *Ariſtomenem* belli Ducem elegerunt, qui Arcadum in Bœotia auxiliis uſus, multis Spartanos afflixit cladibus. Hic eſt ille Ariſtomenes, cujus cor exſectum inventum eſt piloſum, quique ter captus, ſemel *Archidamiæ* ſacrificulæ, deinde vulpeculæ, exitum ex carcere per foramen monſtrantis, beneficio, & denique virginis cujusdam, ejus virtutem admirantis, miſeratione, evaſit. Lacedæmonii, aſpera perpeſſi, conſulto Oraculo, Ducem ab Athenienſibus petere juſſi: a quibus per contemtum accepere *Tyrtæum*, poëtam claudum; jám tum enim Spartanorum potentia, Athenis ſuſpecta eſſe cœperat. Novus Dux, diu in pugnando infelix, ad extremum *Carmine* a ſe compoſito, militum ſuorum animos, ad ſpem vel victoriæ, vel honeſtæ ſepulturæ erexit, atque ſic Lacedæmonii ſuperiores evaſere: Meſſenii vero ſedibus ejecti, in Siciliam abierunt, ibique *Meſſanam* condidere. Poſt multos tamen annos in Peloponneſum reverſi, ejus regionis Meſſanam reſtaurarunt.

ASAR-

ASARHADDON.

Aſarhaddon, Sennacheribi filius, Aſſyriæ Regum poſtremus fuit. Nempe, illo imperante, *Babylonii*, qui poſt tempora Sardanapali inferiores & ſubjecti fuerant Aſſyriis, conditionem mutarunt, dominatum ſibi aſſerentes. Cum enim filii Sennacheribi *Adramelech* & *Sarezer*, qui, poſt patratum parricidium, in Armeniam profugerant, Aſarhaddoni fratri, imperium occupanti, bellum inferrent, interim Merodach, inteſtini hujus belli occaſione, de amplificanda Babyloniæ, cui præfectus erat, dignitate, conſilium capere cœpit, & ab Aſarhaddone defectionem moliri. Nec male propoſitum ceſſit. Victus enim eſt Aſarhaddon, urbs Ninive ſolo æquata, atque omni Aſſyriaci imperii dignitate in Chaldæam translata, urbs *Babylonia* eminuit, ſedesque Imperii evaſit.

MERODACH.

Hic, eo, quo dictum eſt modo, Aſſyriis domitis, ut penes Chaldæos ſive Babylonios ſumma rerum eſſet, perfecit, ac per annos 28. eam adminiſtravit.

RES JVDÆORVM.

MANASSE. Manaſſe, *Hiskiæ* filius, pravo ſceleratoque initio regiminis uſus eſt. Lucos enim plantavit, & cœli aſtra religioſo cultu proſequebatur, in ipſo ſanctiſſimo Dei templo, idolum collocans. Adhæc Saturnum venerebatur, & filios ſuos per ignem traducebat. Inſuper magiæ & auguriis animum adjungens, haruſpices & incantatores inter familiares habebat. Nec minus cædibus erga innoxios graſſatus eſt. Judæi addunt, ipſum ex

ex libris Moſaicæ legis craſiſſe Dei veri nomina, ſubſtitutis in locum appellationibus Deaſtrorum. In hæc tot & tanta flagitia denique divina Nemeſis animadvertit, catenisque vinctus impius Rex, in Aſſyriam captivus abductus eſt. Evaſit tamen ex illo ergaſtulo incolumis, cum peccatorum illum ſerio pœniteret, ac in regnum poſtliminio rediit. Ea liberatio qua ratione facta ſit, non una omnium eſt ſententia. Quidam enim, Hieronymo teſte, ipſum per Angelum, eo modo in Judæam reductum eſſe, prout Habacuc Babylonem deportatus fuerat, aſſeruerunt. Aliis viſum, vincula ejus, igne cœlitus delapſo, liquida facta, ut ſic liber ad ſuos confugere poſſet. Satius fortaſſe eſt, ſi dicatur, Deum, in cujus manu imperantium corda ſunt, Aſſyriorum Regis animum permoviſſe, ut captivum Regem vinculis eximeret, & bona cum gratia, ſub conditione fidei, ac forſitan etiam tributi impoſterum pendendi, dimitteret. Sic itaque inſperatus, & ex improviſo, Manaſſe ad ſuos Hieroſolymam reverſus eſt, ubi bonam mentem, ad quam in captivitate ſe converterat, ſervavit, idololatriam miſſam faciens, & veri Dei cultui totum ſe addicens. Quamobrem & diutiſſime rebus præfuit, ac regnum ad annos 55. produxit.

De *Eſaia* Propheta paulo ante diximus, extare inter Judæos veterem traditionem, quod a Manaſſe Rege ſerra diſſectus fuerit. Nempe id fertur, cum Manaſſes, Eſaiæ ſuccenſens, eum actutum perimere juſſiſſet, hunc divinam opem implorantem, a ſeſe pandente arbore in ſinum admiſſum fuiſſe, quæ ipſum deinde operuerit: hoc vero miraculo nihil commotum Manaſſen, præcepiſſe, ut arbori ſerra admoveretur, cum qua in ea la-

titans

tnans Eſaias, medius ſciſſus ſit. Vereor ne apud paucos fidem iſta inveniant. Sed ſequentia Cl. Heideggeri quæ in Enchir. Bibl. p. 212. de Eſaia expreſſit, ſcita verba, nemo, ſat ſcio, vocabit in dubium. *Genus ei docendi copioſum & ampliſſimum: oratio illuſtris, perſpicua & evidens. Eſtque hic Propheta verus & divinus Orator, Pericle multo præſtantior, tonans & ipſe, fulgurans, aculeos in mente Auditorum relinquens. Vnus certe, ne Ethnici, ſacros Scriptores jure contemnere poſſint, vel Eccleſia Dei ullo excellenti dono deſtitui videatur, omnibus ſimul Hiſtoricis, Oratoribus, & Poëtis gravior, diſertior, ornatior eſt, pro rerum magnitudine major & ſublimior; talis deniq; in omni genere, ut, ſi Latine ſcripſiſſet, Latinorum; ſi Græce, Græcorum omnium gloriam obfuſcaſſet.*

Pertinent amplius, Judæorum opinione, ad Manaſſis quoque tempora, *Joël*, *Nahum*, ac *Habacuc* Prophetæ, voluntque eos, Regis illius mentionem facere neglexiſſe, quod ob impietatem indignum eum judicarent, cujus ratio haberetur. Noſtri obſervant, Spiritum S. in deſcribendis Prophetarum & Apoſtolorum vitis parciſſimum eſſe, ne Dei verbum, ex hominum autoritate æſtimemus, ſed in illud unum ſimus intenti.

Non deſunt, qui in Manaſſis tempora conjiciant *Judithæ* hiſtoriam, quæ *Holoferni*, Aſſyriorum Regis copiarum Duci, Judæam infeſtaturo, in caſtra ejus profecta, blandis verbis circumvento, & temulento, per quietem caput præcidit, idque ad ſuos retulit, magnæ ſic ſalutis cauſa. Cujus rei geſtæ fidem tamen, alii ſolicitant.

Res Romanorvm.

NVMA. Poſt Romulum, ducenti Patres Conſcripti, diſtributi in Decurias, ſorte ex ſe delectis *Decemviris*, per vices Vrbis committebant imperium. Sed anno vix elapſo, Populo, crebris mutationibus poteſtatum offenſo, &, plures eſſe pro uno dominos factos, clamante, cum Rex poſceretur, non inveniebatur magis idoneus quam gener Tatii, *Numa Pompilius*, filius *Pomponii*, eodem, quo Vrbs Roma condita, die natus, Vir mitis ingenii, & recti æquique cultor ſtrenuus. Hic, ex *Curibus*, urbe Sabina, evocatus ab agricultura, jam quadragenarius communi ſuffragio Rex creatus, jure ac legibus Vrbem confirmavit, ac, armis ferocem populum, religione & ſacris ceremoniis mitigavit. *Ancilia* itaque, & *Palladium*, ſecreta quædam imperii pignora induxit. Conſtruxit præterea *Jani biſore Templum*, quod clauſum, Pacis, apertum, Belli ſignum eſſet. *Pontificem Maximum*, qui ſacrorum curam gereret; *Augures*, *Feciales*, *Salioſq;* inſtituit, focumq; æternum *Veſtæ Virginibus*, ut ad ſimilitudinem cœleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret, colendum dedit. Flaminibus duobus, *Diali* nempe, & *Martiali*, addidit tertium *Quirinalem*. Procudit *Aſſes* ex ære & argento rudi. *Annum*, Januario & Februario additis, in XII. menſes, & faſtos nefaſtosq; dies deſcripſit: Cohortem 300. *Celerum*, quibus ſtipatus Romulus ſemper fuerat, exautoravit, nolle ſe iis diffidere, qui ſibi fidem haberent, profeſſus. *Agrum*, in pagos; *Vrbem*, per Centurias diviſit; atque omnia quæ ita geſſerat, quo magis barbarus adhuc populus acciperet, juſſu *Egeriæ Nymphæ* ſe feciſſe ſimulabat, nocturnos cum ea congreſſus fingens.

gens. Mortuus eſt octogenario major, cum annos 43. regnaſſet. *Pythagoricus* fuiſſe dicitur, non quaſi Pythagoram audierit, qui eo longe fuit poſterior, ſed quod ea diſciplina philoſophica, quam Pythagoras quoque ſectatus eſt, animum imbuit. Carne enim, ut Pythagoras, abſtinebat, nec ſanguinem pecudum, ſed grandia liba, & fruges, Deorum aris inferebat. Quin nec ſimulacra in templis erexit, quod nefas duceret, Numinibus humanam formam induere, eaque ex terreſtri materia effingere. Conſcripſit quoque *ſacros libros*, de jure Pontificio, & diſciplina ſapientiæ, quos, moriturus, juſſit ſecum ſub Janiculo, in duabus arcis lapideis ſepelire. Ii deinde inventi, cum viderentur ad religionem ſolvendam pertinere, *Petilius* Prætor juſſit illos comburi, jurejurando confirmans, minime expedire ut ſerventur & legantur.

Contemporanea alia.

Hactenus in Lydia, a morte Herculis, Heraclidæ regnaverant, per quingentos circiter annos. Eorum poſtremus fuit *Candaules*, a *Gyge* ſatellite interfectus, qui in regno ſucceſſit, ac uxore quoque illius potitus eſt. Hujus poſteri *Mermnadæ* dicti, quorum poteſtas in *Crœſo* defecit. De occaſione qua Gyges heri cædem peregit, regnumq; ſibi vindicavit, talia prodita ſunt genuinis Hiſtoricorum monumentis: Candaules admodum beatum ſe putabat, quod uxorem haberet omnium ætatis ſuæ longe formoſiſſimam; cujus ſpeciem cum Gygi, ſatellitum præfecto, quo familiariter utebatur, multum laudaſſet, ut verbis fidem faceret, nudam, cum quietem illa captare vellet, ex occulto, in conclavi oculis contemplandam ſubjecit. Illa, cum quid actum eſſet forte fortuna ſenſiſſet, virum ultura, Gygi con-

ceſſit optionem, ut aut ipſe periret, aut Regem e medio tolleret. Gyges, propriam, Regis ſaluti, præferens, Candaulem interfecit, &, præmium obſequii, conjugem illius, una cum regno accepit. Extat & fabula ea de re, quam Plato, libro de Repub. 2. & ex illo Cicero l. 3. Offic. recenſione ſua dignam judicarunt, unde hic quoq; locum ſibi depoſcit. Scilicet, Gyges, in Lydia paſtor, dum gregem curat, accidit, ut terra, coorta tempeſtate, ob imbrium & conquaſſationis vehementiam, dehiſceret. Quod, cum ille animadvertiſſet, ſolus, (nam cæteri paſtores territi diffugerant,) in hiatum deſcendit, atque ibi tum alia quædam mira conſpexit, tum Equum quendam æneum, cujus in lateribus fores eſſent. Iis apertis, hominis mortui vidit corpus, magnitudine inuſitata, cui annulus aureus in digito. Hunc detractum ipſe induit, ac cum ad ſocios paſtores ſe recepiſſet, animadvertit, quod ſi quando forte gemmam annulo incluſam introrſum verteret, repente fieret, ut a nemine conſpiceretur, cum autem extrorſum manum teneret, iterum conſpicuus redderetur. Miſſus deinde, paſtorum nomine, ad Regem legatus, opportunitate annuli uſus, Reginæ ſtuprum intulit, eaque adjutrice Regem dominum interemit, ſuſtulitq; quos obſtare arbitrabatur e medio, nec in his eum facinoribus potuit quiſquam videre.

BEN MERODACH.

Iſte, poſt patrem Merodach, annos 21. Regni gubernacula tractavit.

RES JUDÆORUM.

AMON Rex ſucceſſit patri Manaſſæ, cujus primordia vitæ imitatus eſt, ſed pœnitentiam non

item.

item. Manſit autem illum brevi Divina vindicta, ſublatusque fuit ſecundo regni anno ab Aulicis quibusdam; in quos tamen populus, Regis legitimi deſiderio, graviter animadvertit.

JOSIAS. Hic improbi patris Amonis, filius optimus fuit ac religioſiſſimus, Regnumque quod impubes conſecutus eſt, egregie adminiſtravit, ita ut in ipſis ſacris literis 2. Reg XXIII. 25. hoc ei elogium tribuatur, quod *ſimilis ei non fuerit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum, in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem legem Moyſis, neq; poſt eum ſurrexerit ſimilis illi:* ejusque nativitatem, & nomen adeo, divinus Vates (videndus liber 1. Regum cap. XIII. v. 2.) ante tria ſecula prædixerat. Cæterum, poſtquam exceſſit ex ephebis, *Hilkia* Pontifice conſiliatore utens, cœpit accuratius in religionis leges inquirere, atque ſic Hieroſolymam Judæamque in melius reformare. Quippe Altaria, vaſaque omnia anteriorum Regum, ſuperſtitionibus conſecrata, conbuſſit. Illi enim lucos collesque partim Diis gentium variis, partim ipſi Deo Iſraëlis, præter legem ejus ſacraverant, atque eo progreſſi fuerant impietatis, ut Soli ac Lunæ divinos honores tribuerent, ac imagines & ſimulacra illis dicarent. His, Joſias in pulverem redactis, Sacerdotes delubrorum occidit; inque aris profanis, eruta e ſepulchris oſſa cremavit. Imprimis autem in regione quæ olim X. Tribuum erat, vitulinæ ſuperſtitionis officinam, quæ inde a tempore Jeroboami I. ad hanc usque ætatem duraverat, occiſis ſacrificulis, & ſuper altari combuſtis, ſuſtulit, evertitque; atq; ſic editum de ſe vaticinium implevit. Anno regni ejus 18. dum Summus Sacerdos theſauros, reparando

Templo colligit, invenit *autographum Moſis*, in quod, divina ille oracula conſcripſit. Ex eo Rex didicit, Hebræam gentem, ob crebras impietates & ſacrilegia, ejiciendam e Palæſtina: quam ille cladem, ſupplicationibus & lacrymis avertere ſtuduit. Reſponſum eſt per *Huldam* Prophetiſſam, Regi quidem pio parcere æternum Numen, ſed nequaquam ſceleratis ejus ſubditis. Itaque Joſias univerſam regionem Hebræorum perambulavit, regnique Samariæ incolis, qui Aſſyriorum captivitatem evaſerant, perſuaſit, ut omiſſis ſuperſtitionibus peregrinis, Deum patrio ritu colerent. Luſtrata terra, incolas omnes Hieroſolymam evocavit, ad ſolemnes azymorum ferias celebrandas, illisque congiarium dedit, tria boum, & triginta agnorum millia mactans: atque ſic priſcæ ceremoniæ, multis retro ſeculis intermiſſæ, fuere reductæ. Produxit regnum ſuum ad 31. annos, obiitq; tandem, cum bellum adverſus Ægypti Regem inconſulte ſuſcepiſſet. Etenim *Pharo Necho* Ægypti Rex, in Aſſyriorum & Babyloniorum Regem expeditionem ſuſcipiens, per Joſiæ ditionem tranſitum parabat. Id cum Joſias detrimentoſum ſibi judicaret, ut Ægyptium aditu prohiberet, prope *Megiddum* cum eo conflixit, verum infeliciter: victus enim, & ſagitta trajectus, paulo poſt ex vulnere deceſſit.

De Joſia, Judæorum extat traditio, ipſum, quia jam anno octavo res adminiſtrare, atque ſic jus inter litigantes quoque dicere cœpit, illis, quos ſua ſententia ad præſtandum adverſariis id, quod in controverſiam erat deductum, condemnaverat, ſemper de ſuo tantundem reddidiſſe, quoad ætatis annum octavum & decimum expleverat. Verebatur enim, ne forte ex ætatis ac mentis imbecillitate, male judicaſſet, cum

ſic

ſic quoque conſtitutum ſit, ne quis minor octodecim annis judicis munus obeat.

Zephanias, vel *Sophonias* Propheta, fuit ex poſtremis, qui ante captivitatem Babylonicam vaticinati ſunt. Patrem habuit *filium Chuſi*, *filium Godoliæ*, *filium Amariæ*, *filium Ezechiæ*; quæ, genealogiæ in Scriptura ſeries, oſtendere videtur, ipſum claris natalibus ortum eſſe.

Jeremias, filius *Hilkiæ*, in Judæa & Ægypto Prophetæ munus obivit, ſub *Joſia*, *Jehojakim*, & *Zedekia* Regibus, usq; ad transmigrationem reliquiarum Judæ in Ægyptum, quo & ipſe deportatus eſt. Librum vaticiniorum ſatis amplum reliquit, 52. capita complectentem, ac, quod Hieronymus pronunciat, *quantum in verbis ſimplex videtur & facilis, tantum in majeſtate ſenſuum profundiſſimus eſt*. Idem, de morte Jeremiæ ſic ſcripſit: *Apud Thannas, in Ægypto, a populo lapidibus obrutus occubuit. Jacet vero in eo loco ſepultus, in quo dudum Pharao Rex habitaverat. Et quoniam poſtulatione ſua, defugatis eodem loco ſerpentibus, Ægyptios a tactu aſpidum fecit ſecuros eſſe, magna eum ibi religione Ægyptii venerantur.* Carmen quod *Threni* inſcribitur, Jeremias in obitum Joſiæ Regis, ex aliquorum ſententia, compoſuiſſe creditur.

Legitur de Jeremia, apud Epiphanium *in libello de vita & interitu Prophetarum*, ipſum, cum Templum ſubvertendum prænoſceret, arcam teſtamenti, cum iis, quæ in eadem erant, tuliſſe, & precibus abſorberi feciſſe in petram. Iſtam petram digito illum obſignaſſe, nomenque Dei impreſſiſſe, atque factum eſſe ſigillum in ſimilitudinem ſcripturæ, quæ ferro cavatur, eamque nubis operimento ita celari, ut ex

tunc nec locum quis cognoſcere queat, nec nomen legere usque in hunc diem, & usque in finem. Additur, eſſe petram illam in eremi terra, inter duos montes, inter quos jacent ſepulti Moyſes & Aaron; ac dixiſſe Jeremiam: *Dominus de Sion aſcendit ad cœlos, inde cum virtute reverſurus, & erit ſignum præſentiæ ejus, quando omnes gentes adoraverint lignum.* Dixiſſe item: *Arcam hanc nemo poterit producere præter Moſen electum Dei Prophetam, & tabulas quæ in ea ſunt, nullus aperiet Sacerdotum, nullusq; Prophetarum, niſi electus Dei Aaron; & in reſurrectionis die arca primum reſurget, & ex petra prodibit, poneturq; in monte Sina, & congregabuntur ad eam omnes Sancti, exſpectantes Dominum, & fugantes inimicum, qui perdere eos affectabat.* Continent iſta interpolationem eorum quæ leguntur 2. Machab. II. ſub initium.

Res Romanorvm.

Numam Pompilium excepit TVLLVS HOSTILIVS, cui in honorem virtutis regnum ultro datum. Hic non pacis, ut Numa, ſed belli amans, omnem militarem diſciplinam, artemque bellandi condidit. Itaque mirum in modum exercita juventute, *Albanos*, gravem, & diu principem populum, provocare auſus eſt. Sed, cum pari robore, frequentibus præliis utriq; comminuerentur, inter Albanos, quibus *Metius Suffetius* (aliis *Fufetius* dicitur) Dux præerat, & Romanos, qui Regis ſui auſpiciis pugnabant, convenit, ut, miſſo in compendium bello, terni ex utraq; acie congreſſi, de principatu alterius populi decernerent. Hinc ex parte Albanorum, tres *Curiatii*, & ex parte Romanorum totidem *Horatii*, utrinque tergemini fratres, quorum matres ſorores fuiſſe dicuntur,

ſelecti, quibus utriusque populi fata committerentur. In congreſſu ſtatim duo Horatii, ex parte Romanorum ceciderunt, Curiatii Albanorum vulnerati. Vnus Horatius, quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam ſimulavit, & ſingulos, per intervalla, ut vulnerum dolor patiebatur, inſequentes, interfecit. Spoliis onuſtus in urbem rediens, *Sororem* obviam habuit, quæ, viſo paludamento Sponſi ſui, qui unus ex Curiatiis erat, flere cœpit. Hunc ille tam immaturum Virginis luctum, ferro ultus eſt, eamque transfixit. Citavere leges nefas, ac, cum capitis ſupplicio vindicandum videretur, patre apud populum deprecante, ſervatus eſt, & facinus intra gloriam fuit. Sic diſceſſum quidem ab armis, verum ita, ut Albani indigne ferrent, res ſuas in deterius eſſe prolapſas. Quamobrem *Vejentibus* & *Fidenatibus* clam ad bellum Romanis inferendum incitatis, ipſi cum Romanis, ex fœdere quidem profecti ſunt, ſed dum prælium committitur, Suffetius aciem in collem ſubduxit, ut fortunam pugnantium experiretur, ac ſequeretur. Qua re Tullus intellecta, magna voce proclamat, ſuo illud juſſu Suffetium facere. Inde hoſtes territi victique ſunt. Poſtera die, cum Suffetius ad gratulandum Tullo veniſſet, juſſu ipſius inter duos currus religatus, pernicibus equis diſtractus eſt. *Alba* ipſa, quamvis parens, æmula tamen, diruta, cum prius omnes urbis opes, civesque univerſi, Romam, (Cœlio monte adjecto, & Curia Hoſtilia exſtructa ampliorem jam,) traducti: prorſus, ut conſanguinea civitas, non periiſſe, ſed in ſuum corpus rediiſſe rurſus videretur. Tullus victoriam perſequens, *Fidenatium* urbem cepit, & *Sabinos*, qui quosdam Romanorum ſpolia-

rant, quoſdam captivos abduxerant, poſtquam Saturno ferias voviſſet, (unde *Saturnaliorum* ſacra exorta ſunt) ter victos, in ordinem redegit. Poſt hæc, dum Numam Pompilium occultis ſacrificiis imitatur, quod Jovi Elicio ſacra non rite feciſſet, igne infauſto ictus, cum regia & tota familia conflagravit, anno regni 32.

CONTEMPORANEA ALIA.

Hac ætate vixit *Anacreon*, Poëta Lyricus laſcivus, autor generis Carminum dimetri catalectici, quod ab ipſo *Anacreonticum* vocatur, & cujus magna venuſtas eſt, etſi apud priſcos Latinos, nemo Claſſicorum Poëtarum, quantum conſtat, in eo ſe exercuit. Scripſit autem Anacreon *Jonica* dialecto. Clemens Alexandr. l. 1. Stromat. Amatoriorum carminum ipſum inventorem facit. Habuit autem in deliciis *Bathyllum* puerum. Periit, uvæ paſſæ acino ſtrangulatus.

NABVCHODONOSOR I.

Nabuchodonoſor I. ſucceſſit patri *Ben Merodach*, regnavitque annos 35. Geſſit bellum cum Rege Ægyptio *Necho*, ſucceſſore Pſammetichi, cui Rex Joſia temere, ac ideo infeliciter, prout narravimus, ſe immiſcuit.

CONTEMPORANEA.

Battus, Lacedæmone oriundus, Thera, quæ, juxta Cretam, Inſula eſt, profectus, in Africam venit, ibique *Cyrenas* urbem condidit. Ejus beneficii memores Afri, *Silphium* herbam illi ſacrarunt, cujus inter herbas prima gloria, quia ejus ſuccus, folia, fructus,

fructus, radix item, ad ſanitatem conferunt, unde & in Numorum una parte faciem Batti, ab altera Silphium expreſſere. Battus linguæ adeo impeditæ fuit, ut, ſecundum Suidam, ab eo vox βαττολογεῖν originem traxerit.

Cypſelus, filius Eccionis, Periandri pater, oppreſſis Bacchiadis, tyrannidem Corinthi invadit, & per 30. annos tenet.

Byzantium, Græci, Duce *Byzante*, Megarenſi, condiderunt, juſſi ab Oraculo ſedem quærere cæcorum terris adverſam; quod Chalcedonenſes priores illuc advecti, parum viſa locorum commoditate, pejora elegiſſent. Byzantium poſtea *Pauſanias*, Spartanorum Rex, colonis auxit.

MILLENARII IV.
SECVLVM IV.
NABVCHODONOSOR II. ſive MAGNVS.

NAbuchodonoſor Magnus in ſacris dicitur *Nebucadnezar*. Ejus armis, ceu ex Prophetarum monumentis, & Joſepho conſtat, ſuccubuerunt *Palæſtini*, *Ammonitæ*, *Moabitæ*, *Idumæi*, *Syri*, *Aſſyrii*, *Medi*, *Perſæ*, *Ægyptii*, & *Æthiopes*. Hinc Megaſthenes, Joſepho referente, teſtatus eſt, Nabuchodonoſorem, ſubjugata Aſia, Africa, & Iberia, Hercule majorem fuiſſe habitum. Ægyptiorum Regem *Pharaonem Necho* ingenti clade fregit; *Hieroſolymam* ingreſſus, *Danielem* inde puerum, aliisque expeditionibus iteratis, *Jojakimum*, & *Zedekiam*, Judæ Reges, *Ezechielem* Prophetam, atque multa millia Judæorum in Babyloniam abduxit; *Tyrum* diturna

cipuis Hieroſolymitanæ urbis incolis, quorum decem millia fuiſſe Sacer-Codex memorat, egenis & fæce plebis tantum relictis, Babylonem tranſtulit. Ab hac Jechoniæ, & nobiliſſimæ partis populi deportatione, accuratiores Chronologi, Joſephus Scaliger, Sethus Calviſius, Ludovicus Capellus, aliique, LXX. annorum Captivitatis Babylonicæ initium computandum eſſe arbitrantur.

Reliquiis Judæorum Nabuchodonoſor MATHANIAM, Jechoniæ patruum, Joſiæ filium, quem ZEDEKIAM vocavit, præpoſuit, eumque jusjurandum dare coëgit, de fide ſervanda, nihil in regno innovando, de miſſa facienda Ægyptiorum ſocietate, pendendis tributis, rebusq; aliis ejusmodi. Cæterum cum Zedekias 7. annis cliens Babyloniorum & vectigalis fuiſſet, ad libertatem adſpirare cœpit, hortantibus eum ad defectionem Prophetis quibusdam, ſolo *Jeremia* fruſtra obnitente. Quamobrem fidei & jurisjurandi immemor, a Babyloniis deficiens, fœdus cum Ægyptiis percuſſit. Quæ, cum Nabuchodonoſori innotuiſſent, maximis copiis celeriter contractis, Judæam intravit, Hieroſolymam triennium fere, per vices oppugnavit, tandemque anno 11. Zedekiæ, per *Nebuſaraddanem* Præfectum militiæ expugnavit, expugnatamq; una cum auguſtiſſimo templo, incendio abſumpſit. Elapſus ex urbe Zedekias, & nocturna fuga ſalutem ſibi quærens, a Chaldæis comprehenſus, & Riblatham, poſtea Antiochiam dictam, ubi Nabuchodonoſor morabatur, abductus, filios in conſpectu ſuo jugulari vidit, ipſe exoculatus, & porro Babylonem deportatus eſt, ubi vitam, medios inter hoſtes, miſeram exegit, ultimus Judæorum Regum, qui e Davidis familia imperarunt. Atque talem finem

nem habuit Regnum Judaicum, poſtquam per proſpera & ſæva, annos 389. duraverat. Everſa Vrbe, & Templo combuſto, Nabuchodonoſor captivam Hieroſolymitanorum turbam Babylonem abduxit, paucis, iisq; tenuioribus, agricolis puta, & vinitoribus, de induſtria in Judæa relictis, ſub cura *Gedaliæ*, quem Præfectum ſuper eos conſtituit. Et vero, potuiſſent hæ reliquiæ in Terra Sancta radices agere, atque in abductorum locum ſuccreſcere: at, novus turbo derepente exortus, eas quoq; diſſipavit. Gedaliam enim ſecurum, & nihil mali ſuſpicantem, *Iſmaël* quidam, regio ſanguine natus, proditorie aggreſſus, interemit. Quo caſu territi Hebræi cæteri, pavidique metu, ne ob Gedaliam occiſum, apud Babyloniæ Regem necis rei agerentur, & funditus exſtirparentur, in Ægyptum, deſerta Palæſtina, conceſſerunt, adſcito ſecum *Jeremia* Propheta, qui ibidem lapidibus obrutus, mortem luit. Sic Judæa penitus vaſtata ac deſolata relicta eſt.

Judæi, traditione, quæ ex Ezechielis XII. 12. 13. verbis, ipſorum opinione, robur accipit, tenent, *Zedekiam*, cum Hieroſolyma arctiſſima premeretur obſidione, atque jam de ſalute ejus conclamatum videretur, per cuniculum, quem, ab Vrbe, Hierichuntem usque ductum habebat, cum ſuis evadere voluiſſe. At, cœleſti providentia, Cervum, quem hoſtes forte conſectabantur, in eundem cuniculum ſe recepiſſe; dum ergo prædæ avidi hoſtes, Cervum in cuniculo perſequuntur, factum eſſe, ut Zedekias cum omni familia in illorum manus perveniret.

Ezechiel, filius Buzi, Propheta & Sacerdos, floruit. Is, cum Jojakim Rege Judæ captivus ductus eſt Babylonem, & migrationis quinto anno vaticinari

cinari cœpit. *Sermonem ejus nec ſatis diſertum eſſe, nec admodum ruſticum, ſed ex utroq; medie temperatum*, judicat Hieronymus in præfatione. Idem, ad Euſtochium ait, Ezechielis difficultatem Hebræorum probare traditionem. Nam, niſi quis apud eos ætatem Sacerdotalis miniſterii impleverit, hoc eſt annum triceſimum, nec principium Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec Ezechielis principium & finem ei legere permitti, ut ad perfectam ſcientiam, & myſticos intellectus, plenum naturæ humanæ tempus accedat. De morte Prophetæ ſic eſt apud Elmacinum in Hiſtoria Arabica: Ezechielem Prophetam occiderunt Judæi in captivitate, ſepultusque eſt in ſepulchro Sem, filii Noachi.

Daniel quoq; Propheta, abductus eſt Babylonem, in prima expeditione Nebucadnezaris, qua Jojakim extinctus eſt. Illum ex tribu Juda ortum habuiſſe, conſtat ex libri ejus c. I. v. 6. Regio, vel principali genere cretum fuiſſe, colligunt Eruditi ex ejusdem capitis v. 3. 7. ubi juſſus Aſpenaz Regi afferre de filiis Iſraël, de ſemine regni, & de principibus, mox inter alios Danielem attulit. Epiphanius, patrem ejus *Sabaan* appellat. Vixit in aula Nebucadnezaris, & Balthaſaris, Regum Babyloniorum, quin & Darii Medi, & Cyri Perſæ, atq; ad ſumma honorum faſtigia fuit evectus. Vniverſis 70. annis, quibus populus captivus erat, & vixit, & ſupervixit: neq; in patriam rediiſſe, ſed, ſive ob ſenium, ſive ut præſentia, & gratia, qua apud Regem pollebat, redeuntium popularium res promoveret, in Babylonia manſiſſe videtur. *Sapientiam Danielis*, ipſe Deus Principi Tyri, Ezech. XXVIII. 3. prædicat, ac Salvator noſter eum *Prophetam* Matth. XXIV. 15. diſerte appellat. Male igitur Judæi

dæi illum ex Prophetarum ordine extrudunt, rationem allegantes, tum quod non Prophetæ, ſed Satrapæ vitam egerit; tum quod Divini Spiritus propheticæ inſpirationes, extra terram Sanctam non concedantur. Quaſi vero Prophetam vitæ genus faciat, non afflatus divinus; ac Jeremias & Ezechiel non extra terram ſanctam, in Ægypto & Chaldæa, vaticinia ediderint. Magis vero deteſtandi ſunt, qui Danielis libri autoritatem data opera oppugnarunt, quod olim *Porphyrius* imprimis fecit, affirmare auſus, librum hunc non a Daniele, ſed ab alio, Antiochi Epiphanis tempore compoſitum eſſe; nec tam futura in eo dici, quam narrari præterita: quas ineptias Methodius, Euſebius, & Apollinaris ſedulo confutarunt. De reliquo, Stylus libri Danielis partim eſt Hebræus, partim Chaldæus: ac probe monet Hieronymus, ad exactam Danielis intelligentiam, neceſſariam eſſe Hiſtoricorum Latinorum, Græcorum, & Chaldæorum lectionem, in quibus complementum vaticiniorum ejus reperiatur.

Ad hæc circiter tempora, aut quæ mox ſecuta ſunt, refertur ab Hieronymo, & Veteribus aliis, *Hiſtoria Suſannæ*; &, duo illi ſenes, qui judicio Danielis, tum pueri, condemnati fuerunt, creduntur eſſe duo Pſeudoprophetæ, Jeremiæ XXIX. 21. ſeqq. memorati: ac, ne ſupplicii ratio diſcrepet, dicunt, eos juſſu Nebucadnezaris rogo impoſitos, & ſimul ab irato populo lapidibus petitos fuiſſe. Aliter tamen jam olim viſum non tantum Hebræis, Hieronymo teſte; ſed etiam Julio Africano, in Epiſtola ad Origenem ea de re data, cujus Euſebius l. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 32. meminit. Argumentum illi præcipuum, quod Danielis, totiusque Babylonicæ captivitatis,

quo

quo hæc, ſi revera geſta ſunt, accidiſſe oportet, tempore, Judæos neque Magiſtratus, neque Judicia ulla, nedum capitalia habuiſſe, credibile eſt; quibus tamen fundamentis tota iſta hiſtoria nititur.

RES ROMANORVM.

ANCVS MARCIVS, Numæ Pompilii, ex filia *Pompilia*, *Marcio* Pontifici nupta, nepos, Tullo Hoſtilio ſucceſſit, æquitate, & religione avo ſimilis. Latinos bello domuit; Aventinum & Janiculum urbi addidit, eamque novis mœnibus amplexus eſt. Inſuper Tiberim ponte ſtravit; Salinarum vectigal inſtituit; Carcerem primus ædificavit; Oſtiam Coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in oſtia Tiberis deduxit, & Jus Feciale, quo Legati ad res repetendas uterentur, ab Æquiculis petiit. Regnavit annis 24.

Ancus Marcius, duobus filiis relictis, TARQVINIVM, *Priſcum* deinde cognomento dictum, tutorem præfecerat. Sed ille, ablegatis venatum regiis pueris, populo interim perſuaſit, ut ſe Regem eligerent. Erat Tarquinius, *Demarati* Corinthii filius, qui *Cypſeli* tyrannidem fugiens, in Hetruriam commigraverat. Proprio nomine *Lucumo* dictus eſt, ac ſuaſu uxoris *Tanaquilis*, auguriorum peritæ, & fata proſpera pollicentis, Tarquiniis, ubi hactenus vixerat, & unde nomen accepit, relictis, Romam petiit. Advenienti, Aquila pileum ſuſtulit, &, cum alte ſubvolaſſet, repoſuit deinde, e quo Tanaquil regnum ei portendi intellexit. Cæterum, pecunia & induſtria, Tarquinius Romæ dignitatem, atque etiam Anci Regis familiaritatem conſecutus eſt, a quo, ceu dictum, liberis tutor datus, regnum intercepit. Adminiſtra-

miniſtravit tamen illud, quaſi jure adeptus fuiſſet. Quippe Senatum, 100. Patribus, qui, *Minorum Gentium* ſunt appellati, auxit; *Centuriis Equitum*, quas Romulus auſpicato conſcripſerat, alias adjicere cupiens, ab *Attio Navio* Augure prohibebatur. Offenſus Rex, interrogavit Attium, poſſetne fieri, quod mente concepiſſet? Poſſe fieri dicente Attio, juſſit novacula cotem diſcindi. Nec mora Attius allata cote, illam ſecuit. Porro, cum *Latinis*, *Hetruſcis* & *Sabinis*, Tarquinius diuturna bella geſſit; Filium 13. annorum, quod in prælio hoſtem percuſſiſſet, *prætexta* & *bulla* donavit, unde hæc ingenuorum puerorum inſignia eſſe cœperunt. Omnibus tandem hoſtibus domitis, primus *triumphans* Vrbem ingreſſus eſt, ac ex ſpoliis, ludos, & ſpectacula populo exhibuit. Circum Maximum, ludis annuis Circenſibus faciendis, ædificavit. *Hetruſci* viribus fracti, detulerunt illi tandem principatum: &, regia illorum decora atque inſignia, *Corona*, *Sella eburnea*, *Togæ pictæ*, *Tunicæ palmatæ*, *Sceptrum in ſummitate Aquilam habens*, Romam abſportata ſunt, quibus Romani Reges deinde uſi fuere. Tandem, ab Anci liberis, immiſſis duobus percuſſoribus, interfectus eſt. Ii enim ſpecie rixæ, ad Regem introducebantur, dumque intentus Rex ad alterum audiendum ſe totum avertit, alter elatam ſecurim capiti ejus impegit, cum annos 38. rebus præfuiſſet.

Lactantius lib. I. Divin. Inſtit. c. 6. ex Varrone refert, *Sibyllam Cumæam* IX. Oraculorum volumina Tarquinio Priſco (pro hoc tamen alii Tarquinium Superbum nominant) obtuliſſe, & pro iis poſtulaſſe Philippeos trecentos; quos, cum Rex, pretii magnitudine deterritus, ſolvere recuſaſſet, crematis tribus,

reliqua eam retuliſſe ad Regem, poſtulato eodem pretio; tum vero multo magis exiſtimaſſe Regem, inſanire mulierem. Hanc autem rurſus alia tria volumina dediſſe flammis, & nihilominus in pretio perſtitiſſe; tandem vero admiratione ductum Tarquinium, libros reſiduos, trecentis illis aureis ſibi retinuiſſe, & arcæ lapideæ incluſiſſe, qui in templo Jovis Capitolini aſſervati fuerint, ad Cornelium usque Syllam, quo tempore Capitolium ſimul cum iis conflagravit. Suetonius tamen vult, hos libros, usque ad Auguſtum manſiſſe incolumes.

Contemporanea alia.

Aſtyages, *Cyaxaris* filius, *Phraortæ* nepos, qui *Crœſi* Lydorum Regis ſororem *Aryenen* in matrimonio habebat, apud Medos & Perſas imperat. Is, per inſomnium vitem vidit, ex utero filiæ *Mandanes* enaſci, quæ palmitibus totam Aſiam obumbrabat. Vidit & altera vice per quietem, ab eadem Mandane, tantum lotii effluere, ut Aſiam inundaret. Conſulti Harioli, cum everſionem Regni Medorum oſtenta portendere ſignificaſſent, filiam, mediocri, ex imbelli tunc temporis Perſarum gente, viro, *Cambyſi*, in matrimonium dedit. Ac ne ſic quidem ſomnii metu depoſito, gravidam ad ſe filiam arceſſit, natumque ex ea puerum, *Harpagum*, arcanorum ſuorum participem, occidere jubet. Iſte veritus, ſi ad filiam mortuo Rege veniſſet imperium, quia nullum virilis ſexus Aſtyages genuerat, ne illa olim necati infantis ultionem a ſe exigeret, paſtori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tempore & ipſi paſtori filius natus erat. Ejus igitur uxor *Spacos*, audita regii infantis expoſitione, rogat ſibi afferri

afferri oſtendique puerum. Cujus precibus fatigatus maritus, reverſus in ſylvam, invenit juxta infantem canem fœminam, parvulo ubera præbentem, &, a feris alitibusque defendentem. Motus miſericordia, puerum defert ad ſtabulum, quem ubi mulier accepit, veluti ad notam puer arriſit. Rogat igitur paſtorem uxor, permitteret, ut ſuum partum pro illo exponat. Cui cum ille morem gereret, permutata ſorte parvulorum, regius nepos pro filio paſtoris, *Cyri* nomine ei indito, educatur, paſtorisque filius, pro nepote regio exponitur.

Cyrus, grandior factus, indolem regiam protinus exeruit. Rex enim inter ludentes ſorte delectus, in filium cujusdam Dynaſtæ, colluſorem, quod deliquiſſet, flagris graviter animadvertit. Illud pater ægre ferens, cauſam ad Regem detulit, quem, in jus vocatum, cum exceſſus, qui in ipſo elucebat, genius, animique ejus conſtantia non admitterent, ut pro paſtoris filio haberetur, Rex in memoriam ſomnium revocando, cum præterea & vultus ſimilitudo, & expoſitionis tempora, & paſtoris confeſſio convenirent, pro nepote illum agnovit. Quoniam vero Magi, agitato inter paſtores regno, jam *ſomnii* ſignificationem adimpletam augurabantur, cum porro amavit Aſtyages, &, in Perſiam, ad patrem Cambyſen, accuratius educandum dimiſit. Cæterum *Harpago infeſtus*, in ultionem ſervati nepotis, filium ejus interfecit, epulandumque patri appoſuit. Is, cum ſuaviter comediſſet, productis capitis & manuum reliquiis, vidit quid voraſſet. Sed ille, ad præſens diſſimulato dolore, vindictam in commodiorem occaſionem diſtulit, atque Cyrum, interjecto tempore adultum animadvertens, literas, lepori ex-

rant, quoſdam captivos abduxerant, poſtquam Saturno ferias voviſſet, (unde *Saturnaliorum* ſacra exorta ſunt) ter victos, in ordinem redegit. Poſt hæc, dum Numam Pompilium occultis ſacrificiis imitatur, quod Jovi Elicio ſacra non rite feciſſet, igne infauſto ictus, cum regia & tota familia conflagravit, anno regni 32.

Contemporanea alia.

Hac ætate vixit *Anacreon*, Poëta Lyricus laſcivus, autor generis Carminum dimetri catalectici, quod ab ipſo *Anacreonticum* vocatur, & cujus magna venuſtas eſt, etſi apud priſcos Latinos, nemo Claſſicorum Poëtarum, quantum conſtat, in eo ſe exercuit. Scripſit autem Anacreon *Jonica* dialecto. Clemens Alexandr. l. 1. Stromat. Amatoriorum carminum ipſum inventorem facit. Habuit autem in deliciis *Bathyllum* puerum. Periit, uvæ paſſæ acino ſtrangulatus.

NABVCHODONOSOR I.

Nabuchodonoſor I. ſucceſſit patri *Ben Merodach*, regnavitque annos 35. Geſſit bellum cum Rege Ægyptio *Necho*, ſucceſſore Pſammetichi, cui Rex Joſia temere, ac ideo infeliciter, prout narravimus, ſe immiſcuit.

Contemporanea.

Battus, Lacedæmone oriundus, Thera, quæ, juxta Cretam, Inſula eſt, profectus, in Africam venit, ibique *Cyrenas* urbem condidit. Ejus beneficii memores Afri, *Silphium* herbam illi ſacrarunt, cujus inter herbas prima gloria, quia ejus ſuccus, folia, fructus,

fructus, radix item, ad ſanitatem conferunt, unde & in Numorum una parte faciem Batti, ab altera Silphium expreſſere. Battus linguæ adeo impeditæ fuit, ut, ſecundum Suidam, ab eo vox *βαττολογεῖν* originem traxerit.

Cypſelus, filius Eccionis, Periandri pater, oppreſſis Bacchiadis, tyrannidem Corinthi invadit, & per 30. annos tenet.

Byzantium, Græci, Duce *Byzante*, Megarenſi, condiderunt, juſſi ab Oraculo ſedem quærere cæcorum terris adverſam; quod Chalcedonenſes priores illuc advecti, parum viſa locorum commoditate, pejora elegiſſent. Byzantium poſtea *Pauſanias*, Spartanorum Rex, colonis auxit.

MILLENARII IV.

SECVLVM IV.

NABVCHODONOSOR II. ſive MAGNVS.

NAbuchodonoſor Magnus in ſacris dicitur *Nebucadnezar*. Ejus armis, ceu ex Prophetarum monumentis, & Joſepho conſtat, ſuccubuerunt *Palæſtini*, *Ammonitæ*, *Moabitæ*, *Idumæi*, *Syri*, *Aſſyrii*, *Medi*, *Perſæ*, *Ægyptii*, & *Æthiopes*. Hinc Megaſthenes, Joſepho referente, teſtatus eſt, Nabuchodonoſorem, ſubjugata Aſia, Africa, & Iberia, Hercule majorem fuiſſe habitum. Ægyptiorum Regem *Pharaonem Necho* ingenti clade fregit; *Hieroſolymam* ingreſſus, *Danielem* inde puerum, aliisque expeditionibus iteratis, *Jojakimum*, & *Zedekiam*, Judæ Reges, *Ezechielem* Prophetam, atque multa millia Judæorum in Babyloniam abduxit; *Tyrum* diturna

obſidione fatigavit; *Babylonem*, nova urbe, ad alteram Euphratis partem adjuncta, ampliavit, & triplici muro munitiſſimam reddidit. Rebus proſpere geſtis elatus, *aureum Coloſſum* erigi, eumque adorari juſſit, tribus juvenibus, *Sadrach*, *Meſach*, & *Abednego*, ſociis Danielis, qui id facere conſtantiſſime renuebant, in fornacem ardentem conjectis, ſed quos divina benignitas illæſos præſtitit. *Somniis myſticis*, de *magna Statua*, cujus caput aureum, pectus & brachia argentea, venter ac lumbi ænei, pedes ferrei ſimul & teſtacei, in quam incurrens lapis totam comminuebat; & de *patula arbore*, ſub cujus umbra animantia terræ quietem captabant, quæq; divinitus exſcindi jubebatur, territus, utriusque explicationem a Daniele accepit. Tandem regno ob inſaniam pulſus, *cum feris ſeptem annis in deſerto egit*. Iis exactis, bonæ menti redditus, annum ſupervixit, quem adeo bene in Danielis converſatione, Auguſtino, Hieronymo, aliisque Patribus collocaſſe videtur, ut de ejus ſalute non dubitarint. Regnavit annis 44.

Si Judæorum traditioni credimus, ad ſervandos in fornace ardente tres Hebræos juvenes, miſſus a Deo eſt *Gabriel* Angelus, frigoris, nivis, ac glaciei præfecturam gerens. Is, vi ſua, fornacem refrigeravit, ac prohibuit, ne flammæ ignis in illam penetrarent, ſed ut foris tantum urerent. Extat & alia traditio, qua aſſerunt, Nebucadnezarem morbo liberatum, deinde in animantes omnes imperium exercuiſſe, ita ut Leoni inſidens circumveheretur, dracone fulminei rictus, pro galea utens.

RES

RES JVDÆORVM.

JOACHAS, Joſiæ filius, populi favore ad regale faſtigium aſcendit, quo tamen per trimeſtre tantum gaviſus eſt. Nam, cum *Pharao Necho*, confecto, cujus cauſa venerat, in Aſſyria bello, per Palæſtinam regrederetur, Joachas ob eodem captus, in vincula conjectus, & in Ægyptum deportatus eſt.

Capto & exautorato Joachas, fratrem ejus ELIAKIM, Pharao Necho Regem ſubſtituit, cui etiam JOJAKIM nomen fecit. Fuit vero hic Jojakim, homo impius ac crudelis, & Prophetarum perſecutor. *Vriam* enim Prophetam quendam, qui excidium Vrbis Hieroſolymæ prædixerat, ex Ægypto, quo confugerat, reductum, gladio percuſſit, ejusque cadaver abjici juſſit, *Jeremias*, interventu Procerum & Aulicorum vix ſervatus eſt. Cum vero Regi Ægyptio, a quo regnum precario Jojakim habebat, ingens tributum exſolvere teneretur; ſubditos miſere exactionibus vexavit. Cæterum, quia Pharaoni Jojakim amicus erat, *Nabuchodonoſor* Babyloniæ Rex illum adortus, cepit, & catenis vinctum Babylonem deduxit. Inde tamen regno reſtitutus eſt, cum certum quotannis tributum pendendum recepiſſet. Quia vero poſt triennium, ſe Ægyptiis iterum adverſus Babylonios pugnantibus junxerat, denuo a Nabuchodonoſore captus, interfectus, & inſepultus abjectus eſt.

In occiſi patris Jojakim locum, Nabuchodonoſor ejus filium JECHONIAM ſurrogavit, cui tamen poſt tres menſes, ſive facti pœnitens, ſive defectionem metuens, regnum iterum ademit, ipſumque una cum theſauris, Magnatibus item, aliisque præcipuis

cipuis Hieroſolymitanæ urbis incolis, quorum decem millia fuiſſe Sacer-Codex memorat, egenis & fæce plebis tantum relictis, Babylonem tranſtulit. Ab hac Jechoniæ, & nobiliſſimæ partis populi deportatione, accuratiores Chronologi, Joſephus Scaliger, Sethus Calviſius, Ludovicus Capellus, aliique, LXX. annorum Captivitatis Babylonicæ initium computandum eſſe arbitrantur.

Reliquiis Judæorum Nabuchodonoſor MATHANIAM, Jechoniæ patruum; Joſiæ filium, quem ZEDEKIAM vocavit, præpoſuit, eumque jusjurandum dare coëgit, de fide ſervanda, nihil in regno innovando, de miſſa facienda Ægyptiorum ſocietate, pendendis tributis, rebusq; aliis ejusmodi. Cæterum cum Zedekias 7. annis cliens Babyloniorum & vectigalis fuiſſet, ad libertatem adſpirare cœpit, hortantibus eum ad defectionem Prophetis quibusdam, ſolo *Jeremia* fruſtra obnitente. Quamobrem fidei & jurisjurandi immemor, a Babyloniis deficiens, fœdus cum Ægyptiis percuſſit. Quæ, cum Nabuchodonoſori innotuiſſent, maximis copiis celeriter contractis, Judæam intravit, Hieroſolymam triennium fere, per vices oppugnavit, tandemque anno 11. Zedekiæ, per *Nebuſaraddanem* Præfectum militiæ expugnavit, expugnatamq; una cum auguſtiſſimo templo, incendio abſumpſit. Elapſus ex urbe Zedekias, & nocturna fuga ſalutem ſibi quærens, a Chaldæis comprehenſus, & Riblatham, poſtea Antiochiam dictam, ubi Nabuchodonoſor morabatur, abductus, filios in conſpectu ſuo jugulari vidit, ipſe exoculatus, & porro Babylonem deportatus eſt, ubi vitam, medios inter hoſtes, miſeram exegit, ultimus Judæorum Regum, qui e Davidis familia imperarunt. Atque talem finem

nem habuit Regnum Judaicum, poſtquam per proſpera & ſæva, annos 389. duraverat. Everſa Vrbe, & Templo combuſto, Nabuchodonoſor captivam Hieroſolymitanorum turbam Babylonem abduxit, paucis, iisq; tenuioribus, agricolis puta, & vinitoribus, de induſtria in Judæa relictis, ſub cura *Gedaliæ*, quem Præfectum ſuper eos conſtituit. Et vero, potuiſſent hæ reliquiæ in Terra Sancta radices agere, atque in abductorum locum ſuccreſcere: at, novus turbo derepente exortus, eas quoq; diſſipavit. Gedaliam enim ſecurum, & nihil mali ſuſpicantem, *Iſmaël* quidam, regio ſanguine natus, proditorie aggreſſus, interemit. Quo caſu territi Hebræi cæteri, pavidique metu, ne ob Gedaliam occiſum, apud Babyloniæ Regem necis rei agerentur, & funditus exſtirparentur, in Ægyptum, deſerta Palæſtina, conceſſerunt, adſcito ſecum *Jeremia* Propheta, qui ibidem lapidibus obrutus, mortem luit. Sic Judæa penitus vaſtata ac deſolata relicta eſt.

Judæi, traditione, quæ ex Ezechielis XII. 12. 13. verbis, ipſorum opinione, robur accipit, tenent, *Zedekiam*, cum Hieroſolyma arctiſſima premeretur obſidione, atque jam de ſalute ejus conclamatum videretur, per cuniculum, quem, ab Vrbe, Hierichuntem usque ductum habebat, cum ſuis evadere voluiſſe. At, cœleſti providentia, Cervum, quem hoſtes forte conſectabantur, in eundem cuniculum ſe recepiſſe; dum ergo prædæ avidi hoſtes, Cervum in cuniculo perſequuntur, factum eſſe, ut Zedekias cum omni familia in illorum manus perveniret.

Ezechiel, filius Buzi, Propheta & Sacerdos, floruit. Is, cum Jojakim Rege Judæ captivus ductus eſt Babylonem, & migrationis quinto anno vaticinari

cinari cœpit. *Sermonem ejus nec ſatis diſertum eſſe, nec admodum ruſticum, ſed ex utroq; medie temperatum*, judicat Hieronymus in præfatione. Idem, ad Euſtochium ait, Ezechielis difficultatem Hebræorum probare traditionem. Nam, niſi quis apud eos ætatem Sacerdotalis miniſterii impleverit, hoc eſt annum triceſimum, nec principium Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec Ezechielis principium & finem ei legere permitti, ut ad perfectam ſcientiam, & myſticos intellectus, plenum naturæ humanæ tempus accedat. De morte Prophetæ ſic eſt apud Elmacinum in Hiſtoria Arabica: Ezechielem Prophetam occiderunt Judæi in captivitate, ſepultusque eſt in ſepulchro Sem, filii Noachi.

Daniel quoq; Propheta, abductus eſt Babylonem, in prima expeditione Nebucadnezaris, qua Jojakim extinctus eſt. Illum ex tribu Juda ortum habuiſſe, conſtat ex libri ejus c. I. v. 6. Regio, vel principali genere cretum fuiſſe, colligunt Eruditi ex ejusdem capitis v. 3.-7. ubi juſſus Aſpenaz Regi afferre de filiis Iſraël, de ſemine regni, & de principibus, mox inter alios Danielem attulit. Epiphanius, patrem ejus *Sabaan* appellat. Vixit in aula Nebucadnezaris, & Balthaſaris, Regum Babyloniorum, quin & Darii Medi, & Cyri Perſæ, atq; ad ſumma honorum faſtigia fuit evectus. Vniverſis 70. annis, quibus populus captivus erat, & vixit, & ſupervixit: neq; in patriam rediiſſe, ſed, ſive ob ſenium, ſive ut præſentia, & gratia, qua apud Regem pollebat, redeuntium popularium res promoveret, in Babylonia manſiſſe videtur. *Sapientiam Danielis*, ipſe Deus Principi Tyri, Ezech. XXVIII. 3. prædicat, ac Salvator noſter eum *Prophetam* Matth. XXIV. 15. diſerte appellat. Male igitur Judæi

dæi illum ex Prophetarum ordine extrudunt, rationem allegantes, tum quod non Prophetæ, ſed Satrapæ vitam egerit; tum quod Divini Spiritus propheticæ inſpirationes, extra terram Sanctam non concedantur. Quaſi vero Prophetam vitæ genus faciat, non afflatus divinus; ac Jeremias & Ezechiel non extra terram ſanctam, in Ægypto & Chaldæa, vaticinia ediderint. Magis vero deteſtandi ſunt, qui Danielis libri autoritatem data opera oppugnarunt, quod olim *Porphyrius* imprimis fecit, affirmare auſus, librum hunc non a Daniele, ſed ab alio, Antiochi Epiphanis tempore compoſitum eſſe; nec tam futura in eo dici, quam narrari præterita: quas ineptias Methodius, Euſebius, & Apollinaris ſedulo confutarunt. De reliquo, Stylus libri Danielis partim eſt Hebræus, partim Chaldæus: ac probe monet Hieronymus, ad exactam Danielis intelligentiam, neceſſariam eſſe Hiſtoricorum Latinorum, Græcorum, & Chaldæorum lectionem, in quibus complementum vaticiniorum ejus reperiatur.

Ad hæc circiter tempora, aut quæ mox ſecuta ſunt, refertur ab Hieronymo, & Veteribus aliis, *Hiſtoria Suſannæ;* &, duo illi ſenes, qui judicio Danielis, tum pueri, condemnati fuerunt, creduntur eſſe duo Pſeudoprophetæ, Jeremiæ XXIX. 21. ſeqq. memorati: ac, ne ſupplicii ratio diſcrepet, dicunt, eos juſſu Nebucadnezaris rogo impoſitos, & ſimul ab irato populo lapidibus petitos fuiſſe. Aliter tamen jam olim viſum non tantum Hebræis, Hieronymo teſte; ſed etiam Julio Africano, in Epiſtola ad Origenem ea de re data, cujus Euſebius l. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 32. meminit. Argumentum illi præcipuum, quod Danielis, totiusque Babylonicæ captivitatis,

quo

quo hæc, ſi revera geſta ſunt, accidiſſe oportet, tempore, Judæos neque Magiſtratus, neque Judicia ulla, nedum capitalia habuiſſe, credibile eſt; quibus tamen fundamentis tota iſta hiſtoria nititur.

Res Romanorvm.

ANCVS MARCIVS, Numæ Pompilii, ex filia *Pompilia*, *Marcio* Pontifici nupta, nepos, Tullo Hoſtilio ſucceſſit, æquitate, & religione avo ſimilis. Latinos bello domuit; Aventinum & Janiculum urbi addidit, eamque novis mœnibus amplexus eſt. Inſuper Tiberim ponte ſtravit; Salinarum vectigal inſtituit; Carcerem primus ædificavit; Oſtiam Coloniam, maritinis commeatibus opportunam, in oſtia Tiberis deduxit, & Jus Feciale, quo Legati ad res repetendas uterentur, ab Æquiculis petiit. Regnavit annis 24.

Ancus Marcius, duobus filiis relictis, TARQVINIVM, *Priſcum* deinde cognomento dictum, tutorem præfecerat. Sed ille, ablegatis venatum regiis pueris, populo interim perſuaſit, ut ſe Regem eligerent. Erat Tarquinius, *Demarati* Corinthii filius, qui *Cypſeli* tyrannidem fugiens, in Hetruriam commigraverat. Proprio nomine *Lucumo* dictus eſt, ac ſuaſu uxoris *Tanaquilis*, auguriorum peritæ, & fata proſpera pollicentis, Tarquiniis, ubi hactenus vixerat, & unde nomen accepit, relictis, Romam petiit. Advenienti, Aquila pileum ſuſtulit, &, cum alte ſubvolaſſet, repoſuit deinde, e quo Tanaquil regnum ei portendi intellexit. Cæterum, pecunia & induſtria, Tarquinius Romæ dignitatem, atque etiam Anci Regis familiaritatem conſecutus eſt, a quo, ceu dictum, liberis tutor datus, regnum intercepit. Adminiſtra-

miniſtravit tamen illud, quaſi jure adeptus fuiſſet. Quippe Senatum, 100. Patribus, qui, *Minorum Gentium* ſunt appellati, auxit; *Centuriis Equitum*, quas Romulus auſpicato conſcripſerat, alias adjicere cupiens, ab *Attio Navio* Augure prohibebatur. Offenſus Rex, interrogavit Attium, poſſetne fieri, quod mente concepiſſet? Poſſe fieri dicente Attio, juſſit novacula cotem diſcindi. Nec mora Attius allata cote, illam ſecuit. Porro, cum *Latinis*, *Hetruſcis* & *Sabinis*, Tarquinius diuturna bella geſſit; Filium 13. annorum, quod in prælio hoſtem percuſſiſſet, *prætexta* & *bulla* donavit, unde hæc ingenuorum puerorum inſignia eſſe cœperunt. Omnibus tandem hoſtibus domitis, primus *triumphans* Vrbem ingreſſus eſt, ac ex ſpoliis, ludos, & ſpectacula populo exhibuit. Circum Maximum, ludis annuis Circenſibus faciendis, ædificavit. *Hetruſci* viribus fracti, detulerunt illi tandem principatum: &, regia illorum decora atque inſignia, *Corona*, *Sella eburnea*, *Togæ pictæ*, *Tunicæ palmatæ*, *Sceptrum in ſummitate Aquilam habens*, Romam abſportata ſunt, quibus Romani Reges deinde uſi fuere. Tandem, ab Anci liberis, immiſſis duobus percuſſoribus, interfectus eſt. Ii enim ſpecie rixæ, ad Regem introducebantur, dumque intentus Rex ad alterum audiendum ſe totum avertit, alter elatam ſecurim capiti ejus impegit, cum annos 38. rebus præfuiſſet.

Lactantius lib. I. Divin. Inſtit. c. 6. ex Varrone refert, *Sibyllam Cumæam* IX. Oraculorum volumina Tarquinio Priſco (pro hoc tamen alii Tarquinium Superbum nominant) obtuliſſe, & pro iis poſtulaſſe Philippeos trecentos; quos, cum Rex, pretii magnitudine deterritus, ſolvere recuſaſſet, crematis tribus,

reliqua eam retuliſſe ad Regem, poſtulato eodem pretio; tum vero multo magis exiſtimaſſe Regem, inſanire mulierem. Hanc autem rurſus alia tria volumina dediſſe flammis, & nihilominus in pretio perſtitiſſe; tandem vero admiratione ductum Tarquinium, libros reſiduos, trecentis illis aureis ſibi retinuiſſe, & arcæ lapideæ incluſiſſe, qui in templo Jovis Capitolini aſſervati fuerint, ad Cornelium usque Syllam, quo tempore Capitolium ſimul cum iis conflagravit. Suetonius tamen vult, hos libros, usque ad Auguſtum manſiſſe incolumes.

CONTEMPORANEA ALIA.

Aſtyages, *Cyaxaris* filius, *Phraortæ* nepos, qui *Crœſi* Lydorum Regis ſororem *Aryenen* in matrimonio habebat, apud Medos & Perſas imperat. Is, per inſomnium vitem vidit, ex utero filiæ *Mandanes* enaſci, quæ palmitibus totam Aſiam obumbrabat. Vidit & altera vice per quietem, ab eadem Mandane, tantum lotii effluere, ut Aſiam inundaret. Conſulti Harioli, cum everſionem Regni Medorum oſtenta portendere ſignificaſſent, filiam, mediocri, ex imbelli tunc temporis Perſarum gente, viro, *Cambyſi*, in matrimonium dedit. Ac ne ſic quidem ſomnii metu depoſito, gravidam ad ſe filiam arceſſit, natumque ex ea puerum, *Harpagum*, arcanorum ſuorum participem, occidere jubet. Iſte veritus, ſi ad filiam mortuo Rege veniſſet imperium, quia nullum virilis ſexus Aſtyages genuerat, ne illa olim necati infantis ultionem a ſe exigeret, paſtori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tempore & ipſi paſtori filius natus erat. Ejus igitur uxor *Spacos*, audita regii infantis expoſitione, rogat ſibi afferri

afferri oſtendique puerum. Cujus precibus fatigatus maritus, reverſus in ſylvam, invenit juxta infantem canem fœminam, parvulo ubera præbentem, &, a feris alitibusque defendentem. Motus miſericordia, puerum defert ad ſtabulum, quem ubi mulier accepit, veluti ad notam puer arriſit. Rogat igitur paſtorem uxor, permitteret, ut ſuum partum pro illo exponat. Cui cum ille morem gereret, permutata ſorte parvulorum, regius nepos pro filio paſtoris, *Cyri* nomine ei indito, educatur, paſtorisque filius, pro nepote regio exponitur.

Cyrus, grandior factus, indolem regiam protinus exeruit. Rex enim inter ludentes ſorte delectus, in filium cujusdam Dynaſtæ, colluſorem, quod deliquiſſet, flagris graviter animadvertit. Illud pater ægre ferens, cauſam ad Regem detulit, quem, in jus vocatum, cum exceſſus, qui in ipſo elucebat, genius, animique ejus conſtantia non admitterent, ut pro paſtoris filio haberetur, Rex in memoriam ſomnium revocando, cum præterea & vultus ſimilitudo, & expoſitionis tempora, & paſtoris confeſſio convenirent, pro nepote illum agnovit. Quoniam vero Magi, agitato inter paſtores regno, jam *ſomnii* ſignificationem adimpletam augurabantur; cum porro amavit Aſtyages, &, in Perſiam, ad patrem Cambyſen, accuratius educandum dimiſit. Cæterum *Harpago infeſtus*, in ultionem ſervati nepotis, filium ejus interfecit, epulandumque patri appoſuit. Is, cum ſuaviter comediſſet, productis capitis & manuum reliquiis, vidit quid voraſſet. Sed ille, ad præſens diſſimulato dolore, vindictam in commodiorem occaſionem diſtulit, atque Cyrum, interjecto tempore adultum animadvertens, literas, lepori ex-

enterato inſertas, ei transmiſit, ipſumque, ut Avo tyranno bellum inferret, permovit. Cyrus, deſtinata exequi volens, per ſomnium monitus, ut aſſumeret ſocium qui primus mane occurriſſet, *Sybarem* Perſam, (cui tandem & ſororem conjugem dedit, &, in Babylonios moturus, præfecturam Perſidis commiſit) ex carcere in vinculis prodeuntem, ſecum duxit; & Avi voluntatem prætendens, omnes Perſas cum ſecuribus adeſſe, ſylvamque exſcindere, poſtero autem die apparatis epulis accumbere, & laute vivere juſſit. Cum alacriores convivio factos videret, quærit, ſi conditio proponatur, utrius vitæ ſortem legant, num heſterni laboris, an præſentium epularum? cumque omnes hanc diem, heſterna eſſe meliorem acclamarent; heſterno ſimilem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant, ſe ſecutos, hodiernis epulis, aſſeveravit. Lætis omnibus, Medis bellum infert. Aſtyages, injuriæ Harpago illatæ, oblitus, ſummam belli eidem committit: qui exercitum acceptum, ſtatim Cyro per deditionem tradidit. Quo audito, ipſe *Aſtyages in Perſas copias educit*, &, cum in acie ſuos videret fugere, a tergo eos in prælium compulit, ut jam victor ſibi videretur. Perſarum tamen mulieres, cum obſcœnis corporis oſtenſis, viros fugituros interrogarent, num in matrum vel uxorum uteros fugam capeſſere vellent? animis exercitui additis, Cyro victoriam peperere. Ipſe Aſtyages captus eſt, cui Cyrus nihil aliud quam regnum abſtulit; nepotemque in illo magis, quam victorem egit, eum maximæ genti Hyrcanorum præficiens. Hic finis Medorum imperii fuit, quod annos 350. duravit.

Perian-

Periander, apud Corinthios, *Cypſelo* patri in regno ſuccedit. Fuit unus e VII. Græciæ Sapientibus. Fertur *Iſthmum* perfodere voluiſſe, & uxorem adeo dilexiſſe, ut etiam propter mortuæ cadaver dormiverit.

Arion, citharœdus, charus fuit *Periandro*, cujus venia in Italiam profectus, grandem pecuniam arte ſua promeruit. Cumque iterum *Lesbon* peteret, videretque, ſibi opum, quas ſecum vehebat, cauſa, inſidias a ſociis ſtrui, petiit, ut fidibus, priusquam moreretur, canere ſibi permitterent. Id, cum impetraſſet, ſumta cithara, modulans, e navi in mare ſe conjecit; ſed a *Delphino*, cantu ejus allecto, dorſo exceptus, *Tænarum*, quod Peloponneſi maxime Auſtrale oppidum eſt, antequam nautæ illuc appuliſſent, vectus, omnem rem Periandro enarravit.

Gallorum Rex *Ambigatus*, cum videret regnum abundare viris & armis, filios ſuos binos *Sigoveſum* ac *Belloveſum*, jubet exercitum conſcribere, & novas ſedes ad habitandum quærere. Ac *Sigoveſus* quidem, ſuas copias duxit verſus Septentrionem, ad Hercyniam ſylvam; *Belloveſus* vero Alpes tranſcendit, fuſisque acie Thuſcis, haud procul Ticino flumine, Inſubrium agros nactus, *Mediolanum* condidit. Secuti *Boji*, *Lingones*, *Senonesq;*, qui, Pado ratibus trajecto, Vmbros pellunt, intra Apenninum tamen ſe continent.

Phocenſes, in Galliam fugientes, *Maſſiliam* condunt.

Phalaris, Agrigenti tyrannidem exercet. Is, præter alia novorum ſuppliciorum inſtrumenta, *Taurum æneum* habuit, *Perilli* cujusdam arte fabricatum; in quem immiſſi miſeri, igne ſubjecto, bovis mugitum

edebant. Cujus muneris nomine, cum artifex non leve præmium ſperaret, juſſu tyranni in taurum conjectus, primus inventi ſpecimen dedit. Ipſe quoque Phalaris, cum nimia ejus ſævities ultra ferri non poſſet, civium impetu correptus, eidem tauro incluſus, ac vivus crematus fuit.

Piſiſtratus, Hippocratis filius, vir clarus genere, & eloquentiæ ſingularis, Athenienſes tyrannide premit. Is, in *Salamina* Inſula occupanda, re fortiter feliciterque geſta, majora agitare cœpit. Vulneribus igitur, ſibi ſua manu inflictis, fingens, ſibi inſidias ſtrui, corporis cuſtodes permitti petiit, ac obtinuit. Horum ope, *Acropoli*, arce Athenarum, potitus eſt. Inde poſtea pulſus, per *Phyam*, Atticam mulierem, proceram & formoſam, Minervæ habitu indutam, eam recuperavit. Secundo pulſus, in exilio annos 11. exegit. Sed tertia vice reſtitutus, poteſtatem porro quietam tenuit annis 18. eamque ad *Hippiam* & *Hipparchum* filios transmiſit. *Bibliothecam* primus Athenis publicavit, quam Xerxes, urbe potitus, ad Perſas tranſtulit.

Draco, Athenienſibus ſeveriſſimas pœnas dictat, etiam in eos, qui deſidiæ damnati eſſent, aut olera ſurripuiſſent, capitis pœna ſtatuta. Ob hanc cauſam, merito *Demades* dicere ſolebat, *Draconem, non atramento, ſed ſanguine leges ſcripſiſſe.* Et Herodicus, non ab homine, verum a dracone leges illas profectas ajebat. Cæterum Draco, cum in *Æginæ* theatro, propter latas leges, lætis aclamationibus celebraretur, pluribus petaſis, tunicis & veſtibus, lætitiæ ſignis, in caput ſenis injectis, ſuffocatus interiit, &, in ipſo theatro ſepultus eſt.

Haud

Haud multo poſt, Draconis leges, tanquam nimium crudeles, abrogavit *Solon*, (qui, ut Cicero epiſt. ad Brutum ait, *ſapiens unus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem*:) alias enim mitiores ſubſtituit. Piſiſtrati tyrannidem fugiens, in Ægyptum profectionem ſuſcepit; inde, in Lydiam, ad *Crœſum* ſe contulit, qui, cum opes ſuas ei oſtentaret, rogaretque, num quem ſeſe feliciorem judicaret? reſpondit, *Tellum* quendam Athenienſem, pauperem admodum, ſed bonum juſtumque virum; qui cum filiis pro patria fortiter pugnans interierat. Tum Crœſus, ubi ſe opinione fruſtratum eſſe cognovit, quod primum felicitatis locum non obtineret, rurſus quæſivit ex eo: Quis poſt Tellum ſe beatior? *Cleobin* & *Bitonem* Solon eſſe dixit, qui, cum gravi peſtilentia omnia ferme jumenta periiſſent, & eorum mater ad ſacra facienda curru vehenda foret, quia pedibus ire omninó religione prohibebatur, matris pietate pariter & ſacrorum veneratione moti, collum ſubjecerint jugo, & matrem ad templum cervice traxerint. Quæ deinde, peractis ſacrificiis, Junonem oraverit, ut filiis daret, quod optimum judicaſſet, & ita ſequenti die mortuos in cubiculo inventos eſſe. Ex quo judicatum ſit, mortem optimum eſſe omnium. Tum Crœſus indignabundus, nonne beatus tibi, inquit, videor? Cui reſpondit Solon: Imo felicem te judico, ſed beatus ante ſupremum vitæ diem nemo eſt dicendus.

Thales, & ipſe unus e VII. Sapientibus, patria *Mileſius*, Autor *Sectæ* fuit *Jonicæ*. Phyſicæ & Aſtrologiæ ſecreta primus indagavit, atque ſic annum in dies 365. diſpeſcuit, & Eclipſin Solis, illam nimirum quæ A. 3379. contigit, prædixit. Exceſſit e vita, Gy-

mnici certaminis ſpectator, æſtu ac ſiti extinctus. Docuit, Aquam rerum omnium principium eſſe; Mundum animam habere; Deum, principio ac fine carere, & cogitata hominum inſpicere; animas hominum non interire; ſpiritibus omnia plena eſſe.

Bias. Ei *Priene*, Joniæ, in Aſia minore, urbs, patria fuit, locumque inter VII. Sapientes invenit. Hujus, æterna celebrandum laude factum, a Diodoro proditur in Excer. Vales. Cum enim Meſſeniæ nobiles virgines, a prædonibus captæ eſſent, eas ille, ſuapte pecunia redemtas, domi aluit, & filiarum habuit loco. Quas, cum deinde propinqui aliquanto poſt repeterent, ipſas, nullo neque redemtionis, neque alimentorum accepto pretio, illis reddidit. Ejus ſingularis beneficii memores puellæ, ubi domum reverterunt, cum ſub id tempus Meſſenii piſcatores æneum tripodem ex undis extraxiſſent, cui, *Sapientiſſimo*, inſcriptum erat, apud ſuos effecerunt, ut ille Bianti, tanquam omnium digniſſimo mitteretur.

Septem Græciæ Sapientes vulgo ſic enumerantur:

Cleobulus Lydius.	*Chilon Lacedæmonius.*
Periander Corinthius.	*Pittacus Mitylenæus.*
Bias Prienæus.	*Solon Athenienſis.*

Thales Mileſius.

Pro Mnemonico valeat:

CLEOBVLVS CHIL*iarchus*, PER*petuo* VITA*m* PIA*m in* SOL*itudine* DAL*matiæ agebat.*

De his Sapientibus, ſic lepide & laute judicat Lactantibus l. 4. Divinar. Inſt. c. 1. *O miſerum, calamitoſumq; ſeculum, quo, per Orbem totum, ſeptem ſoli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur! nemo enim* pot-

poteſt jure dici homo, niſi qui ſapiens eſt. Sed ſi cæteri omnes, præter ipſos, ſtulti fuerunt, ne illi quidem ſapientes: quia nemo ſapiens eſſe vere, judicio ſtultorum poteſt. In his, pro *cierentur*, Codex noſter MS. elegantiſſimus, habet *dicerentur.*

Pherecydes, Syrus, quoque hac ætate claruit, Pittaci diſcipulus. De quo Apulejus in Floridis: *Pherecydes Syro ex Inſula oriundus, primus verſuum nexu repudiato, conſcribere auſus eſt paſſivis verbis, ſoluto locutu, libera oratione.* Primus omnium de Natura, & de Diis, ut ex Theopompo refert Laërtius, commentatus eſt, ac conſtabat *Theogonia* ejus, libris 10. quibus Deorum ortum & ſucceſſionem complectebatur.

Alcæus, Mitylene, Lesbi urbe, oriundus, poëta Lyricus, tantopere ingenio pollebat, ut vi carminis multos e civitate ejecerit. Fertur autor fuiſſe *Alcaicorum verſuum.*

EVILMERODACH.

Nabuchodonoſare mortuo, Babylonici imperii majeſtas, ad filium ejus *Evilmerodachum* tranſiit, anno 37. Judaicæ transmigrationis. Is, miſeratus captivitatem *Jechoniæ* Regis, qui olim urbis Hieroſolymæ, regnique deditione facta, Babyloniorum fidei ſe permiſiſſet, ſummis eum affecit honoribus, & inter Reges clientelares, ac Amicos ſuos, primum ei locum aſſignavit. At ipſe, ob iniquitates, & libidines, in ſubditorum odium adductus, fraude *Neriglоſſori*, ſororii ſui, peremtus eſt. Ejus regimini, quidam 23. alii 12. rurſus alii non niſi 2. annos aſſignant.

Res Romanorvm.

SERVIVS TVLLIVS, *Ocriſiæ*, nobilis fœminæ, *P. Corniculani* conjugis, ſed in bello Latino captæ, atque ſic ſervæ, filius, cum in domo Tarquinii Priſci educaretur, flammæ ſpecies caput ejus amplexa eſt. Hoc viſo, *Tanaquil* ſummam ei dignitatem portendi intelligens, Marito ſuaſit, ut ita eum, ac liberos ſuos educaret: cumque adoleviſſet, a Tarquinio *gener* aſſumtus eſt. Rege occiſo, Tanaquil ex altiore loco ad populum deſpiciens, ait, Priſcum Tarquinium, gravi quidem, ſed non lethali vulnere accepto, petere, ut interim, dum convaleſcat, Servii Tullii dictis audientes ſint. Sic ille precario regnare inceptans, tanta deinde induſtria Rempublicam adminiſtravit, ut merito poteſtas illi conceſſa videretur. Bellum continuum 20. annis cum *Hetruſcis*, eorumque præcipuis populis, *Vejentibus*, & *Tarquiniis* geſſit, deque illis parte agri mulctatis, ter triumphum egit. Collem *Quirinalem*, *Viminalem*, & *Eſquilinum* Vrbi addidit, & foſſam circum murum duxit. Ab eo Populus Romanus relatus in Cenſum, ac in *Claſſes ſex* diſtributus eſt. Nempe *primæ Claſſis*, primique Cenſus erant, qui centum millia æris, ſeu 1000. Coronatos habebant. *Sextæ* autem *Claſſis*, ſeu infimi cenſus reputabantur, qui infra 120. Coronatos poſſiderent. Ad hos referebantur *capite cenſi*, ſive proletarii, quorum opera Romani in bello non utebantur, veriti, ne infimæ ſortis homines, qui nihil quod amittere poſſent, in Vrbe reliquiſſent, aut ſegniter pugnarent, aut facile ſpe lucri ad hoſtes deficerent. Cenſu acto, reperta Civium Romanorum LXXXIV. millia, cum his qui in agris degebant.

Lati-

Latinis populis perſuaſit Servius, ædem *Dianæ* in Aventino dedicarent, in qua, diſſidia forte oborta, componerentur. Hoc confecto, *bos* cuidam Latino miræ magnitudinis nata, & reſponſum ſomnio datum, eum populum ſummam imperii habiturum, cujus civis bovem illam immolaſſet. Latinus, bovem in Aventinum egit, & cauſam Sacerdoti Romano expoſuit. Ille callidus, dixit, prius cum vivo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tiberim deſcendit, Sacerdos bovem immolavit, & hoc pacto imperium civibus, ſibi gloriam facto conſilioque vindicavit. Primus quoque Servius *ſignavit æs*, cum antea rudi Romani uterentur, ſignatumq; eſt nota *pecudum*, unde & *pecunia* appellata. Cum Regno annis 44. præfuiſſet, a *L. Tarquinio Superbo*, genero ſuo, *Tulliolæ* filiæ inſtinctu, per gradus Curiæ præcipitatus, & trucidatus eſt.

CONTEMPORANEA.

Crœſus, patri *Halyattæ* in Regno Lydorum ſuccedit. Fuit omnium, quos hominum memoria celebrat, ditiſſimus. Vnde etiam nunc, cum immenſas opes ſignificare volumus, *Crœſi divitias* dicimus. Primus Græcos, ademta libertate, tributarios reddidit. Subjugavit *Phrygas*, *Myſos*, *Paphlagones*, *Thracas*, *Cares*; &, nominis ſui fama, etiam remotiſſimas gentes implevit. Ob ſucceſſus tam proſperos, ſe omnium mortalium feliciſſimum reputabat; monitus tamen eſt á *Solone*, neminem ante cineres beatum dicendum, quoniam, quoad vivimus, periculum ſit, ne inſtabilis hujus mundi felicitas, dolore aliquo contaminetur. Habuit *filios duos*, unum mutum, qui tandem in Sardium oppugnatione, præ metu loqui,

loqui cœpit; alterum, ſummæ ſpei adoleſcentem, *Atyn*, quem *Adraſtus*, Aulæ Magiſter, in venatione caſu interemit. Cæterum Crœſus, poſtquam omnem fere Aſiam minorem occupaverat, *Aſtyagis* cauſam adverſus *Cyrum* defenſurus, immenſis donis Apollini Delphico miſſis, accepit reſponſum ambiguum, ſi *Halym* fluvium tranſiret, magnum eum eſſe regnum everſurum. Trajecto fluvio, in Cappadocia cum Cyro conflixit, ſed infeliciter, atque captus, rogo fuit impoſitus. In hoc diſcrimine, cum ter Solonis nomen inclamaret, miratus Cyrus, quisnam eſſet Deorum hominumve, quem, in extremo periculo ſolum appellaret. Rem totam edoctus, humanæ viciſſitudinis memor, Crœſum ab incendio, adjuvante hanc indulgentiam etiam nimbo, liberavit, ſummoque ſemper apud ſe honore habuit.

Polycrates, Samiorum tyrannus, circa iſta tempora vixit. Hic adeo fortunam habuit obſequioſam, ut omnia optata conſequeretur, & quicquid aggrederetur, perficeret. Fœdus forte fecerat cum *Amaſi* Ægyptiorum Rege, qui, cum audiviſſet, nihil unquam ei adverſum contigiſſe, ad moderandam fortunæ invidiam, juſſit, re aliqua chara ſe privaret. Igitur *annulum*, cui ſmaragdus pretii ingentis incluſus erat, in maris profundum Polycrates abjicit, ſed & hunc paulo poſt inopinate recuperavit. Quippe, a piſcatoribus, piſcis, qui annulum devoraverat, paucis poſt diebus captus eſt, & tyranno donatus. In hujus ventre repertus annulus, & velut a Neptuno reſtitutus. At, dehinc Polycrates, cum adverſus *Darium* Perſarum Regem exercitum duceret, ab *Oronte*, illius Præfecto, acie fuſus atque captus eſt, qui illum ſuſpendere ac cruci affigere juſſit.

ſit. Hac ratione impletum fuit filiæ ſomnium, quæ patrem nocte viderat ſublatum in altum, roreq; madentem, ſudantem vero interdiu.

Pythagoras, Samius, *Mneſarchi* gemmarum ſculptoris filius, Italicæ Philoſophiæ princeps, auditor *Pherecydis* Syri, hac tempeſtate emituit. Is, Aſtrologiæ Chaldaicæq; diſciplinæ cupidus, Babylonem ſe contulit, ubi ſiderum curſus, eorumq; in genituris hominum effectus, ut & multa de religione Judæorum eſt edoctus. Sapientis elogium recuſavit, *Philoſophi* appellatione contentus. Quinquennali ſilentio futuros auditores præparavit. Novas in Arithmetica regulas invenit, Geometriamq; ad perfectionem perduxit. Neque ridens, neque flens viſus eſt unquam; tantæ apud ſectatores venerationis, ut illud *αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit*, ad fidem rei alicui conciliandam, ſufficere arbitrarentur. Auditores non pauciores habuit ſexcentis; qui noctu ad eum confluebant. Primus *transmigrationis animarum* in alia corpora adſtructor fuit, idque ut facilius perſuaderet, primum ſe *Æthalidem*, Mercurii filium, fuiſſe affirmabat; cumque a patre optio ſibi facta eſſet, excepta immortalitate, quicquid vellet petendi; ſe ab illo petiiſſe, ut & vivens, & vita functus, omnium, quæ contigerant, memoriam haberet. Poſt Æthalidæ mortem, *Euphorbum* ſe fuiſſe ajebat, ac deinde *Hermotimum*, poſtea Delium quendam piſcatorem, nomine *Pyrrhum*, mortuoque Pyrrho, ſe factum eſſe Pythagoram. *Crotoniatis* & *Metapontinis* leges conſcripſit, populosque luxuria diffluentes, autoritate ac doctrina ad frugalem cultum revocavit, adeo, ut & mulieres, integritate ejus, & vitæ ſeveritate adductæ, auratas veſtes, ornamentaque laſciviora, in tem-

templo Junonis conſecrarent. Obiit *Metaponti*, etſi de mortis genere non ſatis conſtat. Quidam enim trucidatum, alii, ſubitanea morte ſublatum, nonnulli, ab aliquo, quem Philoſophiam edocere nolebat, cum diſcipulis exuſtum perhibent. Metapontini mortui ædes pro templo conſecrarunt, ipſum divinis honoribus afficientes. *Aurea Carmina*, quæ vulgo Pythagoræ tribuuntur, ſunt *Lyſidis* Pythagorici.

Epicharmus, Siculus, Pythagoræ auditor fuit, & *Comœdiam* primus inveniſſe dicitur. De *rerum quoque natura*, & *Medicina* eum ſcripſiſſe, Diogenes Laërtius teſtis eſt.

Anaximander, Thaletis diſcipulus, primus terræ mariſque circuitus deſcripſit, & *ſphæram* conſtruxit, *Geographicasq; tabulas* edidit, ac *horologium* invenit. Infinita principia, infinitosq; mundos ſtatuiſſe dicitur. Opinatus eſt nativos fuiſſe Deos, longis intervallis orientes, occidentesque; homines, ex aqua terraque calefactis, exortos eſſe.

Epimenides, Cretenſis, rus a patre miſſus, cum meridiani æſtus vitandi cauſa, de via declinaſſet, & in antro recubuiſſet, per annos plus quam 50. ſopitus jacuit, ac tandem expergefactus, rediit domum, ignotus omnibus, præterquam minori fratri, ex quo rerum quæ gerebantur, notitiam habuit: deinde vero intra tot dies ſenex factus eſt, quot annos obdormierat; atque hinc porro magna ejus fuit inter Græcos celebritas, ac mortuum, Cretenſes, uti Deum ſacrificiis proſecuti ſunt. Ajunt e Creta aliquando evocatum, Athenas luſtraviſſe, poſitisque *Ignoto Deo* aris, peſtem Attica urbe profligaſſe.

Ana-

Anacharſis, inter Scythas ſolus doctus fuit, & philoſophus repertus, unde, de raro homine, *Anacharſis inter Scythas*, proverbio dicitur. Invenit *rotam figuli*, cujus circuitu vaſa formantur. Cum ſacra *Deæ Matris*, cui votum Cyzici fecerat, vel, ut alii tradunt, Athenienſium leges apud ſuos introducere conaretur, a fratre, ejus loci rege, ſagitta transfixus eſt.

MILLENARII IV.

SECVLVM V.

BELSAZAR, ſeu BALTHASAR.

POſt Evilmerodachum, quidam aliquos obſcurorum nominum ponunt Reges. Nos, in rudimentis iſtis, quæ tantum ad puerorum & adoleſcentum animos, Hiſtoriæ veteris cognitione, quomodocunque initiandos faciunt, eos ſequimur, qui ſtatim *Belſazarem* ſubjiciunt. De hoc imprimis illud notare oportet, quod in Sacris Literis proditum eſt, ipſum *ſacra vaſa*, quæ Nebucadnezar avus ejus, ex Hieroſolymitano templo abſportaverat, profanos ad uſus conviviorum inferri juſſiſſe. Ex iis, dum cum uxoribus & concubinis potat, ac Deos ſuos fuſiles prædicando, genio gnaviter indulget, vidit manum parieti inhærentem, ac verba quatuor, מנא מנא תקל ופרסין *Mene, mene, tekel, upharſin*, myſtica ratione, inſcribentem. Iſta hieroglyphica, cum nemo legere, nedum interpretari poſſet, Daniel inventus eſt, qui ſacrum ænigma expediret, tali explicatu: Deus, o Rex, perfecte *numeravit* regnum tuum, ſive certam metam ac periodum ei ſtatuit, quæ jam ad finem eſt perducta. *In trutina examinatus es*, & ni-

& nimis levis es inventus ; hoc eſt , autoritas tua periit. Regnum tuum *diviſum* eſt, & Perſis ac Medis traditum. Nec caruit res , ea ipſa nocte, eventu. *Gobryas* enim & *Gadatas*, Satrapæ, quorum hunc Rex per ignominiam eviraverat , illius filium in venatione occiderat, conſpiratione facta, ad *Cyrum*, Babylonem diu jam, ſed inaniter, oppugnantem, deficiunt, eique modum ac viam occupandi illam oſtendunt : ſignificantes , *Euphratem* tantum , ex ea parte qua in Vrbem infunditur, in naturalem alveum , e quo illum Regina Nitocris eduxerat , reduceret. Hoc negotio celeriter confecto, Gobrya & Gadata præeuntibus , Cyrus cum Medis & Perſis, femoribus tenus in aquis immerſis, in Vrbem penetrat, ac Babylonii vino ſomnoque ſepulti trucidantur. Rex ipſe obtruncatur, cum 17. annos regnaſſet.

DARIVS MEDVS.

Darius Medus, qui & *Cyaxares* dictus eſt, Aſtyagis filius, atque ſic Mandanes, Cyri matris, frater, idemque ob filiam, quam Cyro in connubium dederat , illius ſocer , permittente genero , opulentiſſimum regnum adiit , jam 62. annos natus. Ipſe, ut erat ſenex otii amans, omnem regni curam, in Medos Perſaſque conſiliarios devolvit, ac *Danielem*, qui ſapientiæ ſuæ præclara dederat experimenta, additis duobus aliis Satrapis, univerſo Imperio præpoſuit, quibus reliquos Optimates , 120. numero, rationes adminiſtrationum reddere præcepit. Sed Danieli, viro Hebræo , invidiæ ſtatim fuit, nimia apud exteros potentia , imo pæne exitio, niſi Deus illius tutelam ſuſcepiſſet. Dario enim, fami-

liari Regum arrogantia faſtuque pleno, perſuaſerant Aulici, ſe ſolum ad XXX. dies adorandum præberet omnibus, lege lata, ut ſi quis intra illud tempus, alii cuicunque, ſive Deo, ſive homini, vota preceſque nuncuparet; beſtiis objiceretur laniandus. Sic Danielem, cui major cura pietatis, quam vitæ erat, in genua ter coram Deo verſa Hieroſolymam facie proſtratum, deprehendunt facile æmuli, ſtatimq; reum faciunt, efflagitantes, ut ſupplicium nupera lege ſancitum luat: nec mora, Rege nequicquam obluctante, eum in lacum leonum deturbant. Enim vero obſtructum ſigillo ſuo antrum aperiens Darius, ut incolumem Danielem reperit, egredi magna voce innocentem, & accuſatores, ejus loco, in foveam præcipitari imperat; qui, continuo laniati, exemplum dedere omnibus, neque bonum neque malum facinus cujuſquam inultum manere, ſed probis præmia, ſceleſtis pœnas, Supremum Numen irrogare. Id cum publico edicto inter omnes divulgaſſet Darius, relictiſque ſuperſtitionibus, Deum Danielis ubique colendum præcepiſſet, aliquanto poſt obiit, Cyro ſororis filio, & genero, omnium, quas ſubegerat, terrarum, ſolo herede relicto.

Contemporanea.

Ibycus, Lyricus Poëta, æqualis fuit horum temporum, cujus *Fragmenta* Henr. Stephanus collegit. Is, cum in latrones incidiſſet, jam occidendus, *grues* forte ſupervolantes, ultores ſibi depoſcebat. Aliquanto poſt tempore, cum iidem latrones in foro ſederent, ac rurſum grues ſupervolarent, per jocum inter ſe ajunt; *αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισιν*, *Ibyci ultores adſunt*. Exceptum ſermonem aſſidentes aliqui,

quos Ibyci deſiderium tenebat, in ſuſpicionem rapuerunt, atque cum rogati latrones, quid ſibi vellet ea oratio, hæſitanter & trepide reſpondiſſent, ſubjecti tormentis, cædem confeſſi ſunt, & capitis ſupplicium luerunt. Hinc proverbio, *Ibyci grues*, in ſermone hominum ſunt, quoties malefactis novo quodam & improviſo caſu proditis, ſcelerati pœnas dant iis, quos læſerunt.

Steſichorus, Poëta Lyricus, *Himeram* Siciliæ urbem patriam habuit; nomenque ab eo accepit; quod primus cum citharæ cantu *chorum* conjunxit; vere enim *Tiſias* appellabatur. Aliquando acerrimo carmine in *Helenam* tanquam belli Trojani facem invectus, a Caſtore & Polluce luminibus dicitur orbatus, alioque rurſus carmine cantata palinodia, viſum recepiſſe. *Fragmenta* ejus quædam ſuperſunt. Stylo præditus erat ſublimi, unde Horatius, *Steſichori graves Camœnas*, memorat.

Theognis, Megarenſis, Poëta, claruit. Ejus *Gnomæ* ſuperant.

Phocylides, Mileſius fuit, ſcripſit *Breves Gnomas*, quas Stobæus, & alii allegant. *Carmen νȣθετικὸν*, quod ſub ejus nomine extat, Scaligero judice, eſt Judæi, aut potius Chriſtiani alicujus fœtus. Nec enim quiſquam Veterum, ex illo, quamvis prolixo, vel unum verſum allegavit: tum vero ad reſurrectionem mortuorum alludit.

Æſopus, Phryx, Philoſophus, & fabulator clariſſimus, conditione ſervus, *Crœſo*, Lydorum Regi, fabulas ſuas dicavit. Ejus vitam Maximus Planudes conſcripſit, quæ fabulis Æſopiis vulgo præfigi ſolet. Recte Agellius l. 2. c. 29. *Æſopus ille e Phrygia fabulator, haud immerito ſapiens exiſtimatus eſt; cum,*

quæ

quæ utilia monitu ſuaſuq; erant, non ſevere, non imperioſe præcepit & cenſuit, ut Philoſophis mos eſt, ſed feſtivos delectabilesq; apologos commentus, res ſalubriter ac proſpicienter animadverſas, in mentes animosq; hominum cum audiendi quadam illecebra inducit. Hottingerus exiſtimat, Æſopum Arabibus *Locmannum* dici, cujus mentio in Surata 31. Alcorani, quæ ab ipſo nomen habet. Quidam, ex *Aſapho*, Davidis Regis Cantore, Æſopum faciunt. Cæterum Æſopus, ut eſt apud Plutarchum lib. de ſera Numinis vindicta, a Crœſo Delphos miſſus, ibique ſacrilegii inſimulatus, e petra quadam præcipitatus fuit.

Sappho, Lesbia, inſignis poëtria, *carminis* inventrix quod ab ea Sapphicum appellatum. Scripſit *Epigrammata*, *Elegias*, *Jambos*, & *Monodias*; e quibus nihil supereſt præter *Hymnum ad Venerem*, & *Odam* ad puellam, quam in delitiis habuit. Hæc, Dion. Halicarnaſſæus, & Longinus Rhetor.

MONARCHIA II. PERSARVM.

CYRVS.

CYrus, quem, ceu dictum eſt, *Cambyſes* ex *Mandane*, Aſtyagis Medorum Regis filia ſuſcepit, Aſia ſubacta, a Medis ad Perſas, Anno circiter 3435. Imperium tranſtulit. In expeditione adverſus Babylonios, trajecturus *Gyndem* fluvium, qui in Tigrim exoneratur, cum, quod ex ſacris equis candidis quendam vorticibus abripuerat, tam tenuem reddidit, ut vel a mulieribus tranſiri poſſet. Poſtrema ejus expeditio adverſus *Maſſagetas*, Scythiæ populos, qui, ceu conjectura eſt, cum tractum, ubi nunc eſt pars meridionalis Tartariæ deſert[illegible]ſus Zagataiam regionem, incolebant, [illegible]ſcepta; quam [illegible] *Tomyris*, Maſſa-tamen Crœſus, & alii [illegible]bant. Cum nihilo mi[illegible] pergeret Cyrus, quamvis prohibere poſſet Tomyris, permiſit tamen, ut fluvium *Araxem* tranſiret, &, tridui itinere, a fluvio receſſit, ſibi faciliorem pugnam intra regni ſui terminos rata, & hoſtibus, objectu fluminis, fugam difficiliorem. Ille, ex Crœſi conſilio, ſimulata fuga, vini affatim, & ea quæ epulis erant neceſſaria relinquit. Supervenientes barbaros, cum ſeſe ingurgitaſſent, Cyrus ex inſidiis interemit, una cum ipſo Reginæ filio *Spargapiſo*. Tomyris, clade accepta, hoſtes recenti victoria exultantes, pari inſidiarium fraude circumvenit. Quippe ſimulata diffidentia propter vulnus acceptum,

ceptum refugiens, Cyrum ad anguſtias usque perduxit. Ibi compoſitis in montibus inſidiis, ducenta millia Perſarum, cum ipſo Rege trucidavit, ne nuncio quidem tantæ cladis ſuperſtite. Caput Cyri amputatum, in utrem humano ſanguine repletum, conjici Regina juſſit, cum hac exprobratione crudelitatis: *Satia te ſanguine, quem ſitiſti; cujusq; inſatiabilis ſemper fuiſti.* At *Xenophon*, Cyrum placide exſpiraſſe, & ſuprema verba, quibus moribundus filios graviter hortatus ſit, literis conſignavit. *Diodorus* cruci affixum perhibet. Sed & Herodotus fatetur, diverſos de morte Cyri in Perſia ſermones fuiſſe. Imo ipſum Cyri ſepulchrum, Straboni, Curtio, aliisq; memoratum, prohibet credere, quæ de Tomyri narrantur. Ac, hactenus quidem conveniunt Scriptores illi, juſſu Alexandri M. apertum fuiſſe Cyri ſepulchrum, ſed in eo deſcribendo variant. Curtius enim prodidit, nihil ibi repertum eſſe, præter Clypeum Cyri putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem; miratumque eſſe Alexandrum, tanti nominis Regem, tantis præditum opibus, haud pretioſius ſepultum eſſe, quam ſi fuiſſet e plebe. At Strabo, cum exteriorem quoque formam monumenti deſcripſiſſet, fuiſſe nimirum in horto Regio turrim, non ſane magnam, arborum denſitate occultam, a parte inferiore ſolidam, ſuperiore, tecto & ſacello exornatam, quod peranguſtum aditum habebat: addit, Ariſtobulum, Alexandro imperante, ingreſſum, vidiſſe ibi auream lecticam, & menſam cum poculis, & aureum alveolum, & veſtem plurimam, ac ornatum lapillis incruſtatum. Recitat mox etiam verba, quæ Conditorio huic inſcripta fuiſſe ferantur, ſed mutila, & decurtata, ſi ea vera eſt inſcripto, quæ apud Zonaram tom. 1.

Annal. legitur: *O homo, quisquis es, & undecumq; venis, (nam te venturum eſſe ſcio.) Ego Cyrus ſum, qui Perſis imperium peperi. Ne igitur exiguam hanc terram mihi invideas, quæ meum corpus contegit.* Tanquam Monarcha, annos 7. Cyrus regnaſſe fertur.

Res Jvdæorvm.

Cyrus, quod duobus fere ante illius nativitatem ſeculis, ab Eſaia Propheta de eo prædictum fuit, *Babylonicam Judæorum captivitatem*, poſt LXX. annorum illorum decurſum, quos Jeremias c. XXV. 12. XXIX. 10. Eſr. I. 1. definiverat, ſolvit. Nempe; initio Imperii, propoſito publice edicto, Deum Iſraelis ſupra omnia gentium Numina extollens, poteſtatem dedit Judæis, in ſolum patrium redeundi. Sacra etiam vaſa, quæ Nebucadnezar e templo Hieroſolymæ abſtulerat, reddidit, Templumque veri Dei, ſuo ſumtu reſtaurandum præcepit. Impetrata hac facultate, Judæi, ducibus *Jeſu*, ſeu *Joſua*, Jozedeci filio, Summo Pontifice, & *Zorobabele*, Jechoniæ nepote, profectionem in patriam, 42360. numero, uxoribus puta, infantibus, ſervis & ancillis exceptis, adornant. Prima reverſis cura fuit, divini cultus publice inſtaurandi. Condiderunt itaque Altare, in ruderibus templi, eo loco, quo olim ara holocauſtorum poſita fuerat, Deumque ſacrificiis ſolemnibus placarunt. Sequenti anno Templum moliuntur, cujus machinamenta, qui priſcum illud non viderant, ingenti cum exultatione; qui oculis uſurpaverant; lacrymantes adſpexere. Sed Samaritanorum, aliarumque vicinarum gentium, odiis vexati, plerique etiam rei familiari potius quam publicæ intenti, parum proficiebant, Cyro præſertim longinquis bel-

lis

lis implicito. Per cujus abſentiam, accuſati apud Filium, ejusque Conſiliariis & Miniſtris corruptis, ſubſidiis a patre decretis exciderunt, juſſique ab inſtauratione Vrbis, bellis, & rebellionibus, ut illi interpretabantur, quondam ſamoſæ, abſtinere. Ceſſatum itaque a Templi, & eorum quæ ad munimentum Vrbis pertinebant, ædificatione, ad ſecundum usque annum Darii, Hyſtaſpis filii.

Res Romanæ.

TARQVINIVS SVPERBVS, homo animi impotentis, filius fuit *Tarquinii Priſci*, eique nupſerat primo Filia Servii Tullii major, mitis ea ingenii: altera minor, *Tulliola*, ſæva & ferox, *Arunti*, manſueto, elocata fuerat, ut omnium mentes morum diverſitate lenirentur. Sed, ut hunc veneno ſcelerata uxor ſuſtulit, ita facinoroſus ille, optimam uxorem peremit, atque inceſtis nuptiis, Tarquinium & Tulliolam morum ſimilitudo conjunxit. Poſt matrimonium initum, ſtatim Tarquinius a Tulliola incitatus, advocato, Senatu, regnum paternum repetere cœpit. Servius, dum in Curiam properat, juſſu Tarquinii gradibus dejectus, &, domum refugiens, interfectus eſt, Tulliola, his auditis, vecta carpento, in forum properat; ut Conjugem prima Regem ſalutaret, & ſuper cruentum patrem, conſternatos equos egit; unde vicus ille *Sceleratus* dictus eſt. Tarquinius, per nefas acquiſitam poteſtatem injuſte adminiſtravit. In primores enim Patrum cædibus graſſatus, armatis corpus, contra quamvis vim, circumſepſit; de omnibus rebus ex ſententia, neglecto Senatu, ſtatuit; vincula, compedes, exilia excogitavit. Nec tamen ſine commodo Vrbi præfuit. *Circum* enim

maximum, ludis & ſpectaculis deſtinatum, porticibus circumdedit: *Ferias Latinas* inſtituit: Jovis *Templum Capitolinum*, a capite humano cruento, ſub terra invento, ſic dictum, & ob quod oſtentum, Augures, eam urbem caput gentium futuram prædixere, in monte Tarpejo exſtruxit: idque cum inaugararetur, cedentibus cæteris Diis, *Juventus* & *Terminus* reſtitere: quæ contumacia Numinum, Vatibus placuit, quia firma omnia & æterna pollicebatur. *Sabinos*, aliquoties profligavit Tarquinius: cum *Gabiis* integro ſeptennio bella geſſit, eorumque urbem tandem dolo *Sexti* filii, hoſtem ſe patris ſimulantis, ſubegit. Huic poſtea, non voce, non literis, ſed eminentium papaverum decollatione, eſſe potentiores ex Gabiis e medio tollendos, ſignificavit. Tandem, cum *Ardeam* oppugnaret, orto inter Duces de uxorum præſtantia certamine, cum ſuam unusquisque laudaret, placuit experiri. Romam hanc ob cauſam petentes, Regias nurus in convivio & luxu deprehendunt; hinc *Collatiam* ſe conferentes, *Lucretiam*, *Tarquinii Collatini* Conjugem, inter ancillas in lanificio offendunt; itaque ea pudiciſſima judicabatur. Factum hinc; ut *Sextus Tarquinius* immoderata libidine erga illam exarderet. Digreſſus ergo cum cæteris, nocte rediit, & jure propinquitatis in domum Collatini intromiſſus, mox, remotis arbitris, in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitiam, minis ſæviſſimis expugnavit. Illa, poſtero die, *Lucretio Tricipitino* patre, & *Tarquinio Collatino* conjuge, quibus *L. Junius Brutus*, ſorore Tarquinii Superbi genitus, &, qui hactenus amentiam ſimulaverat, ſe junxit, advocatis, rem exposuit, & educto cultro, quem ſub veſte abſconditum habebat, ſeſe confodit. *Brutus*

tus, cultrum cruore manantem e vulnere extrahens, juravit, ſe nec Tarquinium, nec alium quenquam regnare Romæ paſſurum, tantumq; apud populum effecit, ut Tarquinio regnum abrogaret, illumque cum familia urbe excluderet, poſtquam 25. annis regnaſſet. Bona ejus direpta, ager, Marti conſecratus.

CONTEMPORANEA ALIA.

Zaleucus, *Locris*, quæ Brutiorum, in Magna Græcia urbs fuit, leges tulit. Ejus filius, in adulterio aliquando deprehenſus, ſecundum jus a patre conſtitutum, utroq; oculo carere debebat. Cum vero tota civitas, in honorem patris, pœnæ neceſſitatem filio remitteret, Zaleucus aliquandiu repugnans, ad ultimum precibus populi victus, ſuo prius, deinde filii oculo eruto, ſe, & miſericordem patrem, & juſtum legislatorem exhibuit.

Charondas, *Thuriorum* (quorum urbs ſimiliter in Magna Græcia, ad ſinum Tarentinum ſita) Legislator fuit. Is, ad vim & cruorem usque ſeditioſas conciones civium pacaverat, lege cavendo, ut ſi quis eas cum ferro intraſſet, continuo interficeretur. Interjecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio cinctus domum repetens, indicta concione, ſicut erat, in eam proceſſit. Cæterum ab illo qui proxime conſtiterat, ſolutæ a ſe legis ſuæ monitus, idem ego, inquiebat, illam ſanciam; ac protinus ferro, quod habebat, diſtricto, incubuit.

CAMBYSES.

Cambyſes, *Cyri*, & *Caſſandanæ* filius, laxiori diſciplina, ob bella quæ pater continue gerebat, domi educatus, atque ſic crudelis, ebrioſus, incon-

ſideratus, imo prope inſanus, poſt patrem, imperium, cui jam ante præpoſitus erat, adminiſtrare cœpit. Ea tempeſtate Ægypto præerat *Amaſis*: ejus filiam Cambyſes, perſuaſus de Ægyptiarum mulierum præſtantia, uxorem ſibi expetiit. Sed, pellicem Amaſis, non conjugem quæri arbitratus, pro propria filia, *Apryam*, anteceſſore genitam, miſit, quæ deinde qualis ſit, Cambyſi aperuit. Ille ob hanc cauſam, Amaſin bello petit, qui tamen obiit, antequam Perſæ Ægyptum attingerent, ſucceſſore filio *Pſammenito*. Hic a Cambyſe 50. millium Ægyptiorum edita ſtrage victus fuit: expugnata *Memphis*, tota Ægyptus in ſervitutem redacta. Cadaver Amaſis effoſſum, poſt verborum ludibria, flammis tradere Cambyſes juſſit; Pſammenito, procuratio Ægypti conceſſa. Cum vero poſtea res novas moliretur, taurino ſanguine epoto periit. Cum ſic Ægyptum ſubegiſſet Cambyſes, omnibus ejus opibus in Perſiam translatis, bellum adverſus *Carthaginienſes* moliri cœpit. Verum quod naves ſuas Phœnicii & Cyprii in hanc rem commodare nollent, a propoſito deſtitit, & quinquaginta millium exercitum, ad *Jovis Ammonis* templum expugnandum miſit, qui univerſus, tempeſtatibus, & arenarum molibus oppreſſus interiit. Nihil territus Cambyſes ea clade, *Æthiopas Macrobios*, Africam ad Auſtrale mare incolentes, bello adoriri conſtituit, &, ad eorum Regem, quem e popularibus maximum & validiſſimum deligere conſueverant, exploratores miſit cum donis, purpura, torque, armillis, unguento, & vino. Ipſe, fraudem intelligens, Cambyſen reprehendit, quod injuſte alienum regnum affectaret, Legatisque, arcum, quem facile intendit, ad Regem deſc-

deferendum dedit, ut ſi eum poſſet ſimiliter intendere, tum demum ad Æthiopas debellandos accederet. Irridens porro veſtimenta, & manuum vincula aurea, nihil niſi vinum inter dona commendavit. In hos Æthiopas movit Cambyſes. Cum vero omnia victui neceſſaria defeciſſent, etiam fruticum atque herbarum radices, decimum quemque militem ſorte lectum, in alimentum accipere juſſit. Sed timens, ne & ipſe ad ſortem vocaretur, exercitum reduxit. His tantis cladibus Rex afflictus, culpam omnem in Ægyptiorum Sacerdotes conjecit, Numinumq; ædibus dirutis, ipſum *Apin* bovem vulneravit, quem, ut Deum, Ægyptii venerabantur. Is, radiis lunaribus conceptus credebatur; toto corpore niger erat; quadratum habebat in fronte candorem, aquilam in tergo; ſcarabæum in palato, cornicularem Lunam referentem in latere dextro maculam, duplices in cauda pilos: Græci *Epaphum* vocabant, & Ægyptiis viſum, animam Oſiridis in illum tranſiiſſe. Poſt ævi ſpatium ſacris libris præſcriptum, Nilo, vel fonti ſacro immerſus, necabatur, mox alio ſacrato. Dum hæc fiunt, frater Cambyſis *Smerdes*, ſuperiori Aſiæ præſidens, &, qui ſolus arcum ab Æthiopibus miſſum intenderat, calumniis oneratur, tanquam Imperium affectaret. Vocatus, cum non compareret, roboratur obtrectatio. Tertia vice accitus, ut venit, clam mortis damnatus eſt, *Prexaſpi* ad eum interficiendum negotio dato; ſuppoſitusque pro illo *Magus*, interfecti nomen & ſpeciem egregie repræſentans. Ita matrem & amicos, cædes facta latuit quinquennium. Quam, ut tandem reſcivit mater, dira imprecata Cambyſi, præ dolore diem obiit ſupremum. Soror *Meroë*, ſive ut alii vocant, *Arſinoë*, quam, cum alia ſorore *Atoſſa*, Cam-

Cambyſes in conjugio habebat, prægnans, ictu calcis a marito fuit peremta, quod canem videns adverſus leonem a fratre catello adjutum, illacrymaſſet, ſuſpicante tyranno, eam fratris Smerdis interitum deplorare. Porro, *Siſamnem*, corrupti judicii convictum, cute nudari, atque hac inſtrato tribunali, *Otanem* filium imponi præcepit. *Prexaſpi* monenti, ut in potu eſſet abſtinentior, quod ebrietas in regibus maxime fœda eſſet, & male multa miniſtraret, reſpondit, non mentem modo ſibi poſt vinum, verum etiam & oculos & manus in officio eſſe, idque brevi ſe comprobaturum. Cumque liberalius quam unquam antea poculis indulſiſſet, juſſit filium ejus ultra limen progredi, ibidemque conſiſtere, allevata ſupra caput manu ſiniſtra; tum e veſtigio contento arcu, cor illius medium ſagitta fixit, quod ſe petiturum antea dixerat: ad patrem autem converſus, percontatus eſt, an ſatis certam ipſi videretur habere manum? qui, diſſimulato dolore, negavit Apollinem potuiſſe certius jaculari. *Crœſus* quoque, ob liberiores adhortationes, vitæ diſcrimen adiit. Nec minus *lapidem vocalem*, ſtatuam nimirum Regis Memnonis, quæ, quod Straboni l. 7. & Plinio l. 36. c 7. memoratum eſt, ſingulis diebus, oriente Sole, ſonum citharæ edebat, ad medium usque pectus Cambyſes disrupit. Tandem, dum *Ecbatanis* Syriæ moratur, certis nunciis accipit, a Smerde Mago Perſiæ regnum occupari. Dum ergo, furibundo ſimilis, equum conſcendit, ſeditionem in herba oppreſſurus; gladio forte e vagina delapſo, ſeipſum ſauciat, ex eoque vulnere periit, cum ſolus, ſexennium regnaſſet. Cteſias, a cæteris Scriptoribus diverſus, ait Cambyſen poſt fratris necem, varius

ziis ſomniis territum, poſtremo, ligna parva, tempus ut falleret, polientem, femoris muſculum læſiſſe, idque vulnus ei fuiſſe lethale.

Cum Cambyſes periiſſet, *Oropaſta* Magus, quod Smerdi occiſo, & oris & corporis lineamentis perſimilis eſſet, ac nemo dolum ſubeſſe arbitraretur, a fratre adjutus, Rex conſtituitur. Ea fraus tanto efficacior fuit, quod apud Perſas perſona Regis, ſub ſpecie majeſtatis occulitur. Novus Rex, relaxatis in triennium tributis, indulgentia & largitionibus, facile ſubditorum animos ſibi devincit, arbitrantium, ſe Cyri Regis filio obtemperare. Jamque ipſi Perſarum Principes credebant, fratrem Cambyſi regnare, cum *Otanes*, ex filia *Phedyma*, quæ inter pellices regias erat, comperit, auribus Regem carere: Mago autem Oropaſtæ, incertum ob quam cauſam, olim Cyrus utramque aurem præciderat. Res, hoc indicio prodita, defertur ad Optimates. Ergo in cædem falſi Regis, conjurant cum Otane *Intaphernes*, *Gobryas*, *Megabyzus*, *Aſphatines*, *Hydarnes*, & *Darius*. Hi, ex continenti, ne dato in pœnitentiam ſpatio, res per quenquam narraretur, occultato ſub veſte ferro, ad regiam pergunt; & obviis interfectis, ad Magos fratres penetrant, quibus ne ipſis quidem animus in defenſionem ſui defuit: ſiquidem ſtricto ferro, duo de conjuratis interficiunt. Ipſi tamen corripiuntur a pluribus: quorum alterum Gobryas medium amplexus, cunctantibus, quia res obſcuro loco gerebatur, ſociis, ne ipſum pro Mago transfoderent, vel per ſuum corpus adigi in Magum ferrum juſſit: fortuna tamen ita regente, illo incolumi, Magus interfectus eſt. Sic Magi necantur, idque factum populus comprobavit, & feſtum

ſtum *Magophoniæ*, ſive Magorum occiſionis, quotannis celebrandum inſtituit.

CONTEMPORANEA.

Harmodius & *Ariſtogiton*, audaces duo juvenes, Athenienſes tyrannide Piſiſtratidarum liberant. Quippe *Hipparchus*, quem Juſtinus *Dioclen* nominat, Piſiſtrato genitus, Harmodii ſororem violaverat. Ergo Harmodius, adjuncto ſibi Ariſtogitone, tyrannum obtruncat, & dum cædem facit, ipſe quoque occiſus eſt. Ariſtogiton, ab *Hippia*, Hipparchi fratre, comprehenſus, & per tormenta conſcios edere juſſus, omnes tyranni amicos nominavit. Quibus interfectis, quærenti tyranno, num adhuc aliqui ſupereſſent? nemo eſt, inquit, præter te, quem amplius mori geſtiam. Hujus virtute cum admonita libertatis civitas eſſet; Hippias regno pulſus, in exilium agitur: qui, profectus ad Perſas, Ducem ſe Dario, bellum Athenienſibus illaturo, adverſus patriam ſuam offert. Harmodio & Ariſtogitoni, libertatis vindicibus, ſtatuæ poſitæ. Quin & *Leænæ*, Harmodii amicæ, ſtatua erecta, in forma leænæ ſine lingua; quia, cum quæſtioni ſubjecta, urgeretur prodere conſcios, linguam ſibi præmorderat.

DARIVS HYSTASPIS.

Sublato Oropaſta Mago, cum Principes Perſarum virtute & nobilitate ita pares eſſent, ut difficilem ex his populo electionem paritas faceret; ipſi, deliberatione habita, paciſcuntur, ut omnes die ſtatuta equos ante regiam ſummo mane perducerent, &, cujus equus, inter ſolis ortum, hinnitum primus edidiſſet, is Rex eſſet. Nam Solem, Perſæ Deum credunt, & Equos ei ſacratos. Ibi *equus Darii*, deſi-

deſiderio equæ, cui pridie in eo loco admiſſus fuerat, hinnitum ſtatim edidit, & felix auſpicium domino primus emiſit. Quo audito, cæteri confeſtim equis deſiliunt, & Darium Regem ſalutant. Erat is Darius, patruele Cyri genitus, atque principio regni, *Moſſam*, Cyri Regis filiam, in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum firmaturus; ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reverſum videretur. Poſt hæc *Babylonii* rebellantes, graviorem quam a Cyro antea, cladem acceperunt. Ipſi, obſidionis metu, mulieres ſuas, paucis exceptis, omnes ſtrangulaverant, ut viris militaribus uberior commeatus ſuppeteret; excubias, ſtrenue obibant, omnia, ſufferendis diuturnæ obſidionis incommodis neceſſaria, pridem comparaverant. Darius, contractis in unum copiis, vigeſimum jam menſem urbem obſidebat. Ibi *Zopyrus*, Megabyzi, unius e Magicidis filius, naſum, aures, & labia ſibi præſcindit, & Babyloniam tranſſugæ titulo proficiſcitur, fidem incolis faciens, a Dario ſe injuria iſta affectum. Conſtituitur ergo Dux omnium ſuffragio; &, accepta parva manu, ſemel atque iterum, cedentibus conſulto Perſis, ſecunda prælia facit, ac poſtremo univerſum ſibi creditum exercitum, Dario prodit, urbemque ipſam in poteſtatem ejus redigit. Capta Babylon vaſtatur, muri portæque ejus deſtruuntur; nobiliorum civium tria millia ſuffiguntur crucibus, novi habitatores, e vicinia, in eam immigrant. Dehinc Darius expeditionem ſuſcepit in *Scythas Europæos*, ſeptingentorum millium exercitu contracto, quod filiæ Regis, quam *Scytharcen* vocat Cteſias, nuptias non obtinuiſſet. Alii cauſam allegant, ut ignominiam, quam Aſiæ, Cyaxare regnante

gnante Scythæ intulerant, deleret. Darius ad Boſphorum tranſgreſſus, & illum, & Iſtrum, ponte junxit, ac Æolis, quos ſecum duxerat, cuſtodiam ejus tranſitus relinquens, loro 60. nodis complicato iis tradito; juſſit, ut ſi ſingulis diebus ſingulos nodos ſolviſſent & ipſe non rediſſet, domum reverterentur. Scythæ, pugnandi poteſtatem Dario non faciunt, eumq; erroribus circumductum fatigant, &, ave, mure, rana, ac quinque ſagittis dono miſſis, minantur, ſi non, aut ut aves ſubvolet in cœlum, aut, ut mures ſubeat terram, aut ut ranæ inſiliat in paludes, fore, ut ſagittis, cum omnibus ſuis, conficiatur. Darius, igitur relictis caſtris, & octoginta millibus ſuorum amiſſis, irrito conatu rediit, & inſignem operam ſibi præſtitiſſe deprehendit *Hiſtiæum*, Lyſagoræ filium, Mileti tyrannum, qui, quo minus ad libitum Jonum, urgentibus Scythis, cedere volentium, pons trans Iſtrum ſolveretur, unus obſtitit, & ita Dario reditum ad ſuos liberum conceſſit. Sic jam ad eos Rex converſus, in quibus minorem vim reſiſtendi deprehendit, *Thracas* & ſinitimos populos debellavit. Legatos etiam miſit ad *Macedonas*, quibus tum *Amyntas* imperabat. Sed, cum ii, nimis laſcive fœminas in convivio accumbentes contrectaſſent, ab *Alexandro*, Amyntæ filio, Alexandri M. proavo, cum aliis adoleſcentibus, more fœminarum amicto, ſunt occiſi.

Interea temporis *Hiſtiæus*, Mileti tyrannus, qui Iſtri pontem ſervaverat, magnis quidem honoribus cumulatus eſt, ſed quod Perſæ metuebant ne res novas moliretur, ad ſe eum Rex evocavit, *Ariſtagoramq;* ejus generum Mileto præfecit. Verum Hiſtiæus libertatem ſuam ſe perdidiſſe ratus, Ariſtago-

ſtagoram, jam tum ob res bellicas contra Naxios male adminiſtratas ſibi metuentem, ad defectionem literis, quas capiti ſervi inuſſerat, incitavit. Hinc *Jonicum bellum* natum eſt. Ariſtagoras enim Byzantium & multa alia loca occupavit, Lydiam vaſtavit, Sardes cremavit, eique Athenienſes fuerunt auxilio, quod Darii frater *Artaphernes*, Sardium Præfectus, libertati eorum videretur inſidiari. His ita geſtis, excandeſcens Darius, per *Otanem* & *Artaphernem*, aliosque Duces, amiſſa recuperat, *Cyprios* per *Artybium*, in ſervitutem redigit, *Carnes*, *Æolesq;* arma jungentes perdomat. Ariſtagoram, præ metu in Thraciam ſe recipientem, Thraces cum exercitu occidunt. *Miletus* expugnata, incolæ aut cæſi, aut in captivitatem rapti. Hiſtiæus tot malorum autor, victus, ab Artapherne in crucem actus eſt.

Porro, quia, ceu dictum fuit, *Athenienſes* Jonibus a Perſis deficientibus ſuppetias miſerant, eos caſtigaturus, quin imo totam Græciam ſub jugum miſſurus Darius, *Mardonium*, Gobryæ filium, cum claſſe mittit, eique *Hippias* Piſiſtratides exul ſeſe jungebat. Cæterum, claſſe circa montem Athon disjecta, trecentæ naves, & viginti hominum millia perierunt; ipſeque Mardonius in inſidias Thracum incidens, magna exercitus parte amiſſa, in Perſiam rediit. At Darius, novis viribus coactis, poſt triennium, adverſus Græcos *Datim* Medum, & *Artaphernem*, ſuum e fratre Artapherne nepotem, cum ſexcentis millibus militum miſit: ii, in Atticam claſſe profecti, in *Marathoniis campis*, qui duobus milliaribus Athenis diſtant, cum *Miltiade* prælio prius decernere voluerunt, quam Lacedæmonii ſubſidio venirent. Victi Perſæ, ipſo etiam occumbente Date:

cujus cadaver, Perſis petentibus denegatum eſt. Herodotus ſex Perſarum millia, Juſtinus, ducenta, in prælio cecidiſſe memorat. Conſtat autem decem millia Athenienſium, inter quos mille Platæenſes auxiliares erant, ducenta millia Perſarum in fugam egiſſe, rariſſimo fortitudinis exemplo. Nec enim unquam facile tam exigua manus, tantas copias proſtravit; tantaque virtus ſingulorum Athenienſium fuit, ut cujus laus prima eſſet, difficile judicatu videretur. Inter cæteros tamen *Themiſtoclis* adoleſcentis gloria emicuit, quin & *Cynægyri* civis Athenienſis, Æſchyli poëtæ fratris. Qui, poſt prælii innumeras cædes, cum fugientes hoſtes ad naves egisſet, onuſtam navim dextra manu tenuit, nec prius dimiſit, quam manum amitteret; ea amputata, navim ſiniſtra comprehendit: cujus cum ſimiliter abſciſſionem paſſus eſſet, ad poſtremum morſu navim detinuit, &, veluti rabida fera, dentibus dimicavit. Cecidit & Hippias tyrannus, patriæque funeſtum ſpiritum reddidit. Interea loci dum Darius bellum adverſus Græcos, & qui defecerant, *Ægyptios*, reſtaurat, in ipſo apparatu decedit, multis relictis filiis, e quibus *Xerxen*, quem Atoſſa, Cyri Regis filia pepererat, *Artabazani*, licet natu majori, præpoſuit, maternæ dignitatem originis veneratus. Regnavit annos 36.

Res Judæorum.

Judæi, *Haggæo* & *Zacharia* Prophetis adhortantibus, intermiſſam diu ædificationem Templi, rurſus aggrediuntur, & adjuvantibus Duce *Zorobabele*, ac *Joſua* Pontifice, iisdem nempe, qui populum ante 11. annos e Babylone in patriam reduxerant, ſumma contentione

tentione labore hoc defunguntur. Cumq; Perſici vicinarum provinciarum Præſides, ea de re ad Darium ſcriberent, Rex edictum, quod Cyrus olim promulgaverat, inquiri juſſit, eoque invento, Præſidibus reſcripſit præcepitque, ut ædificantibus Judæis non tantum non moleſti eſſent, ſed ſumtibus quoq; neceſſariis ſubvenirent. Sic Templum intra quadriennium, ſexto poſt anno quam Darius regnare cœperat, conſummatum & dedicatum eſt.

Obiter indicandum, multos Eruditorum, iſtam Templi reſtitutionem, referre ad tempora *Darii Nothi*. Verum difficultates Chronologicæ ſimiles, aliam diem, aliud, & in ſtudio hiſtorico jam ſubactum ingenium poſtulant.

Res Romanorvm.

L. Junius, Tarquinii Superbi e ſorore nepos, cum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob divitias & prudentiam fuerat ab Avunculo occiſus, ſtultitiam finxit, unde *Brutus* dictus. Juvenibus regiis Delphos euntibus, deridiculi gratia comes adſcitus, baculo ſambuceo aurum infuſum Deo donum tulit, imaginem ingenii. Ibi, cum quærentibus, quis Romæ deinde regnaturus ſit, reſponſum eſſet, ſumam poteſtatem habiturum, qui primus matrem oſcularetur, ipſe lapſu ſimulato terram oſculatus eſt. Expulſis igitur Tarquiniis in hunc & *L. Tarquinium Collatinum*, tanquam libertatis ſuæ vindices, populus imperium transfert, mutato tamen & jure & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, & ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine vel mora corrumperetur, *Conſulesq;* appellati pro Regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent. Sed

Collatinus, cum Tarquiniorum; quod gerebat; nomen, Romanis odioſum eſſet, ipſe quoque lenitate ſua, qua eos qui de reducendis Regibus conjuraverant, ob ſanguinis conjunctionem impune dimittere voluerat, populum offendiſſet, faſcibus abrogatis Vrbe dimiſſus eſt.

In ejus locum ſubſtitutus eſt *Valerius Poplicola*; Brutus vero filios duos, *Titum* & *Valerium*, ob conſilia de Tarquiniis reducendis, cum eorum Legatis agitata, & per ſervum *Vindicium*, qui libertorum primus civitate ob id donatus eſt, detecta, protractos in forum, virgisque cæſos, ſecuri percuſſit. Et, quia variis modis ſaluti patriæ couſuluit; hinc factum, ut *Junius menſis*, ab eo nomen acciperet. Tandem in prælio adverſus Hetruſcos, Tarquinium reducere molientes, ipſe, & *Aruns* Regis expulſi filius, ſingulari certamine ambo congreſſi; mutuis vulneribus ceciderunt. Poplicola, ob victoriam partam triumphans Vrbem ingreſſus, laudes Bruti ſolemni oratione funebri recitavit, &, ne videretur tyrannidem invaſurus, domum paulo auguſtiorem nocte diruit; faſces populo pro concione ſubmiſit; & jus provocationis ad populum adverſus Conſules dedit. Collegam ſibi adſcivit *Lucretium*, Lucretiæ patrem, cui intra paucos dies morbo confecto, *M. Horatius* ſucceſſit: is Capitolium à Tarquinio pæne abſolutum, dedicavit. *Cenſu* inſtituto, qui toto Tarquinii tempore intermiſſus fuerat, CXXX. millia civium inventa ſunt.

De *Conſulibus Romanis* quædam hoc loco amplius notanda veniunt. Creabantur illi Comitiis Centuriatis, in quibus Populus Romanus centuriatim, ſive per centurias, ſuffragium ferebat: idque factum

die

die 24. Octobris, etſi Magiſtratum demum Kalendis Januarii ſequentibus inibant, ut interea, num quis probe renunciatus eſſet, an malis artibus obrepſiſſet, exploraretur. Legitima Magiſtratus hujus capiendi ætas, erat annus *quadrageſimus tertius*. *Marco* tamen *Valerio Corvino*, *Tit. Flaminio*, *Scipioni*, & *Pompejo*, ob merita, citius contigit. Abſentem creari Conſulem non licuit, nec fas erat ſequente quoque anno dignitatem eandem retinere; quod tamen *Mario*, ob Cimbrici belli molem imminentem, conceſſum. Raro quoque bis aut ter in eundem id muneris collatum, fuitque unius *Marii* proprium, *ſepties* Conſulatum geſſiſſe. Atque hic honos, cum antiquitus non niſi Patriciis obtingeret, communicetus cum plebe eſt A. V. 388. poſt ſeditionem, quo, *L. Sextius*, primus ex plebe Conſul factus eſt. Imo A. V. 621. eo res deducta legitur, ut ex tenore Legis Liciniæ, ambo Conſules plebeji eligerentur: nihilominus plerunque obtinuit, ut Patricius plebejo jungeretur. Principio Conſules tam in judicando, quam in bello gerendo ſummum jus habebant. Poſtea tamen poteſtas tanta ad Senatus autoritatem alligata, & mature *provocatio* a Conſulibus ad plebem, *Lege Valeria* conſtituta eſt. Imprimis poſtquam Tribuni plebis orti, non parum de illorum autoritate deceſſit. *Inſignia conſulum* fuere, Sella Curulis regia ſeu eburnea, in qua jus dicebatur: Trabea ſeu purpurea prætexta; Lictoresque 12. qui alternis menſibus faſces præferebant. Cui primo menſe præferebantur, idque vel propter liberorum numerum, ex lege Julia; vel ob ætatem, vel quia ante Collegam in Comitiis proclamatus erat, *Conſul major* vel *Conſul prior* dictus eſt. Fuit & hoc magnæ exiſti-

mationis, quod cum Romani prius ab Vrbe condita annos, poſtea a Conſulibus illos numerarent. Imo & vini cadi nominibus Conſulum, regionisque in quo creverat, notabantur. Ii qui integrum in Conſulatu annum exegere, *Conſules Honorarii*, item *Ordinarii* vocitati ſunt: reliqui autem, qui vel ſponte munus reſignantibus, vel depoſitis, vel fato ante tempus functis, vel aliam ob cauſam iis, qui annuam dignitatem non geſſerant, ſucceſſere, dicti *Non ordinarii*, vel *Conſules Suffecti*: interim annorum numerus, his, qui initio anni Conſules fuerunt, adſcriptus. Qui aliquando Conſulatum geſſerat, *Conſularis* appellabatur, atque ex Conſularibus electi ſunt Dictatores, Magiſtri Equitum, & Cenſores. Primus *Vitellius*, *Conſulem ſe perpetuum* creavit, & diu Romæ tantum nomen Conſulis uſurpatum; ſucceſſu tamen temporis, etiam ad Proconſules & Municipiorum Magiſtratus translatum eſſe, multæ apud Gruterum inſcriptiones confirmant.

Cæterum, *Lars Porſena* (alii *Porſenna* ſcribunt, ſed altera expreſſio receptior apud antiquos, qui ſecundam corripiunt, uti: *Hanc ſpectare manum Porſena non potuit. Martial. l. 1.*) Rex Cluſinorum in Hetruria, cum Tarquiniorum expulſorum cauſa, Romam infeſto agmine peteret, ac Janiculum montem, cum arce, primo impetu jam occupaſſet, *Horatius Cocles* (ſic dictus, quod in alio prælio oculum amiſerat) pro ponte ſublicio ſtetit, & aciem hoſtium ſolus ſuſtinuit, donec pons a tergo interrumperetur: cum quo in Tiberim decidit, & armatus, ad ſuos transnavit. Vrgebat nihilominus Porſena Romanos, caſtris ad Vrbem poſitis, & omni commeatu intercluſo, fame eos gravi afflixit. Eam ob cauſam

C. Mu-

C. *Mutius*, veſte indutus Hetruſca, caſtra hoſtis ingreſſus, ut Regem interficeret; quem, cum non noſſet, Quæſtorem pro ipſo occidit. Apprehenſus, & ad Regem pertractus, dextram igne exuſſit, hoc ſupplicii a rea exigens, quod in cæde aberraſſet, *Scævola* ideo dictus. A foco cum miſericordia Regis abſtraheretur, quaſi beneficium referens, ait trecentos adverſus eum ſimiles conjuraſſe. Quare ille territus, bellum, acceptis obſidibus, depoſuit. Inter illos *Clœlia* virgo fuit, quæ, deceptis cuſtodibus, noctu caſtris egreſſa, equum quem fors dederat, arripuit, & Tiberim trajecit. Redditæ ſibi virtutem admiratus Porſena, cum quibus optaſſet captivis, in patriam redire permiſit: cui ſtatua equeſtris in foro poſita. Pace cum Romanis inita, Porſena Tarquinium abs ſe dimittit, qui *Cumas* ad *Ariſtodemum* ſe conferens, ibi 14. annos cum uxore privatus exegit, conſenuitque.

Interim Romani per Conſules *Valerium Poplicolam*, *Menenium*, *Virginiumq;*, Sabinos quadrienni bello edomant, & varias Tarquiniorum molitiones & conjurationes compeſcunt. Inter eas fuit *Latinorum* omnium, ad Romam exſcindendam, conſpiratio, quam *T. Largius* primus Dictator creatus, Magiſtro Equitum *Sp. Caſſio*, reſtinxit. Haud multo poſt alius Dictator, *A. Poſthumius*, Latinos ad *Regillum* lacum, acri prælio ſuperat, poſtquam novo & ſolerti aſtu, ipſe ſignum in hoſtes jaculatus eſt, ut curſu peteretur. In acie, inter pugnantes, *duo juvenes*, candidis equis vecti, inſigni virtute apparuerunt, quos Dictator quæſitos, ut dignis muneribus honoraret, non reperit: *Caſtorem & Pollucem* ratus, ædem illis dedicavit.

Quia hoc loco prima Dictatorum fit mentio, notandum, *Dictatorem*, Varrone teſte, ſic dictum, vel quod a Conſule diceretur: vel quod ejus dicto omnes audientes eſſent. Alio nomine *Magiſter populi* eſt appellatus. Erat autem Dictatura ſummus & extraordinarius Magiſtratus, cujus poteſtas ampla admodum & eximia. Dictator enim de bello paceq; agere, exercitus ſcribere, educere, dimittere, omniaq; negotia gerere libere & pro arbitrio poterat, adeo ut nihil horum ad quenquam, ne quidem ad Senatum referret. Itaque non ſolum jus omne duorum Conſulum tranſlatum in unum, ſed & Dictatore creato, cæteri omnes Magiſtratus abdicabantur. Fas illi erat bona civitatemque adimere, animadvertere in vitam & caput civium, idque ſine ulla provocatione. Quia igitur tanta poteſtas Magiſtratus hujus fuit, ideo a Romanis, terminis quibusdam vis ejus, ne exorbitaret, prudenter fuit circumſcripta. Etenim regulariter non niſi *ſemeſtre* voluerunt eſſe illud imperium, ne in tyrannidem ſpatio aut conſuetudine iret. Neceſſitate tamen ita poſtulante, per annum conceſſum *Camillo*, itemque *L. Papyrio Curſori*, & *Q. Fabio Maximo.* Deinde *loco* etiam incluſérunt, nec permiſere Dictatori cum imperio extra Italiam ire, ne procul ab oculis civium & Senatus, res facilius innovaret. *Equi* quoque, niſi in bello, uſum ei interdixere, rati, hac ratione, arrogantiam, ſi qua oriretur, imminui, ipſumq; æqualitatis cum plebe ſectandæ admoneri poſſe. Sed nec ullos ſumtus facere ex ærario, ſine Senatus (cujus convocandi penes eum poteſtas erat) conſulto, vel populi juſſu licebat. Creabatur autem Dictator initio, præcipue cum vis aliqua major, puta ſeditio, aut bellum gravius,

de

de improviſo oborta, ingentem Vrbi cladem minitari videretur. Poſtea paulatim aliis etiam de cauſis Dictatores creari cœperunt, ut clavi figendi, comitiorum habendorum, ludorumque faciendorum, quæſtionis exercendæ, Senatus legendi gratia; & denique quoties aliquo brevi & extraordinario opus erat imperio. Obſervat Dionyſius Halic. l. 5. neminem Dictatorum in Magiſtratu ſe geſſiſſe immodeſte, vulgoque fuiſſe creditum, unicum id eſſe cujusvis inſanabilis mali remedium, & extremam ſalutis ſpem, cæteris deficientibus. Tandem, quadringentis annis a T. Largii Dictatura elapſis, *L. Cornelius Sulla*, primus & ſolus, acerbe ac crudeliter hac poteſtate uſus, effecit, ut tum primum ſentirent Romani, quod ſuperioribus temporibus ignoraverant, Dictaturam poſſe converti in tyrannidem. Hinc factum eſt, ut quemadmodum olim Regnum, propter tyrannidem Tarquiniorum, ita Dictatura, propter odium dominationis Sullanæ, ac deinde & Julianæ, ſub titulo poteſtatis hujus exercitæ, in flagrantiſſimam omnium deteſtationem pervenerit. Atque uti Regnum inſtituto Valerii, ita Dictatura, lege Antonia, ex Repub. in perpetuum quaſi exilium fuit relegata, ut ſic Dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus, conſtanter Auguſtus repulerit. Cæterum, cum Dictatore, perpetuo conjungebatur *Magiſter Equitum*, neque fere unquam alter Magiſtratus ſine altero in Republica fuit. Eligebat autem ipſe Dictator ſibi ejusmodi Magiſtrum, qui in omnibus obediret, non minus quam reliqui: neque aut injuſſu, aut contra edictum iſtius, cum hoſte confligere huic licebat. Quemadmodum vero Dictatori ſummum jus in populum fuit, ita omnes in milites & accenſos, Ma-

giſtro equitum illud competebat. Quod ſi Dictatura ceſſaret, ceſſabat etiam Magiſtri Equitum officium, nec ultera extendebatur.

Latino bello confecto, *Plebs*, a Patribus vexata, trans Anienem, in *Montem Sacrum* ſeceſſit, tributi, uſurarum, militiæque onera incuſans; nec revocari in Vrbem potuit. Eam, *Menenius Agrippa*, recitato de diſſidio ventris & membrorum apologo, Patribus reconciliavit. Conſtitutum tamen, ut Plebi ſui eſſent *Tribuni*, qui libertatem ejus adverſus Nobilitatis ſuperbiam defenderent: quin & mox Patricii quoque, Plebiscitis cœperunt adſtringi.

Tenendum ſedulo, per *Tribunos Plebis* Conſulatum & Senatus poteſtatem vehementer imminutam fuiſſe; & formam quaſi Reipublicæ, ex Ariſtocratica in Democratiam degeneraſſe. Dicti Tribuni, quod *Tribuum Suffragiis* crearentur; curamque Populi, contra Senatum & Conſules agebant. Itaque omnia Senatus conſulta Tribunis cenſenda, excutiendaq; tradita, & ab iisdem aut probata, aut interceſſione ipſorum rejecta ſunt. Præterea Tribuno Plebis, Conſulem, Prætorem, Cenſoremq; in carcerem ducere licebat. In rogandis Plebiſcitis, Patrum aut Senatorum nulli intereſſe jus erat, quodq; omnia ſuperat, nemo ex Tribunis in ordinem cogi poterat; contra ipſi, cui volebant, ſilentium imponebant. Geſtabant purpuram, habebant domos ſuas noctu & interdiu apertas, tanquam portum perfugiumque iis, quibus opitulandum erat, nec integrum illis diem ab Vrbe abeſſe licebat. At mœnibus terminata poteſtas fuit, nec quicquam extra Vrbem valuit. Creabantur Tribuni e plebe, nec Patritiis ad eum honorem aditus initio concedebatur. Poſtea, ſub *Sulla Dictatore*, qui poteſtatem hanc omni-

bus

bus viribus imminuere ſtudebat, Senatores hac quoq; dignitate mactati ſunt. Quin ipſis tandem Imperatoribus, Tribunitiam poteſtatem, quaſi ſummi faſtigii decus, conceſſam, ex Numis ſatis manifeſtum evadit. Is honos, denique ſub Conſtantino M. videtur exſpiraſſe.

Contemporanea Alia.

Æſchylus, Athenienſis, Poëta tragicus, larvas terribiles, & fæcibus inunctas, induere, ac cothurnis uti docuit. Ajunt eum CX. *fabulas* compoſuiſſe. Cum augurio ſenſiſſet, certo quodam die ſe ruina periturum, ex urbe Siciliæ, in qua morabatur, egreſſus, loco aperto conſedit: ſuper quem aquila volitans, teſtudinem, quam pedibus ferebat, in calvum caput ejus, ſplendore illius decepta, tanquam ſuper petram, ut fractæ teſtudinis carne veſceretur, dejecit; quo ictu peremtus eſt.

Pindarus, Poëta Thebanus, Lyricorum apud Græcos princeps, Æſchyli æqualis temporum fuit. Puerum, a parentibus expoſitum, apes aluerunt. Scripſit Dorica dialecto longe plurima, ſed præter *Nemon*, *Olympia*, *Pythia*, & *Iſthmia*, nihil ſupereſt. Sublimis eſt verborum ac ſententiarum copia, unde Horatius eum *inimitabilem* eſſe aſſeruit. Lacedæmonii in reliquam Bœotiam ſævientes, Thebis, in Pindari gratiam, pepercerunt. Alexander quoque Magnus tantum ei tribuit, ut cum Thebas everteret, ac in omnes ſine diſcrimine ſæviret, anno 130. poſt Poëtæ mortem, illius penatibus, familiæque parci juſſerit. Cum petiiſſet a Diis, ut pulcerrimum ſibi in vita daretur, ferunt, ipſum ſubito mortuum eſſe in theatro, ſuper genua *Theoxeni* pueri adamati.

Hera-

Heraclitus, Philoſophus Epheſius, ſcripſit *librum de Natura*, in quo conſulto obſcurus fuit, unde σκοτεινὸς i. e. *tenebricoſus* dictus eſt. De hoc memoriæ proditum, ipſum, quoties domo egrederetur, flere ſolitum, cum *Democritus* contra, coævus, ſoleret ridere, propterea, quod alteri, omnia quæ homines agerent, miſeriæ, alteri, ineptiæ viderentur. Vergente in ſenium ætate, in hydropem incidit Heraclitus, cumque ſpretis medicis, fimo bubulo corpus oblevisset, & ad Solem ſe ſiccaret, dormientem canes dilacerarunt.

Hippocrates, Cous. Hunc Seneca medicorum ſummum, & ſcientiæ medicinalis conditorem appellat. Galenus, Hippocratis ſententias, ut Dei vocem habendas pronunciavit. Paternum genus cum Æſculapio, maternum cum Hercule commune habuit. Produxit vitam ad 104. annos, & 53. libros reliquit.

XERXES.

Xerxes, Ægyptum, quæ a Patre defecerat, ſecundo regni anno recepit, arctiorique adſtrinxit ſervitio, fratre *Achæmene* illi præpoſito. Deinde, paternas clades ulturus, *bellum adverſus Græciam* totis inſtauravit viribus, cui currenti calcar addebat *Mardonius*, Darii ex ſorore nepos, qui in avunculi expeditione, rem geſſerat infeliciter. Primum Xerxis opus fuit, ut *Athon* montem, toto longe dorſo in pelagus procurrentem, qua continenti adhærebat, perfoderet, fretoq; navigabili pervium faceret. Erat exul apud Xerxen *Demaratus* Rex Lacedæmonius, quem *Cleomenes* velut ſpurium, quod ſeptimeſtris fœtus eſſet, regno dejecerat, ſubſtituto *Leotychide*.

Is,

Is, poſt exilium, patriæ amicior, quam Xerxi poſt beneficia, ne inopinato bello cives opprimerentur, omnia belli conſilia Spartanis Magiſtratibus in tabellis ligneis perſcripſit, quas cera ſuperinducta delevit: earumque legendarum rationem, hærentibus viris, ſola Leonidæ ſoror inivit. Jam vero Xerxes ſeptingenta millia de regno armaverat; & trecenta millia de auxiliis, exceptis lixis & calonibus, claſſiariis item militibus, qui ter mille amplius navibus vehebantur; copiasque ſuas, quia numero non potuit, ſpatio menſus fuerat; ut non immerito proditum ſit, flumina ab exercitu ejus ſiccata, montes in planum ductos, convexa vallium æquata, maria quædam pontibus ſtrata, omnemque Græciam vix multitudinem capere potuiſſe. Herodotus ultra ter vicies centena millia fuiſſe prodit. Sed tanto agmini dux defuit. Enim vero, Expeditionem haud ex voto ceſſuram, *oſtenta* prædixerunt. Cum Sardibus Xerxes moveret, interdiu, cœlo ſereno, Sol atris & horrendis tenebris obſcuratus eſt, quæ ſubito noctis imaginem attulerunt, & ſtellas cœlo hærentes, conſpicuas reddiderunt. Hoc portento territus *Pythius*, quinque filiorum pater, unius vacationem a Rege petivit. Rex, quem vellet, eligere cum permiſiſſet, pater electum in partes distraxit, & in utroq; viæ latere poſuit, ut hac victima exercitum luſtraret. Similiter fertur *Equam* in caſtris Perſarum leporem edidiſſe, quo partu haud dubie fuga Xerxis, velut in imagine picta eſt. Cæterum in itinere Xerxis, omnia Aſiæ templa flammis data, excepto Dianæ Epheſiæ. *Theſſali*, *Dolopes*, *Locri*, *Thebani*, aliique Græciæ populi, per legatos in deditionem accepti. *Theſpii* & *Platæenſes* ſoli e

Bœo-

Bœotiis, cum reliquis, qui in ſui defenſionem intenti erant, fœdus percuſſere. Quippe, *Athenienſes*, autore *Themiſtocle*, quicquid Græciæ ſupererat, pro communi libertate erexerunt, tantaq; animorum magnitudo fuit, ut *Gelonis* potentiſſimi Siculorum principis, ſocietatem, ob conjunctam imperandi ambitionē ſpernerent, & deditionis faciendæ autores lapidibus obruerint.

Primam Claſſi Xerxis cladem, cœlum ipſum intulit, ſubverſis procellarum vi, ad *Magneſiam*, Theſſaliæ regionem, navibus quadringentis. Alteram, copiis pedeſtribus Lacedæmonii, qui, *Leonida* duce, Thermopylarum anguſtias occupaverant. Hi enim triduana pugna, cum hoſtes innumeros ſuſtinuiſſent, ad poſtremum, diſcedentibus aliis Græcis, circumventi, nec tam victi, quam vincendo fatigati, inter ingentes ſtratorum Perſarum catervas, occubuerunt. Viginti Perſarum millia, a trecentis Lacedæmoniis, paucisque numero ſociis, fuere jugulata. Eadem die pugnatum ad *Artemiſium*, oppidum Eubœæ Inſulæ, æquo fere Marte, niſi quod iterum naufragio complures Xerxis naves periere. Sed hæc detrimenta confluxus vicinarum gentium facile reſarſit. Quartam vero cladem, eamque maximam, Xerxes ad *Salaminam* Inſulam accepit. Athenienſes, Themiſtocle autore, urbe ſua exceſſerant, navibus ſe ſuaque omnia imponentes. Perſæ interim *Athenas*, *Theſpias*, *Platæas*, vacuas hominibus nacti, incenderant. Adunata Græcorum claſſis trecentarum navium, anguſtias Salaminii freti tenebat, ibique fortunam maris Themiſtocles experiendam ſuadebat, quod in arcto pugnare Græcis ſalutare judicaret, ne circumveniri a multitudine poſſent. Jungit conſilio dolos. *Jonas*, pro quibus ſub Dario cœptum

ptum bellum fuerat, literis lapidibus inſcriptis, dubiæ fidei reddidit: Xerxi, ſimulata proditione, perſuadet, ut prælium ineat antequam Græci dilabantur. Metuebat enim, ne ſociis ad ſua tuenda feſtinantibus, vires Grajorum minuerentur. Interea Rex, velut ſpectator pugnæ, cum parte navium in litore remanet. *Artemiſia* autem, Cariæ Regina, quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primos Duces bellum acerrime ciebat; prorſus, ut in viro muliebrem timorem, in muliere contra virilem audaciam quis cerneret. Fit atrox prælium & anceps, in quo Jones, juxta præceptum Themiſtoclis, paulatim ſe pugnæ ſubtrahere cœperunt, quorum defectio animos cæterorum fregit. Ergo vertuntur in fugam Perſæ; in qua trepidatione, captæ naves multæ, multæ merſæ, plures, non minus ſævitiam Regis, quam hoſtes metuentes, domum dilapſæ. Hac clade perculſum, & dubium conſilii Xerxen, Mardonius aggreditur: hortatur in regnum abeat, ne quid ſeditionis moveat fama adverſi belli, in majus, ſicuti mos eſt, omnia extollens: ſibi trecenta millia armatorum, lecta ex omnibus copiis relinquat; qua manu, aut cum gloria ejus perdomiturum ſe Græciam, aut, ſi aliter eventus ferat, ſine ipſius infamia, hoſtibus ceſſurum. Probatur conſilium, Mardonio exercitus traditur; reliquas copias Rex ipſe in regnum reducere parat. Sed Græci, audita Regis fuga, conſilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille ad *Abydum* urbem, in ora Boſphori, fecerat; ut intercluſo reditu cum exercitu deleretur. Sed Themiſtocles, timens ne intercluſi hoſtes, deſperationem in virtutem verterent, & iter, quod aliter non pateret, ferro aperirent, a propoſito eos deſiſtere jubet. Cum vero

conſilio vincere cæteros non poſſet, Xerxem per ſervum, quid Græci agitent, certiorem facit. Ille perculſus nuntio, fugam maturat, & Ducibus milites ad perducendum tradens, cum paucis Abydum contendit. Vbi cum ſolutum pontem hibernis tempeſtatibus offendiſſet, piſcatoria ſcapha trajecit. Nec pedeſtribus copiis, quas Ducibus aſſignaverat, felicius iter fuit. Siquidem quotidiano labori etiam fames acceſſerat, multorumque deinde dierum inopia; contraxerat inſuper peſtem: tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur; alitesque & beſtiæ, illecebris ſolicitatæ, exercitum ſequerentur. Interim *Artabazus*, in Macedonia *Olynthum* expugnat. *Mardonius*, cum Athenienſes fruſtra in Regis amicitiam ſolicitaſſet, urbis eorum incenſæ in majus reſtitutionem pollicitus, in *Bœotiam* copias ducit, Thebanorum fretus commilitio. Græci, coacto centum & decem millium exercitu, Duce Lacedæmoniorum *Pauſania*, Cleombroti; Athenienſium, *Ariſtide*, Meoclis filio, *Maſiſtium* equitatus Perſici Præfectum, in conflictu interimunt. Inde commiſſo ad *Platæas* prælio, univerſam Perſarum ſociorumque Græcorum aciem profligant, aufugiente velut ex naufragio, cum 40. millibus, Artabazo. Cecidit Dux ipſe *Mardonius*: caſtra, referta Regalis opulentiæ, capta, ſplendidiſſima Græcis victoria data; quos, diviſo inter ſe auro Perſico, divitiarum tum primum luxuria invaſit, victoribus tandem ipſis exitialis.

Eodem die, in *Jonia*, ſub monte *Mycale*, adverſus Perſas dimicatum, *Leotychide* & *Xantippo* ductoribus. Perſarum plus 40. millia cecidere. Ante congreſſionem, cum Claſſes ex adverſo ſtarent, fama, velo-

velocitate incredibili, ad utrumque exercitum venit, viciſſe Græcos in Bœotia, & Mardonii copias occidione occidiſſe. Poſt hæc Xerxes, cum ultra 20. annos imperium varia fortuna geſſiſſet, ab *Artabano*, corporis cuſtode, in cubiculo ſuo clam interfectus eſt.

RES JVDÆORVM.

Vix ullus eſt Rex Perſarum, non ipſe Cyrus, aut filius ejus Cambyſes, cui non *Eſtheram*, Virginem Judæam, aliquis ex Interpretibus conjugem aſſignet. Major tamen pars, hanc Xerxi nupſiſſe contendit. Et vero convenit nomen *Xerxes*, cum nomine *Achsvers*; convenit nomen *Ameſtris* Xerxianæ, cujus mentio fit apud Herodotum & Cteſiam, cum nomine *Eſther*; convenit amplitudo regni ab India ad Æthiopiam usque protenſi; ut & regia Perſarum Suſa: convenit annus tertius regni, quo poſt Ægyptios devictos, Principes Perſarum Xerxes convocavit, de bello Græciæ inferendo deliberaturus, convivium regale iis apparans, in quo *Vaſti* Regina fuit repudiata: convenit annus ſeptimus imperii Xerxis, quo, Eſtherem, poſt reditum e Græcia, conjugem adſcivit. Sic ergo dicendum, fuiſſe in aula Xerxis, *Hamanum*, Amalecitam, hominem faſtus intolerandi. Eum Rex ad ſupremos honores evectum, regia adoratione coli præceperat. At *Mardochæus*, natione Iſraëlita, divini quam humani juris obſervantior, profanum hominem, &, de gente Hebræis execrabili oriundum, nullo cultu proſequebatur. Ob id invſus Hamano, ſe ſuosque gentiles univerſos, prope exitium eſſe intellexit. Hamanus enim a Rege edictum impetraverat, quo Judæi omnes ſtato die necari debebant. Atque id factum eſſet, niſi Eſther,

Xerxis conjux, malum interceſſione ſua avertiſſet. Ejus enim erga Deum pietate, apud Regem precibus, præſentiſſima a Judæis clades in caput machinatoris retorta, Mardochæo ſecunda a Rege dignitas, hoſtibusque Hebræorum pernicies procurata eſt, e quibus 75. millia fuere trucidata. Ipſe *Hamanus*, cum decem filiis, in patibulo 50. cubitos alto, quod Mardochæo paraverat, fuit ſuſpenſus. Ob hanc liberationem inſtitutum eſt *Feſtum Purim*, ſeu *Sortium*, annua feſtivitate celebrandum.

Res Romanorvm.

C. *Marcius*, a captis *Coriolis*, urbe Volſcorum, *Coriolanus* dictus, cum Conſul crearetur, ex Sicilia, quod *Gelon* Rex vendiderat, advectum frumentum, plebi Romanæ magno pretio vendi volebat, ut egeſtate coacta, agros, non ſeditiones coleret, ac ut Patres jus priſtinum, abrogatis plebejis Magiſtratibus, reciperent. Sed plebs, redintegrato tumultu, eum in exilium ejecit. Ille ad *Volſcos* hoſtes abiit, & receptus, atque contra patriam Dux conſtitutus, multis urbibus expugnatis, ipſam denique Romam exercitu infeſto petiit. Cumque nullis civium legationibus flecteretur, a *Veturia* matre, & *Volumnia* uxore, matronarum turba comitatis, motus, bellum omiſit. Dum autem exercitum domum reducit, a Volſcis ut proditor reprehenſus, lapidibus obruitur. Romæ contra, *Muliebri Fortunæ*, ob ſalutem Vrbi a fœminis partam, Templum exſtructum eſt.

Volſcos bellum reparantes, præcipue *L. Quinctius Cincinnatus* domuit; ille ab aratro Dictator. Qui, obſeſſa, ac pæne jam capta *M. Minucii Conſulis* caſtra, egre-

egregia virtute ſervavit. Medium erat forte ſementis tempus, cum innixum aratro ſuo, miſſi Legati in ipſo opere deprehendunt, & Senatus Populique Romani nomine *Dictatorem* ſalutant. Quamobrem in aciem profectus, ne quid a ruſtici operis imitatione ceſſaret, victor, victos more pecudum ſub jugum miſit. Sic expeditione finita, & triumpho acto, *ſexto decimo die* Dictaturam depoſuit, rediitque ad boves ſuos laureatus agricola.

Circa hæc tempora *Sp. Caſſius Viſcellinus Conſul*, *Legem Agrariam* promulgavit; qua jubebantur agri publici, bello parti, populo viritim dividi. Et quanquam paulo poſt, Sp. Caſſius, quod ſub ſpecie illius legis, ac ob largitiones alias, poteſtatem invadere velle videretur, regni affectati damnatus, & de rupe præcipitatus eſt, Lex tamen Agraria, perpetuo cum a Tribunis plebis, tum maxime poſtea a Gracchis fratribus urgebatur, & quidem nunquam ſine maximis motibus.

Cum adverſus *Vejentes* bellant Romani, *familia Fabiorum* illuſtris, hoſtes ſibi privato nomine depoſcit: profecti treceenti ſex, aſſumtis clientibus, Duce *Fabio Conſule*, ſæpe victores, ad *Cremeram* fluvium caſtra poſuerunt. Vejentes vero ad dolos converſi, pecora ex adverſo in conſpectu illorum agunt. Ad quæ progreſſi Fabii, & in inſidias delapſi, univerſi occiſione perierunt. Vnus ex ea gente, propter impuberem ætatem domi relictus, genus propagavit. Hoc tamen poſtremum, merito in dubium vocat Dionyſius Halicarnaſſæus; cum veriſimile non ſit, trecentis & ſex bellatoribus, unicum tantum fuiſſe infantem filium.

Contemporanea Alia.

Artemiſia, Cariæ Regina, *Mauſolum* virum, ultra affectionis humanæ fidem amaſſe fertur. Namque ejus defuncti cinerem, & oſſa contuſa, aquæ indidit, ebibitque. Conſervandæ memoriæ molita eſt ſepulchrum ingentis operis, dignum habitum, quod inter ſeptem omnium terrarum miracula numeraretur. Amplius præmium propoſuit illi, qui in eo laudando viciſſet, idque *Theopompus*, Iſocratis diſcipulus, conſecutus eſt. Xerxi contra Græcos in exilium venit. Hanc *Amineus Pallenæus*, Atticæ navis trierarchus conſectabatur, non prius quieturus, quam aut illam cepiſſet, aut ipſe captus eſſet. Quippe trierarchis Athenienſium præceptum erat ut eam caperent, conſtituta 10000. drachmarum mercede ei, qui vivam nanciſceretur: quod indigne ferrent Athenienſes, mulierem adverſus ſe militare. Sed illa, prudentia ſua evaſit.

Gelon, Siculorum tyrannus, Pœnos ſuaſu Xerxis, miſſo *Amilcare*, *Magonis*, qui imperium Pœnorum condiderat, filio, cum trecentorum millium copiis, bellum ſibi inferentes, ad *Himeram*, Siciliæ fluvium, vincit. Amilcar, dum ſacris operatur, ad aras ſuas obtruncatur. Poſt Gelonem frater ejus *Hiero*, Catanenſis coloniæ conditor, rebus præfuit. At *Thraſybulum* alterum fratrem, improbiſſime dominantem, Siculi armis expulerunt: qui, *Locris*, Brutiorum in magna Græcia urbe, privata in domo conſenuit. Sic Sicilia in libertatem ſe vindicavit.

Athenienſes, reductis e Trœzene ac Salamine uxoribus liberisque, urbem flammis abſumtam, de integro condere, mœniaque majora excitare moliuntur. *Lacedæmonii*, ſpei urbis invidentes, dehortantur

ab

ab incepto; & ſpreti, pro imperio agunt. Ibi *Themiſtocles*, legatus Spartam proficiſcitur, diemque de die proferendo, ſpatium conſummando operi civibus quærit & obtinet. Confectis muris, Senatum Lacedæmoniorum adit, liberrime profeſſus, communi jure gentium factum, quod feciſſent Athenienſes: quare ſi ſuos Legatos, quos Athenas miſerant, recipere vellent, ſe remitterent, aliter illos nunquam in patriam redituros. Inde Athenas dimiſſus, portum *Pyræum* condit, cives ad rei nauticæ ſtudium accendit, inquilinis & artificibus immunitatem impetrat.

Pauſanias, Dux Spartanus, infideliter agit cum Græcis; ſpe filiæ Xerxis potiundæ. Ejus proditionis conſilia, *Ariſtides* Collega diſcuſſit. Non quieſcens Pauſanias, proditur ab *Argilio*, cui literas in Perſiam perferendas tradiderat. Cum autem Ephori ipſum denuo comprehenſuri eſſent, confugit in templum Palladis; in quo fame necatus eſt, matre *Alcithea* ad illud obſtruendum lapides afferente. Lacedæmonii deinde, cum Themiſtoclem conſiliorum Pauſaniæ ſocium eſſe Athenienſibus nunciaſſent, fugit *Themiſtocles* ex Peloponneſo in Corcyram, inde in Epirum ad Regem Moloſſorum *Admetum*, cujus filium manu tenens, Regis gratiam imploravit. Sed cum Admetus diutius eum defendere non poſſet, in *Pydnam* miſſus eſt, ut inde in Aſiam trajiceret. Quo delatus, & per *Artabanum* aditum ad Regem *Artaxerxem Longimanum* nactus, proditionem patriæ eſt pollicitus. Quam, cum Regis juſſu jam præſtare deberet, *Magneſiæ*, ubi aliquandiu ſecurus vixerat, hauſto tauri ſanguine, voluntariam mortem obiit.

Iſocrates, Orator Athenienſis, dulcis & numeroſus in dicendo fuit. Cicero in Bruto magnum Oratorem & perfectum magiſtrum appellat. Tenemus aliquot ejus *Orationes*. Quidam inedia quatriduana extinctum ajunt, audita Athenienſium clade ad Chæroneam accepta, cuiupereſſe noluit.

Epicharmus, Pythagoræ auditor, & Philoſophus ac Poëta Comicus fuit. Multas *Comœdias* ſcripſit, quas Plato in ſuum uſum convertiſſe dicitur.

Pericles, Athenienſis, Remp. 40. annis gubernavit, pollebat enim autoritate & eloquentia, unde *Olympius* dictus eſt, quod tonare in concionibus, & fulmen ciere videretur. Suggeſtum aſcenſurus, Diis vota faciebat, ne verbum ſe imprudente aut invito efflueret, quod ad Remp. minus pertineret. Obiit peſte.

Sophocles, Athenienſis, poëta Tragicus. Huic tanta erat ſuavitas, ut *apis*, item *Siren Attica*, cognominaretur. Æqualis Periclis fuit, ejusque aliquando in Prætura, collega. *Tragœdiam* ad perfectionem perduxit, & primus *choros* ex 15. juvenibus introduxit, cum antea 12. tantum exhiberentur. Scripſit *Elegiam*, & *Pæanas*, *fabulasq; complures*. Annorum fere centum, *Oedipodem* tragœdiam compoſuit: cumque rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus, rogantibus, ut illum, quaſi deſipientem, a bonorum adminiſtratione judices removerent. At patre partem Oedipi, quam tum in manibus habebat, recitante, & quærente, num illud carmen deſipientis videretur? filii cum ignominia rejecti ſunt. Victorias 23. reportavit Sophocles, quarum poſtrema, cum præter ſpem illi contigiſſet, repentino gaudio exſpiravit.

Euri-

Euripides, Athenienſis, Poëta Tragicus fuit clariſſimus, de quo ſic Cicero ad Tyronem: *Euripidi quantum tu credis neſcio, ego certe ſingulos ejus verſus, ſingula teſtimonia puto.* Scripſit *Fabulas* 75. e quibus 5. victoriam reportarunt, 19. ad nos pervenerunt. Cum in Macedonia apud *Archelaum* Regem eſſet, utereturque eo Rex familiariter, rediens nocte ab ejus cœna, a canibus, quos quidam æmulus immiſit, dilaceratus eſt, ac ex vulneribus diem obiit ſupremum. Memoriam Macedones eleganti ſepulchro honorarunt. Ad ejus oſſa petenda cum Legati Athenis miſſi eſſent, maximo conſenſu Macedones in ea re deneganda perſtiterunt.

MILLLENARII IV.

SECVLVM VI.

ARTAXERXES LONGIMANVS.

ARtabanus, cum Xerxen peremiſſet, ſeptem robuſtiſſimis filiis adjutus, in ſpem regni adductus, *Artaxerxi* filio Regis, juveni admodum perſuadet, a *Dario* fratre majore, quo maturius regno potiretur, eſſe occiſum patrem, eumque impellit, ut parricidium, quod comm'iſſe illum credebat, parricidio vindicaret. Dein cum unus Artaxerxes obſtare videretur, quo minus voto potiretur, de eo quoque e medio tollendo conſilium init; aſſumto in ſocietatem *Bacabaſo*, qui, præſenti ſtatu contentus, rem prodit Artaxerxi; ut pater ejus occiſus; ut frater falſa parricidii ſuſpicione oppreſſus; ut denique ipſi pararentur inſidiæ. His cognitis Artaxerxes, verens Artabani numerum filiorum, in poſterum diem paratum eſſe exercitum jubet, recogniturus, & nume-

rum militum, & in armis induſtriam ſingulorum. Itaque cum inter cæteros, & ipſe Artabanus aſſiſteret, Rex ſimulat ſe breviorum loricam habere, jubetque Artabanum ſecum commutare. Exuentem ſe, & nudatum, gladio trajicit: tum & filios corripi necarique jubet. Artaxerxes hic, cui ab altera manu longiore, *Longimani* cognomentum inditum, regnavit annos 40. ac per omne illud tempus, id operam dedit, ut regnum, quod per tot bella turbulentum admodum nactus erat, in melius reſtitueret. Defecerat ab eo *Ægyptus*, & Præfectis Perſicis ejectis, Pſammetichi filius *Inarus*, Rex creatus, ab Athenienſibus auxilia accerſivit. Artaxerxes igitur trecenta millia miſit adverſus Ægyptios, ſed illa virtute Græcorum ſunt profligata. Miſit altera vice *Artabazum* & *Megabyzum*, cum trecentis navibus, & trecentorum millium copiis, ac Ægypto iterum potitus, Inaro in crucem acto, Græcos, ob virtutem incolumes dimiſit: qui ante, ſingulari conſilio, claſſem ſuam combuſſerant, ne deſtituta, hoſtibus uſui foret. Poſt aliquot deinde annos, *Cimon* Athenienſium Dux, Miltiadis filius, cum Claſſe 200. triremium in *Cyprum* transmiſit, & navali primum certamine *Artabazum*, deinde pedeſtri *Megabyzum*, Præfectos Perſicos vicit, & res tam proſpere egit, ut Artaxerxes de pace Athenienſes ſolicitare cogeretur. Ea conceſſa eſt, tali conditione, ut Græcæ per Aſiam urbes, liberæ eſſent, & ſuo jure fruerentur, ac, ut Satrapæ, maris Jonii navigatione abſtinerent.

RES JUDÆORUM.

Artaxerxes, ſeptimo Imperii anno, in Judæam ablegat *Eſram* Sacerdotem, Serajæ Pontificis filium,

rei

rei divinæ peritiſſimum, ſcribarum & Legisperitorum Magiſtrum, quem diplomatis inſtruxit, quibus Hebræis omnibus facultas in patriam revertendi dabatur, ſuisque utendi legibus: donis quoque illum inſtruxit ampliſſimis: nec minus Præſides provinciarum juſſit conatus ejus adjuvare omnibus opibus & copiis. Sic ergo collapſam Rempublicam reſtituit Eſra, quantum poterat. Namque officia Eccleſiaſtica diſtribuit; vaſa uſibus divinis deſtinata conſecravit; feſta ſolemnia celebravit; jejunium & pœnitentiam indixit; populum a conjugiis alienigenarum repurgavit; Cuthæos ſeu Samaritanos rejecit; conſuetudini inveteratæ plures uxores ducendi, & legitime junctas leviculas ob cauſas repudiandi, ſe oppoſuit, omniaque ad præſcriptum divinæ legis componere tentavit. Hujus etiam Legis, *Sabbaticam Lectionem* introduxit, juſſitque ut in Synagogis prælegeretur primo textus Hebraicus, deinde explanaretur lingua Chaldaica, quæ erat populo vulgaris, ex Babylonia allata.

Euſebius, Tertullianus, aliique Patrum tradunt, *Eſram S. Scripturæ libros, a Chaldæis una cum Templo exuſtos, ope Numinis reſtituiſſe*; quod fidem tamen non meretur: tum quia Chaldæi, Templo licet combuſto, omnia quæ in tota Judæa, & reliquo terrarum Orbe extabant exemplaria, comburere non potuerunt: tum quia Danielem habuiſſe librum Jeremiæ, ex vaticiniorum ejus c. IX. 2. liquet: tum, quia prophetiam Eſaiæ Cyro oſtenſam Joſephus memorat. Libros tamen Scripturæ, una cum Viris Synagogæ magnæ, in ordinem eum redegiſſe; integritati reddidiſſe, &, in partes, ac capita diſtinxiſſe, evadit probabile.

Porro Hieronymus *Præfat.* in lib. Reg. ſcripſit: *Certum eſt, Esdram Scribam, legisq; doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, alias reperiſſe literas, quibus nunc utimur; cum ad illud uſq; tempus, iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Verum, an hæc ita ſe habebant, Eruditi diſputant, & adhuc ſub Judice lis eſt: atque adeo negativa verior videtur.

Eſræ legationem excepit decimo quarto poſt anno *Nehemias*, Pincerna Artaxerxis, qui Præfecturam Judææ conſecutus eſt, & poteſtatem muniendi Hieroſolymam: eam Perſarum Reges hactenus denegaverant, priſcam Judæorum potentiam; ac Hieroſolymæ rebellionem animo reputantes. Maturavit opus Nehemias, & magna celeritate muros abſolvit, dignus, novus pater patriæ, & Hieroſolymæ conditor nominari.

Nehemiæ fidus aderat collega *Malachias*, Prophetarum Hebræorum ultimus; qui Sacerdotes & Populum, ad priſca Dei inſtituta reformavit, ac Meſſiam, eique præmittendum legatum, exſpectare juſſit. Tunc præter minores, in Vicis & Vrbibus Magiſtratus, quos Judices tres, aut tres & viginti, pro loci nempe amplitudine, componebant, conditum *Synedrium Majus*, ſive Senatus ampliſſimus Hieroſolymitanus, cujus LXXI. membra erant, ac qui ſummam gerebat curam Reipublicæ. Illius, ſecundum Talmudiſtas ac Maimonidem, *forma* talis erat: Sedebat in medio Præſes, *Hannaſi* dictus; illiq; ad dextram aſſidebat Senatorum primarius, quem *Av Bet Din* vocabant; qui præſide abſente, vices illius gerebat. Hi duo ſoli ſedebant, nonnihil a cæteris Membris ſejuncti: reliqui 69. quaſi ſemicirculum

lum conſtituebant, ut duo iſta capita in omnes poſſent intueri. Aderant & bini Scribæ, qui verba abſolventium & condemnantium in ſcripturam redigebant.

Res Romanorvm.

Anno trecenteſimo & altero ab Vrbe condita, imperium Conſulare ceſſavit, & *Decemviri* lecti ſunt, in quos poteſtas omnis Conſularis translata, totius populi conſenſu. Ab his multa ſalubriter ordinata fuere, ac miſſi ab iis *P. Poſthumius*, *Servius Sulpitius Camerinus*, & *A. Manlius* Athenas Legati, æquiſſimas Solonis leges deſcripturi. Iis poſt biennium reverſis, & in Collegium Decemvirorum adſcitis, confectæ ſunt *XII. Tabulæ*, omnis, ceu Livius prædicat, publici privatique juris fons: & quarum Fragmenta ſuperant. Juris Civilis Gloſſa, ad Digeſtorum de Origine Juris titulum, feſtiva eſt. Narrat enim Græcos, antequam Leges ſuas Romanis concederent, miſiſſe Romam quendam Sapientem, ut exploraret, num digni ſint Romani legibus ſuis. Is, cum Romam veniſſet, Romani cogitantes quid poterat fieri, quendam ſtultum ad diſputandum cum Græco poſuerunt, ut ſi perderet, tantum deriſio eſſet. Græcus Sapiens, nutu diſputare cœpit, & elevavit unum digitum, Deum ſignificans. Stultus, credens, quod vellet eum uno oculo excæcare, elevavit duos, & cum eis elevavit etiam pollicem, ſicut naturaliter evenit, quaſi cæcare illum vellet utroque. Græcus autem credidit, quod Trinitatem oſtenderet. Item Græcus apertam manum oſtendit, quaſi oſtenderet omnia nuda & aperta Deo. Stultus autem timens maxillatam ſibi dari, pugnum clauſum, quaſi repercuſſurus, levavit. Græcus intellexit, quod Deus omnia clauderet palma, & ſic cre-

credens Romanos dignos legibus, receſſit, & leges iis concedi fecit in civitate Athenarum & Lacedæmonum.

Cæterum Decemviri, cum primo anno bene egiſſent, ſecundo corruperunt Rempublicam. Tertio, protracta ſine autoritate Senatus & populi poteſtate, omnium a ſe bonorum animos alienarunt. Nec Patribus conſilium, nec Plebi libertas erat reliqua; melior Senatus pars Vrbe excedebat, optimi quique bonis exuebantur. Convenerat autem inter Decemviros, de non habendis Comitiis, ſed perpetuo retinendo imperio, nec quoquam alio ad id admittendo, rebusque omnibus ex arbitrio adminiſtrandis. Cœpit tum *Appius Claudius*, primus inter Decemviros, virginem quandam pulcherrimam, atque jam alteri deſponſatam, *Virginam* nomine, *L. Virginii Centurionis filiam*, deperire. Cum vero ejus pudicitiam, neque precibus neque muneribus expugnare poſſet, audaciore ratione voto potiri ſtatuit, ſubornato quodam *Marco Claudio*, cliente ſuo, qui virginem e ſua ancilla natam, & poſtea a Virginii uxore ſuppoſitam mentiretur, eamque ſibi, quod partus ventrem ſequatur, reſtitui poſtularet. Non fuit difficile M. Claudio tale facinus aggredi, ipſo Appio Claudio futuro judice; a quo etiam Virginia ei fuit adjudicata. Hujus rei fama, cum in caſtra, in quibus Virginius agebat, perveniſſet, Romam continuo advolat, cumque a Magiſtratu impetraſſet, ut filiam antequam in ſervitutem abduceretur, ultimis amplexibus ſalutare liceret; & ſoli cum ſola colloqui quæ vellet; ille, cum ad officinam coquinariam appropinquaſſet, abreptum a menſa cultrum, filiæ per viſcera adegit, hoc ſolum effatus: *Li-*

beram

beram te, pudicamq;, filia, ad majores ſub terram demitto. Poſt cædem patratam, in caſtra revertitur, corpore adhuc cruentatus, & cultrum coquinarium manu vibrans. Ibi, re militibus expoſita, omnium animos a Decemviris, jam ante inviſis, facili negotio alienavit.

Hinc ingens tumultus ſtatim coortus, *Seceſſioq; ſecunda* plebis Romanæ tum fuit facta, primum in montem Aventinum, & deinde in Sacrum, donec per *M. Horatium*, & *L. Valerium*, datis & acceptis certis conditionibus, inde fuit revocata. In his maxime illæ erant, ut Decemviri magiſtratum ejurarent, & Senatus ac Tribuni plebis reſtituerentur. Sic creati *M. Horatius* & *L. Valerius Conſules*, qui, in tollendo Decemviratu plebi operam præſtiterant gratiſſimam. Mox accuſati *Appius*, & *Oppius*, Decemviri, & in carcerem deducti, judicium morte præveniunt, reliqui antequam ad plebem deferrentur, exilio ſolum verterunt: quamobrem bona eorum publicata fuere. Hac ratione, quod Livius ait, non finis ſolum idem Decemviris, qui Regibus, ſed cauſa etiam eadem imperii amittendi.

Haud multo poſt, non contenta libertatis incremento plebs, honores ſibi cum Patribus æquari poſtulat, pervincitque tandem, ut *miſcerentur Patriciorum & Plebis connubia*, atque ut *Tribuni Militares conſulari imperio*, ex Patriciis & Plebe promiſcue fiant. Electi A. V. 310. *A. Sempronius*, *L. Attilius*, & *T. Clœlius*, omnes Patricii. Sic ergo rurſus mutatus eſt Reipublicæ ſtatus, & ab hoc tempore alternatum eſt, nunc Tribunis Militum conſulari poteſtate, nunc Conſulibus Remp. adminiſtrantibus, ceu Faſti Capitolini in liquida veritate ponunt. Erant

autem

autem *Tribuni hi Militares*, nulli fere alii, quam Conſules; niſi quod hoc nomine haud inſignirentur, & præterea quod plures eſſent quam duo, & quos, cum Tribunis Militum, qui militiæ erant, confundere minime oportet. Horum enim poſtremorum officium erat, exercitui præeſſe, milites in caſtris continere, eosdem ad exercitationem producere, claves portarum ſuſcipere, vigilias interdum circuire, querelas commilitonum audire, delicta ſecundum ſuæ autoritatis modum caſtigare, & frumentationes obſervare. Cæterum Tribuni Militares Conſulari poteſtate, non eodem ſemper numero creabantur. Initio, ceu dictum eſt, tres fuere lecti; deinde quatuor, mox ſex, demum octo facti ſunt. Creabantur ex Patribus & Plebe promiſcue, licet Plebs hoc ſero demum uſurpaverit, contenta, quod ſui habita eſſet ratio.

CONTEMPORANEA ALIA.

Græcia omnis, ab externis bellis in ſua viſcera convertitur. Inter alia bella, claret *Peloponneſiacum*, quod 27. annis communi Græcorum pernicie, geſtum eſt, idque 50. fere annis, poſtquam Xerxem e Græcia expulerant, fuit inceptum. *Cauſa* belli hujus vera, potentiæ Athenienſium incrementum, quod Lacedæmoniis terrorem incutiebat. Athenienſes enim, inde a Xerxis fuga, potentiores facti, quieſcentibus interim Lacedæmoniis, terra marique adeo ſuam extenderant potentiam, ut elatiores facti, ſocios Lacedæmoniorum infeſtarent, quod, vi confœderationis, Lacedæmonii ferre amplius non poterant. Etenim, cum *Corcyræenſes* occupaſſent *Epidamnum* urbem, quæ poſtea *Dyrrachium* dicta eſt, a *Corinthiis* oppugnati ſunt, atque tum Athe-

nienſes

nienſes Corcyræenſibus, ſociis ſuis, auxilia miſerunt. Acceſſit, quod urbs *Potidæa*, in Pallenes Iſthmo ſita, Corinthiorum quidem colonia, ſed Athenienſibus vectigalis, ab his, quod defeciſſet, fuit oppugnata. Hinc Corinthii in publico conventu accuſabant Athenienſes tanquam fœdifragos, & in Peloponneſum injurios. Erat enim inter reliquas fœderis leges ea quoque, controverſias, quæ impoſterum oriri poſſent, non bello, ſed judicio eſſe dirimendas. Præterea promoverunt hoc bellum Æginetæ & Megarenſes. *Æginetæ* enim venerant in poteſtatem Athenienſium, & privabantur libertate ſecundum ſuas leges vivendi; ideoque cum aperte non auderent, occulte Lacedæmonios inſtigabant. *Megarenſes* vero, eo quod lucum ſacrum excidiſſent, ſacrum agrum ararent, & ſervos Athenienſium fugitivos reciperent, portubus & commerciis in ditione Attica prohibebantur. Decretum igitur factum eſt in publico conventu, de bello contra Athenienſes ſuſcipiendo, & cum Lacedæmonii miſſa Legatione, ſe tum bellum intermiſſuros ſignificarent, ſi Megarenſibus ſua jura in commerciis iterum reſtituerentur, *Pericles* recuſavit, & Athenienſes ad bellum inſtigavit. Nempe iſte cum 8. talentorum millia, in Delo ex communi Græcorum collatione coacta, & ſuæ cuſtodiæ tradita, partim in ſuos uſus, partim in ornatum Vrbis vertiſſet, atque quomodo rationes ſuas redderet hæreret dubius, *Alcibiades* cognatus, adoleſcens adhuc, modum quo peculiatus crimen dilueret, ſuggeſſit. Non enim cogitandum dixit, quomodo rationem pecuniarum redderet, ſed quomodo non redderet. Sic igitur Athenienſes gravi bello involvit, cujus uberior hiſtoria, ex Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, & Plu-

tarcho

tarcho in Pericle petenda *Dictum eſt hoc bellum Peloponneſiacum*, quia primo anno Pericles, cùm Claſſe in Peloponneſum trajecit, ut hoſtem, qui *Archidamo* Duce, in fines Athenienſium ingreſſus erat, ex iisdem evocaret; quod & ſucceſſit. Peloponneſii enim ſuas copias reducere coacti ſunt, ad Peloponneſum tuendam. Inter cæteros Athenienſium Duces, famoſus imprimis eſt *Alcibiades*: de quo inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt, conſtat, nihil illo fuiſſe excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus; uti enim his illuxit, ita iis eſt obrutus: ut nemo non miraretur, in uno homine tantam ineſſe morum disſimilitudinem, tamque diverſam naturam. Hic eſt ille, qui in ludum quendam literarum ingreſſus, cum apud Magiſtrum Iliada Homeri poſtulatam non inveniſſet, alapam ei impegit ſatis duram, illum imperitum eſſe, & ſimiles ſui pueros efficere cauſatus. Enim vero pugnatum eſt in bello Peloponneſiaco varia fortuna, ut modo Athenienſes modo Lacedæmonii aut ſuperiores evaderent, aut vincerentur. Finem ei attulit, victoria navalis *Lyſandri*, Lacedæmoniorum Ducis, ad *Ægoſpotamos* Thraciæ fluvii oſtia. Nihil enim Athenienſibus relictum eſt præter urbem, in quam, a Lyſandro, omnes Athenienſes, qui hinc inde diſperſi erant, compellebantur, ut fame eos affligendi major eſſet opportunitas. Fame preſſi Athenienſes, a Lacedæmoniis pacem petunt, quæ, an dari deberet, diu inter hos ſociosque deliberatum. Cum multi delendum Athenienſium nomen, urbemque incendio conſumendam cenſerent, negarunt Spartani, ſe ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos. Lyſander igitur, Athenarum urbe occupata, & muris ad tibiæ cantum dejectis, Reipub. formam mutavit,

tavit, & ex ipſis Athenienſibus XXX. *Rectores* conſtituit, cum *uno Lacedæmonio Prætore*. Iſti XXX. Rectores tyranni facti, peſſime Remp. adminiſtrabant, & à principio tria millia ſatellitum ſibi ſtatuebant; quantum ex tot cladibus prope nec civium ſuperfuerat; acceptis inſuper à victoribus ſeptingentis militibus. Tota ſic Respub. innocentium ſanguine, tumultu, factionibus turbabatur, locupletes imprimis cives occidebantur, ut illorum opes ſibi vindicarent tyranni, atque pauperes una cum divitibus prehendebantur, ne horum opes peti viderentur. Ante omnes, ad necem *Alcibiades* quæſitus eſt, ne iterum Rempub. ſub obtentu liberationis invaderet. Quem, cum profectum ad Artaxerxem Perſarum Regem comperiſſent, citato itinere miſſi, qui ipſum interciperent: à quibus occupatus, cum occidi aperte non poſſet, in cubiculo ubi quo dormiebat peremtus eſt.

Sane, non contigerunt iſta omnia Artaxerxis Longimani ævo; ſed aliquammulta ad ætatem Succeſſorum pertinent; ut ſic Artaxerxes ad quem Alcibiades ſe recipere volebat, non ſit Longimanus, verum is qui Nothi cognomento noſcitur. At major & hic, & alibi paſſim in his Rudimentis, memoriæ, cui confert, ſi hiſtoriæ quantum fieri poteſt, integræ recitentur, ratio habetur, quam articulorum temporis.

Empedocles, Agrigentinus, Philoſophus & Poëta, ſcripſit *Hymnos de rerum natura*. Ejus nomine circumfertur *liber de Sphæra*, quem Voſſius potius *Demetrii Triclinii* eſſe opinatur. Egregie cultus, & aurea cinctus corona incedebat, atque non tantum apud ſuos, dum viveret, coli & ſuſpici, ſed & mortuus adorari voluit. Quod, ut ſuccederet, ſeipſum

in craterem *Ætnæ* præcipitavit, ut cum non amplius appareret, ad Superos abiiſſe putaretur. Sed ferreæ ejus crepidæ, ex camino per flammam ejectæ, rem patefecerunt.

Ariſtophanes, Athenienſis, poëta Comicus, *Comœdias ſcripſit* LIV. ex quibus XI. ad nos pervenerunt. Ab Athenienſibus ſerto, ex ſacra lauru, quæ in Acropoli erat, ornatus eſt. In eo ſunt omnia linguæ Atticæ ornamenta, ac ferunt B. Chryſoſtomum, cum dormitum iret, Ariſtophanis Comœdias ſub pulvinar repoſuiſſe. Socratis inimicus fuit Ariſtophanes, eumque in *Nubibus* vehementer inſectatur.

Socrates, Philoſophus Athenienſis. Hunc *reliquorum Philoſophorum fontem*, Quintilianus prædicat. Ciceronis elogio, *Socrates fuit is, qui omnium eruditorum teſtimonio, totiusq; judicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & venuſtate, & ſubtilitate, tum vero eloquentia, veritate, copia, quam ſe cunq; in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps.* Patrem habuit *Sophroniſcum*, ſtatuarium, matrem *Phanaretem* obſtetricem. Vxores eodem tempore duas habuit, *Myrto*, Ariſtidis Juſti filiam, & *Xantippen*, mulierem ſævam, quæ, ipſo cum diſcipulis differente, menſam non raro ſubvertebat. Galenus lib. de ſect. Philoſoph. Socrati inventionem *Ethices & Logices* tribuit. Antiqui nonnulli Patres, inter quos Juſtinus, cum rationi convenienter vixiſſe, & Chriſtum ex parte agnoviſſe exiſtimarunt. Dogmata ejus apud Platonem, & Diogenem Laërtium habentur. Quidam nihil omnino eum ſcripſiſſe contendunt; aliis, *Hymnum in Apollinem* compoſuiſſe, & *Æſopi Fabulas carmine expreſſiſſe* dicitur. Jam valde ſenex lyram pulſare didicit. Cum ad eam ætatem perveniſſet,

riſſet, ut paulo poſt tamen e vita ei eſſet excedendum, ab *Anyto* quodam divite, & *Melite* poëta, ac *Lycone* oratore, apud XXX. tyrannos accuſatus, quaſi Deos communes non coleret, ſed novos introduceret, cum a Judicibus interrogaretur, quanam potiſſimum pœna ſe dignum cenſeret? ut in Prytaneo, (erat is locus Athenis, in quo bene de Reipub. meritis alimenta præberi ſolebant) inquiebat, alar ex publico. Qua ejus voce irritati Judices, capitis illum damnaverunt, & ad bibendam cicutam compulerunt. Cum forti animo, & conſtanti vultu potionem veneni e manu carnificis accepiſſet, admoto jam labris poculo, uxori Xantippæ, inter fletum & lamentationem vociferanti, innocentem eum perire: Quid ergo, ait, nocenti mihi mori ſatius eſſe duxiſti? Paucos poſt illius mortem dies, pœnitentia ductus populus, interfectum luget. Prædicant cuncti, illum ſanctitate ac virtutibus omnibus venerabilem extitiſſe. Indicitur publicus mœror, clauduntur officinæ & gymnaſia, fit impetus in accuſatores, qui omnes ſupplicio affecti aut fugati fuerunt.

¶ *Herodotus Halicarnaſſæus*, antiquiſſimus eſt Græcorum Hiſtoricorum qui hodie extant, eumque Cicero, *Parentem Hiſtoriæ, & Hiſtoricorum Principem*, appellitat. Condidit *IX. libros Hiſtoriarum*, quibus Muſarum nomina impoſuit; elogio hoc in ludis Olympicis, poſt lecturam, impetrato. Invidiæ civium obnoxius, ſponte *Thurium* conceſſit, Athenienſium coloniam, ubi extinctus eſt & ſepultus.

XERXES II.

Artaxerxi Longimano complures filii fuere. XVII. e pellicibus, unus, e *Damaſpia* Regina ſuſceptus,

Xerxes nomine. Eum ſucceſſorem conſtitutum, cum crapulam edormiret, aggreſſus *Sogdianus* ſeu *Secyndianus*, ex *Alogune* pellice natus, una cum matre Damaſpia interfecit, XL. poſt Artaxerxis obitum die.

DARIVS NOTHVS.

Exercitus cum ſcelera Sogdiani odiſſet, *Ochum* è Bactrianis advocat. Hunc Artaxerxes e *Coſmartidene* Babylonia genuerat, & filiæ Xerxis *Paryſatidos*, ſororis ſuæ, fecerat maritum. Igitur *Nothum* dixere Græci, quod eſſet e pellice ſuſceptus. Is ſuis copiis, Principumq; auxiliis fultus, ad regnum producitur, aliena magis voluntate quam ſua. Nec mora *Sogdianum* ad ſe perduci curat, &, quod Perſici genus ſupplicii erat, in cineres defodi jubet; poſtquam per ſemeſtre, pro Rege ſeſe geſſerat. In Regno confirmatus Ochus, regium *Darii nomen* aſſumit. Ei ſe primum oppoſuere *Arſites* frater, & Megabyzi filius *Artyphius*. Deinde *Piſuthnes* Satrapa negotium quoque illi faceſſivit. Sed Ducibus *Artaſyra*, *Artoxare*, & *Tiſſapherne*, omnes impetus cum hoſtium exitio repreſſit; ipſumque etiam Artoxarem tandem, qui ei inſidias ſtruere cœperat, interfici curavit. Dehinc Tisſaphernem cum Pharnabazo Spartanis auxilio adverſus Athenienſes in Bello Peloponneſiaco miſit, qui tamen rem geſſere minus feliciter. Obiit anno regni 19.

RES JVDÆORVM.

Nehemias ſacerdotio dejicit *Eliaſibum*, Jojadæ Pontificis filium, qui fœminam extraneam, Sanebalatis cognatam, matrimonio ſibi junxerat; nec enim divino

divino cultui dicatum Aaronis genus, peregrinitate connubiorum polluendum erat. Atque in hac narratione, & Nehemiæ XIII. capite, deſinit hiſtoria Veteris Teſtamenti Canonica.

Ex initio ſecundi Maccabæorum libri Apocryphi addendum, Nehemiam miſiſſe aliquos, qui *ſacrum ignem*, olim a Sacerdotibus, in Hieroſolymæ devaſtatione abſconſum, requirerent. Poſt adhibitam in perveſtigando diligentiam, loco ignis *aqua craſſa* reperta, quam cum Nehemias ſacrificiis affundere juſſiſſet, ea deinde ex Solis radiis flammam concepit, haud minore miraculo, quam ea fuerant, quæ Moſi, in tabernaculi, & Salomoni, in templi a ſe conditi dedicatione, obvenere.

CONTEMPORANEA.

Thucydides Hiſtoricus florebat, qui genus a Miltiade & Cimone duxit. Juvenis admodum, cum in Olympicis ludis Herodotum hiſtoriam ſuam recitantem audiret, in lacrymas ſolutus eſt. Quo viſo, gratulabatur patri ejus Herodotus, quod filium haberet, tam proni in literas affectus. Pulſus injuſte in exilium a *Cleonte*, quod *Amphipolin* non juviſſet, durante exilio, tempus optime collocare conſtituit. Nam bellum Peloponneſiacum ſcribere aggreſſus, quo tempore illud gerebatur, Athenienſium pariter ac hoſtium Lacedæmoniorum militibus, qui bello interfuere, mercedem præbebat, ut res prout geſtæ erant, ſibi narrarent. Perduxit autem hiſtoriam tantum ad annum usque 21. belli, quod annos 27. duravit. Quæ apud eum deficiunt, *Theopompus*, & poſt hunc *Xenophon* pertexuerunt. Imo non deſunt, qui & ultimum, ſive *octavum librum*, Thu-

cydidis nomen præferentem, vel a filia ejus, vel a Xenophonte ſcriptum contendant, pleriſque tamen Eruditorum reclamantibus. De Thucydide Cicero judicavit, ipſum dicendi artificio omnes facile viciſſe. Demoſthenes illum tanti fecit, ut octies ſua manu deſcripſerit.

ARTAXERXES MNEMON.

Erat Dario Notho uxor admodum crudelis *Paryſatis*, ex qua antequam regnum ſuſceperat, *Artaxerxem*, & *Ameſtrin*, Rex vero factus, *Cyrum* juniorem, & *Artoſtem*, cum aliis liberis ſuſcepit. Ex his, patri ſucceſſit Artaxerxes, ob memoriæ præſtantiam *Mnemon* dictus, ſuæ ipſius filiæ *Atoſſæ* maritus: ei enim Darius regnum, Cyro autem, ſine regio nomine, Joniam, Satrapiam nobilem, conceſſerat. At *Cyrus*, ingenio præſtans, regnum affectabat, jamque Agnatos, quia regium ſibi honorem non detulerant, occiderat. Eum vero in Aulam vocatum compedibus aureis vincivit Artaxerxes; ne interficeretur, matris precibus datum. Dimiſſus Cyrus, inimicior ex periculo illataque contumelia factus, auxilia undique contrahit. Lacedæmonii, memores ſe Athenienſi bello enixe ab eo adjutos, ſuppetias decernunt. Collegit ergo Cyrus 13. millia Græcorum, ſub Ducibus *Clearcho Lacedæmonio*, & *Menone Theſſalo*, atque Aſiaticorum millia centum. His, circa Babyloniam occurrit Artaxerxes, cum quadringentorum millium exercitu. Copiis ſic longe ſuperior, nihilominus virtute Clearchi pæne victus fuiſſet, jam enim loco ceſſerat. At Cyrus perrupta cohorte regia, dum fratris a ſe interfecti laudem, cupidius quam prudentius, affectat, vulnerato Artaxerxe,

ſed

ſed a ſtipatoribus ſubtracto, per oculum incerto ictu confoditur. Sic victoria penes Artaxerxem fuit. Græcorum Duces deinde in reditu, ex inſidiis, omnes a *Tiſſapherne* ſunt trucidati. Xenophontis igitur Hiſtorici, qui hanc expeditionem luculenter deſcripſit, & aliorum ductu, per immenſa diſcrimina, nec hoſtium tantum metum, ſed & famis nivisque incommoda, Græci, mille & ducentis ex exercitu ſuo amiſſis, rediere in patriam. In hoc bello captus *Cteſias Cnidius*, Hiſtoricus, & medicæ artis peritiſſimus, qui Artaxerxem a vulnere quod acceperat, ſanavit, ideo in magno honore habitus. Capta & *Aſpaſia*, Phocenſis, Hermotimi filia; pellex Cyri, quam Artaxerxes deinde impenſe amavit. Multus eſt in laudibus ejus deſcribendis Ælianus l. 12. c. 1. atque inter alia narrat, illi adhuc puellæ, enatum eſſe tumorem in ipſo mento, aſpectu teterrimum; & magnum dolorem afferentem. Eam igitur cum pater ad medicum adduxiſſet, recepit ille ſe puellam curaturum, ſi tres ſibi ſtateres perſolverentur. Cum vero pater ſe tantum non habere diceret, neque ſibi medicinam eſſe medicus ajebat. Aſpaſia triſtis a medico digreditur; cumque præ dolore non cœnaſſet, ſomnus eam invaſit, ad quam ſopitam columba acceſſit, quæ, in mulierem mutata, bonum animum, inquiebat, geras, & medicos cum ſuis pharmacis valere jubeas. Tu vero roſea ſerta Veneris, quæ jam aruerunt, cape, eaque contrita tuberi impone. Hæc cum feciſſet, tuber non tantum evanuit, ſed & Aſpaſia omnium ſuæ ætatis virginum multo evaſit formoſiſſima. Cæterum Paryſatis, *Mithridatem*, Perſicum adoleſcentem, in convivio gloriantem, ſua manu Cyrum confectum eſſe, ſcaphis necari juſſit; quod

ſupplicii genus tale erat: Parabantur duæ ſcaphæ inter ſe congruentes; & in alteram homo ſupplicio deſtinatus, reſupinatus, altera ſcapha deſuper ponebatur, atque ſic ambarum fiebat conjunctio, ita tamen, ut caput, manus, ac pedes prominerent. Præbebant cruciatores homini cibum, & veſci vel invitum cogebant; pro potu, lac melli admixtum in os infundebant, faciemque eodem humore conſpergebant, oculis eum contra Solem tueri cogentes. Sic foris a muſcis, intus a vermibus rodebatur miſer homo, vita ſæpe ad decimum usque quartum diem protracta.

Artaxerxes, victoria elatus, *Tiſſaphernem* cum ingentibus copiis miſit ad Joniam ſubjugandam. Sed *Thimbron*, & poſt eum *Dercyllides*, ac deinde *Ageſilaus*, Spartanorum Duces, quin & reverſi ex Perſia, Duce Xenophonte, Græci, ſuccurrentes, proſpere res adminiſtravere. Quia igitur, *Conone* Athenienſi, Perſarum navarcho, fruſtra renitente, Spartani aliquoties victoriam Tisſapherni extorſerant, omnem harum cladium cauſam Rex illi imputavit, eoque interfecto, *Tithrauſten*, hominem ſolertem, adverſus Ageſilaum, qui victoriis inſiſtens, *Pharnabazum*, Joniæ & Lydiæ Satrapam, ex Phrygia cum Perſis jam expulerat, miſit. Iſte, non tam vi, quam conſilio effecit, ut Ageſilaus, perpetuus in bellis victor, ex Aſia cum exercitu revocaretur. Cæteros enim Græcos, quos, poſt Peloponneſiacum bellum, Spartani ſuo premebant imperio, ad arma contra illos hortatus, a maxima ſpe potiundæ Aſiæ, Ageſilaum, in ipſo victoriarum curſu dejecit. Quo facto, dubio Marte ſubinde eſt pugnatum, Athenarumque nuper reſtitutarum vires denuo cœperunt ſeſe exſerere. Tandem

dem Spartanorum navarchus *Antalcida*, ad Artaxerxem de pace miſſus, quietem & Perſis & Græcis obtinuit. Ea conventio, *Pax Antalcidæ* vocari ſolet, Græcia univerſa conſentiente inita. Cum hac ratione Artaxerxes regnum pacaſſet, *Evagoras*, Cypri Rex, & Ægyptii adverſus illum conſurrexerunt. Ac licet Evagoras exercitum trecentorum millium militum, & Claſſem trecentorum navium comparaſſet, victus tamen a Perſis eſt, & novo Regis beneficio, *Salaminem*, quæ in controverſiam deducta erat, obtinuit. Ægyptii rebelles variis cladibus affecti. Enim vero Artaxerxes jam ſenex, domeſticis malis ſuccubuit. *Darius* enim filius, quem Regem deſignaverat, non tantum Aſpaſiam pellicem, ei unice caram, ſibi uxorem petiit, ſed & ipſi patri inſidias ſtruxit. Hunc igitur dilectum cæteroqui filium, in Principum conſilio damnatum, occidi curavit, & paulo poſt præ mœrore mortuus eſt, poſtquam annis 43. regnavit. Hic ille eſt, Plutarcho & Æliano teſtibus, cui cum obviam *Sinæta* prodiret, nec haberet, quo Regem, Perſarum ex more donaret, hauſtam utraque vola, ex fluvio Cyro aquam, ei obtulit. Qua re ille plurimum delectatus, homini, præter ſtolam Perſicam, & auream phialam, miſit mille Daricos. Pellices Artaxerxes dicitur habuiſſe 360. nothos filios 112. Conjugio inceſto, uſu tamen apud Perſas recepto, filias duas, *Ameſtrin*, & *Atoſſam*, etſi aliis deſponſatas, ſibi copulavit.

RES ROMANÆ.

Camillus, Vejorum urbem, poſt decennalem obſidionem, arte capit, cuniculis, ſeu ſubterraneis operibus, in ædem Junonis, quæ in Arce erat, usque adactis, ex quibus eum milites derepente erumperent, civi-

tas pavida facile capi potuit. Captis Vejis, milites, juſſu Imperatoris, *ſimulacrum Junonis Monetæ*, quod ibi præcipua religione cultum erat, in Vrbem tralaturi, ſede ſua movere conabantur. Quorum ab uno per jocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet? Velle ſe reſpondit. Læti milites, in Aventinum ſimulacrum deferunt, ubi Camillus templum illi dedicavit. Erat Vejorum urbs, ut Plutarchus in Camillo ſcripſit, caput Hetruriæ, armorum copia, & militum numero, Romanis nihilo inferior. Sed nunc nullæ ejus reliquiæ, nullum veſtigium, laboratque, quod jam olim Florus dixit, Annalium fides, ut Vejos fuiſſe credamus.

Liceat præter morem, hoc loco, quia ſic res fert, levem digreſſionem nobis facere, & indicare, incolas urbis, in territorio Romani Pontificis ſitæ, quæ *Civitas Caſtellana*, vulgo *Città Caſtellana* dicitur, quondam Jovem lapidem jurare paratos fuiſſe, ſe Vejentium veterum eſſe ſobolem, ſuamq; urbem, ſolum illud, cui Veji erant ſuperſtructi, occupare. Quippe, quod Petrus Cruſiüs, Doctus Vir, qui ſuperiori ævo, ſub Clemente VII. Romæ floruit, in eleganti prolixoque carmine de iis ſcripſit:

Vejens hic populus cupit vocari.
Quo ſi de populo ſenem rogaris,
Vejens cur ſibi nomen arrogarint?
Hic ſenex ſubito, vel occupatus,
Vrbe non procul indicabit agros,
Priſci qui retinent nomen duelli;
Nomen qui referunt tuum Camille.
Idem mille periſſe, non trecentos
Jurabit Fabios: cuniculumq;
Scalpro biaſſe feret Camilliano.

Nec

Nec impune quiſquam ferebat, ſi animum ſumeret, eoque audaciæ progrederetur, ut Caſtellanis hac in re contradiceret; ſic enim porro Cruſius:

Vejentes ſi tamen abnuamus, actum eſt,
Vejentes niſi dixerim, minantur
His me præcipitem (parata mors eſt)
Vaſtis undiq; rupibus daturos.
Nec eſt effugio locus ſalutis,
Nec ſpes eſt aliqua.

Cæterum, id egit vehementer idem ille Cruſius in eo carmine, ut Caſtellani agnoſcerent, ſe minime Vejentes eſſe, ſed potius, (quod haud minus glorioſum videri poterat,) Faliſcos aut Faletios, unde denique dixit edixitque:

--- Deos laceſſis,
Quod ſuum fugis, exſpuisq; nomen,
Verbi transfuga, non ſoli Faliſci.
Sed tota hæc regio, ſacerq; tractus,
Te ſupplex rogat, obſecrat rebellem,
Vt te municipem Faletiorum,
Seu, quem te voco, te voces colonum,
Quum Vejens neq; ſis, neq; eſſe poſſis.
Pergratum id fuerit Jovis ſorori,
Argivis Dea quæ favet Faliſcis,
Argos quæ cupit hic ſuos renaſci.
Hanc læſam metuas, nimis proterva eſt:
Non veri, precor, hanc cavete Veji.

Exiſtimet quis, tam ſeveris obteſtationibus, tantisque minis, quin & argumentis evidentibus quæ attulit Poëta, permotos Caſtellanos, deſeruiſſe errorem, nec Vejentes porro audire voluiſſe. Sed, nihil eſt, meros æthiopes, quod proverbio dicitur, dealbavit, atque

atque mallent Caſtellani vitam potius, quam Vejentium nomen amittere. Fidem facit inſcriptio, quæ extat in foro publico, a me, cum iter faciens illic tranſirem, factum valde probantibus qui adſtabant, incolis, in pugillares conjecta:

PHILIPPO BONCOMPAGNO S. R. E. CARD. ET M. POENIT. GREGORII XIII. PONT. EX FRE NEPOTI, OB PVBLICAS FVNCTIONES IN CIVITATIS DECVS ET COMMODVM COPIOSISSIME VERSAS, ET IRRIGVVM SPETIOSVMQVE FONTEM SITIENTI POPVLO PIE PROPINATVM, VEIENTES ACCEPTI BENEFICII MEMORES, RECTORI ET PATRI BENEM. AD REI ÆTERNAM MEMORIAM VNANIMES POSVERVNT. M D XVC.

Biennio poſt expugnatos Vejos, *Camillus Faliſcos*, vel potius *Falerin*, (nam *Faleris*, urbis, *Faliſci*, gentis nomen fuiſſe volunt Eruditi,) non minus nobilem civitatem cepit, nec vi, ſed juſtitia ac humanitate. Vrbem enim obſidenti, *Ludimagiſter* liberos Faliſcorum, tanquam ambulandi cauſa extra murum eductos, tradidit, dicens, retentis eis obſidibus, neceſſario civitatem imperata facturam. At Camillus, non ſolum ſprevit perfidiam, ſed & Magiſtrum, reſtrictis poſt terga manibus, pueris virgis agendum ad parentes tradidit, adeptusque eſt beneficio victoriam, quam fraude non concupierat. Nam Faliſci, ob hanc moderationem, ſponte ei ſe dediderunt.

Cæte-

Poſt iſta *Camillus*, *odium plebis incurrit*, quaſi prædam Vejentanam male diviſiſſet: quo nomine etiam *L. Apulejus*, Tribunus plebis, diem ille dixit. Igitur antequam damnaretur; ſponte in exilium *Ardeam* abiit, Deos precatus; ut ſi innoxio ſibi fieret injuria, primo quoque tempore Populum Romanum hujus facti pœniteret, omnibusque mortalibus conſtaret, Camillum Roma, Romam vero Camillo egere non poſſe.

Ante annos ducentos, *Galli*, quod ſupra memoravimus, in Italiam transcenderant. Recentiſſimi iis advenæ nuper acceſſerant *Senones*, quos quidam Suevos, alii Galliæ; quæ poſtea Lugdunenſis dici cœpit; incolas interpretantur. Abundante igitur multitudine, *Cluſinorum* in Hetruria agris inhiant. Cluſini exterriti, Legatos Romam, qui auxilium a Senatu peterent; miſere. Datum eſt ſociis ac fœderatis, ut tres Legati, *M. Fabii Ambuſti filii*, ad Gallos irent, bellumque amica expoſtulatione præverterent. Hi cum parum pro Cluſinis effeciſſent; in Gallos pugnare auſi, gentem ſic ferocem, ad hoc ipſa corporum mole, perinde ac armis ingentibus terribilem, in Romanos, quaſi juris gentium violatores; concitarunt. Cumque poſtulati non traderentur, ſed Tribuni etiam Militares conſulari poteſtate crearentur, flagrantes ira Galli, citato agmine Romam petunt. Occurrit illis *Fabius* Conſul, ad Alliam flumen; ſed Galli, ejus fuſo exercitu, (cujus reliquiæ Vejos petiere; Romam haud amplius contendere auſæ,) Vrbi appropinquant, eamque occupant. Hanc ingreſſi, ſedentes in curulibus ſellis domi ſuæ prætextatos ſenes; velut Deos Geniosque venerati, mox eosdem, poſtquam eſſe homines lique-

tarcho in Pericle petenda *Dictum eſt hoc bellum Peloponneſiacum*, quia primo anno Pericles, cùm Claſſe in Peloponneſum trajecit, ut hoſtem, qui *Archidamo* Duce, in fines Athenienſium ingreſſus erat, ex iisdem evocaret; quod & ſucceſſit. Peloponneſii enim ſuas copias reducere coacti ſunt, ad Peloponneſum tuendam. Inter cæteros Athenienſium Duces, famoſus imprimis eſt *Alcibiades*: de quo inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt, conſtat, nihil illo fuiſſe excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus; uti enim his illuxit, ita iis eſt obrutus: ut nemo non miraretur, in uno homine tantam ineſſe morum disſimilitudinem, tamque diverſam naturam. Hic eſt ille, qui in ludum quendam literarium ingreſſus, cùm apud Magiſtrum Iliada Homeri poſtulatam non inveniſſet, alapam ei impegit ſatis duram, illum imperitum eſſe, & ſimiles ſui pueros efficere cauſatus. Enim vero pugnatum eſt in bello Peloponneſiaco varia fortuna, ut modo Athenienſes modo Lacedæmonii aut ſuperiores evaderent, aut vincerentur. Finem ei attulit, victoria navalis *Lyſandri*, Lacedæmoniorum Ducis, ad *Ægoſpotamos* Thraciæ fluvii oſtia. Nihil enim Athenienſibus relictum eſt præter urbem, in quam, a Lyſandro, omnes Athenienſes, qui hinc inde diſperſi erant, compellebantur, ut fame eos affligendi major eſſet opportunitas. Fame preſſi Athenienſes, a Lacedæmoniis pacem petunt, quæ, an dari deberet, diu inter hos ſociosque deliberatum. Cum multi delendum Athenienſium nomen, urbemque incendio conſumendam cenſerent, negarunt Spartani, ſe ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos. Lyſander igitur, Athenarum urbe occupata, & muris ad tibiæ cantum dejectis, Reipub. formam mutavit,

tavit, & ex ipſis Athenienſibus XXX. *Rectores* conſtituit, cum *uno Lacedæmonio Prætore.* Iſti XXX. Rectores tyranni facti, peſſime Remp. adminiſtrabant, & à principio tria millia ſatellitum ſibi ſtatuebant; quantum ex tot cladibus prope nec civium ſuperfuerat; acceptis inſuper à victoribus ſeptingentis militibus. Tota ſic Respub. innocentium ſanguine; tumultu; factionibus turbabatur, locupletes imprimis cives occidebantur; ut illorum opes ſibi vindicarent tyranni, atque pauperes una cum divitibus prehendebantur, ne horum opes peti viderentur. Ante omnes, ad necem *Alcibiades* quæſitus eſt, ne iterum Rempub. ſub obtentu liberationis invaderet. Quem, cum profectum ad Artaxerxem Perſarum Regem comperiſſent; citato itinere miſſi, qui ipſum interciperent: à quibus occupatus, cum occidi aperte non poſſet, in cubiculo ubi quo dormiebat peremtus eſt.

Sane, non contigerunt iſta omnia Artaxerxis Longimani ævo; ſed aliquammulta ad ætatem Succeſſorum pertinent; ut ſic Artaxerxos ad quem Alcibiades ſe recipere volebat, non ſit Longimanus, verum is qui Nothi cognomento noſcitur. At major & hic, & alibi paſſim in his Rudimentis, memoriæ, cui confert; ſi hiſtoriæ quantum fieri poteſt, integræ recitentur, ratio habetur, quam articulorum temporis.

Empedocles, Agrigentinus, Philoſophus & Poëta, ſcripſit *Hymnos de rerum natura.* Ejus nomine circumfertur *liber de Sphæra*, quem Voſſius potius *Demetrii Triclinii* eſſe opinatur. Egregie cultus, & aurea cinctus corona incedebat, atque non tantum apud ſuos, dum viveret, coli & ſuſpici, ſed & mortuus adorari voluit. Quod, ut ſuccederet, ſeipſum

in craterem Ætnæ præcipitavit, ut cum non amplius appareret, ad Superos abiiſſe putaretur. Sed ferreæ ejus crepidæ, ex camino per flammam ejectæ, rem patefecerunt.

Ariſtophanes, Athenienſis, poëta Comicus, *Comœdias ſcripſit* LIV. ex quibus XI. ad nos pervenerunt. Ab Athenienſibus ſerto, ex ſacra lauru, quæ in Acropoli erat, ornatus eſt. In eo ſunt omnia linguæ Atticæ ornamenta, ac ferunt B. Chryſoſtomum, cum dormitum iret, Ariſtophanis Comœdias ſub pulvinar repoſuiſſe. Socratis inimicus fuit Ariſtophanes, eumque in *Nubibus* vehementer inſectatur.

Socrates, Philoſophus Athenienſis. Hunc *reliquorum Philoſophorum fontem*, Quintilianus prædicat. Ciceronis elogio, *Socrates fuit is, qui omnium eruditorum teſtimonio, totiusq; judicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & venuſtate, & ſubtilitate, tum vero eloquentia, veritate, copia, quam ſe cunq; in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps.* Patrem habuit *Sophroniſcum*, ſtatuarium, matrem *Phanaretem* obſtetricem. Vxores eodem tempore duas habuit, *Myrto*, Ariſtidis Juſti filiam, & *Xantippen*, mulierem ſævam, quæ, ipſo cum diſcipulis differente, menſam non raro ſubvertebat. Galenus lib. de ſect. Philoſoph. Socrati inventionem *Ethices & Logices* tribuit. Antiqui nonnulli Patres, inter quos Juſtinus, eum rationi convenienter vixiſſe, & Chriſtum ex parte agnoviſſe exiſtimarunt. Dogmata ejus apud Platonem, & Diogenem Laërtium habentur. Quidam nihil omnino eum ſcripſiſſe contendunt; aliis, *Hymnum in Apollinem* compoſuiſſe, & *Æſopi Fabulas carmine expreſſiſſe* dicitur. Jam valde ſenex lyram pulſare didicit. Cum ad eam ætatem perveniſſet,

riſſet, ut paulo poſt tamen e vita ei eſſet excedendum, ab *Anyto* quodam divite, & *Melite* poëta, ac *Lycone* oratore, apud XXX. tyrannos accuſatus, quaſi Deos communes non coleret, ſed novos introduceret, cum a Judicibus interrogaretur, quanam potiſſimum pœna ſe dignum cenſeret? ut in Prytaneo, (erat is locus Athenis, in quo bene de Repub. meritis alimenta præberi ſolebant) inquiebat, alar ex publico. Qua ejus voce irritati Judices, capitis illum damnaverunt, & ad bibendam cicutam compulerunt. Cum forti animo, & conſtanti vultu potionem veneni e manu carnificis accepiſſet; admoto jam labris poculo, uxori Xantippæ, inter fletum & lamentationem vociferanti, innocentem eum perire: Quid ergo, ait, nocenti mihi mori ſatius eſſe duxiſti? Paucos poſt illius mortem dies, pœnitentia ductus populus, interfectum luget. Prædicant cuncti, illum ſanctitate ac virtutibus omnibus venerabilem extitiſſe. Indicitur publicus mœror, clauduntur officinæ & gymnaſia, fit impetus in accuſatores, qui omnes ſupplicio affecti aut fugati fuerunt.

Herodotus Halicarnaſſæus, antiquiſſimus eſt Græcorum Hiſtoricorum qui hodie extant, eumque Cicero, *Parentem Hiſtoriæ*, & *Hiſtoricorum Principem*, appellitat. Condidit *IX. libros Hiſtoriarum*, quibus Muſarum nomina impoſuit; elogio hoc in ludis Olympicis, poſt lecturam, impetrato. Invidiæ civium obnoxius, ſponte *Thurium* conceſſit, Athenienſium coloniam, ubi extinctus eſt & ſepultus.

XERXES II.

Artaxerxi Longimano complures filii fuere. XVII. e pellicibus, unus, e *Damaſpia* Regina ſuſceptus,

Xerxes nomine. Eum ſucceſſorem conſtitutum, cum crapulam edormiret, aggreſſus *Sogdianus* ſeu *Secundianus*, ex *Alogune* pellice natus, una cum matre Damaſpia interfecit, XL. poſt Artaxerxis obitum die.

DARIVS NOTHVS.

Exercitus cum ſcelera Sogdiani odiſſet, *Ochum* è Bactrianis advocat. Hunc Artaxerxes e *Coſmartidene* Babylonia genuerat, & filiæ Xerxis *Paryſatidos*, ſororis ſuæ, fecerat maritum. Igitur *Nothum* dixere Græci, quod eſſet e pellice ſuſceptus. Is ſuis copiis, Principumq; auxiliis fultus, ad regnum producitur, aliena magis voluntate quam ſua. Nec mora *Sogdianum* ad ſe perduci curat, &, quod Perſici genus ſupplicii erat, in cineres defodi jubet; poſtquam per ſemeſtre, pro Rege ſeſe geſſerat. In Regno confirmatus Ochus, regium *Darii nomen* asſumit. Ei ſe primum oppoſuere *Arſites* frater, & Megabyzi filius *Artyphius*. Deinde *Piſuthnes* Satrapa negotium quoque illi faceſſivit. Sed Ducibus *Artaſyra*, *Artoxare*, & *Tiſſapherne*, omnes impetus cum hoſtium exitio repreſſit; ipſumque etiam Artoxarem tandem, qui ei inſidias ſtruere cœperat, interfici curavit. Dehinc Tiſſaphernem cum Pharnabazo Spartanis auxilio adverſus Athenienſes in Bello Peloponneſiaco miſit, qui tamen rem geſſere minus feliciter. Obiit anno regni 19.

RES JVDÆORVM.

Nehemias ſacerdotio dejicit *Eliaſibum*, Jojadæ Pontificis filium, qui fœminam extraneam, Sanebaldatis cognatam, matrimonio ſibi junxerat; nec enim

divino

divino cultui dicatum Aaronis genus, peregrinitate connubiorum polluendum erat. Atque in hac narratione, & Nehemiæ XIII. capite, deſinit hiſtoria Veteris Teſtamenti Canonica.

Ex initio ſecundi Maccabæorum libri Apocryphi addendum, Nehemiam miſiſſe aliquos, qui *ſacrum ignem*, olim a Sacerdotibus, in Hieroſolymæ devaſtatione abſconſum, requirerent. Poſt adhibitam in perveſtigando diligentiam, loco ignis *aqua craſſa* reperta, quam cum Nehemias ſacrificiis affundere juſſiſſet, ea deinde ex Solis radiis flammam concepit, haud minore miraculo, quam ea fuerant, quæ Moſi, in tabernaculi, & Salomoni, in templi a ſe conditi dedicatione, obvenere.

Contemporanea.

Thucydides Hiſtoricus florebat, qui genus a Miltiade & Cimone duxit. Juvenis admodum, cum in Olympicis ludis Herodotum hiſtoriam ſuam recitantem audiret, in lacrymas ſolutus eſt. Quo viſo, gratulabatur patri ejus Herodotus, quod filium haberet, tam proni in literas affectus. Pulſus injuſte in exilium a *Cleonte*, quod *Amphipolin* non juviſſet, durante exilio, tempus optime collocare conſtituit. Nam bellum Peloponneſiacum ſcribere aggreſſus, quo tempore illud gerebatur, Athenienſium pariter ac hoſtium Lacedæmoniorum militibus, qui bello interfuere, mercedem præbebat, ut res prout geſtæ erant, ſibi narrarent. Perduxit autem hiſtoriam tantum ad annum usque 21. belli, quod annos 27. duravit. Quæ apud eum deficiunt, *Theopompus*, & poſt hunc *Xenophon* pertexuerunt. Imo non deſunt, qui & ultimum, ſive *octavum librum*, Thu-

cydidis nomen præferentem, vel a filia ejus, vel a Xenophonte ſcriptum contendant, pleriſque tamen Eruditorum reclamantibus. De Thucydide Cicero judicavit, ipſum dicendi artificio omnes facile viciſſe. Demoſthenes illum tanti fecit, ut octies ſua manu deſcripſerit.

ARTAXERXES MNEMON.

Erat Dario Notho uxor admodum crudelis *Paryſatis*, ex qua antequam regnum ſuſceperat, *Artaxerxem*, & *Ameſtrin*, Rex vero factus, *Cyrum* juniorem, & *Artoſtem*, cum aliis liberis ſuſcepit. Ex his, patri ſucceſſit Artaxerxes, ob memoriæ præſtantiam *Mnemon* dictus, ſuæ ipſius filiæ *Atoſſæ* maritus: ei enim Darius regnum, Cyro autem, ſine regio nomine, Joniam, Satrapiam nobilem, conceſſerat. At *Cyrus*, ingenio præſtans, regnum affectabat, jamque Agnatos, quia regium ſibi honorem non detulerant, occiderat. Eum vero in Aulam vocatum compedibus aureis vincivit Artaxerxes; ne interficeretur, matris precibus datum. Dimiſſus Cyrus, inimicior ex periculo illataque contumelia factus, auxilia undique contrahit. Lacedæmonii, memores ſe Athenienſi bello enixe ab eo adjutos, ſuppetias decernunt. Collegit ergo Cyrus 13. millia Græcorum, ſub Ducibus *Clearcho Lacedæmonio*, *&* *Menone Theſſalo*, atque Aſiaticorum millia centum. His, circa Babyloniam occurrit Artaxerxes, cum quadringentorum millium exercitu. Copiis ſic longe ſuperior, nihilominus virtute Clearchi pæne victus fuiſſet, jam enim loco ceſſerat. At Cyrus perrupta cohorte regia, dum fratris a ſe interfecti laudem, cupidius quam prudentius, affectat, vulnerato Artaxerxe,

ſed

ſed a ſtipatoribus ſubtracto, per oculum incerto ictu confoditur. Sic victoria penes Artaxerxem fuit. Græcorum Duces deinde in reditu, ex inſidiis, omnes a *Tiſſapherne* ſunt trucidati. Xenophontis igitur Hiſtorici, qui hanc expeditionem luculenter deſcripſit, & aliorum ductu, per immenſa diſcrimina, nec hoſtium tantum metum, ſed & famis nivisque incommoda, Græci, mille & ducentis ex exercitu ſuo amiſſis, rediere in patriam. In hoc bello captus *Cteſias Cnidius*, Hiſtoricus, & medicæ artis periti ſſimus, qui Artaxerxem a vulnere quod acceperat, ſanavit, ideo in magno honore habitus. Capta & *Aſpaſia*, Phocenſis, Hermotimi filia; pellex Cyri, quam Artaxerxes deinde impenſe amavit. Multus eſt in laudibus ejus deſcribendis Ælianus l. 12. c. 1. atque inter alia narrat, illi adhuc puellæ, enatum eſſe tumorem in ipſo mento, aſpectu teterrimum; & magnum dolorem afferentem. Eam igitur cum pater ad medicum adduxiſſet, recepit ille ſe puellam curaturum, ſi tres ſibi ſtateres perſolverentur. Cum vero pater ſe tantum non habere diceret, neque ſibi medicinam eſſe medicus ajebat. Aſpaſia triſtis a medico digreditur; cumque præ dolore non cœnaſſet, ſomnus eam invaſit, ad quam ſopitam columba acceſſit, quæ, in mulierem mutata, bonum animum, inquiebat, geras, & medicos cum ſuis pharmacis valere jubeas. Tu vero roſea ſerta Veneris, quæ jam aruerunt, cape, eaque contrita tuberi impone. Hæc cum feciſſet, tuber non tantum evanuit, ſed & Aſpaſia omnium ſuæ ætatis virginum multo evaſit formoſiſſima. Cæterum Paryſatis, *Mithridatem*, Perſicum adoleſcentem, in convivio gloriantem, ſua manu Cyrum confectum eſſe, ſcaphis necari juſſit; quod

ſupplicii genus tale erat: Parabantur duæ ſcaphæ inter ſe congruentes; & in alteram homo ſupplicio deſtinatus, reſupinatus, altera ſcapha deſuper ponebatur, atque ſic ambarum fiebat conjunctio, ita tamen, ut caput, manus, ac pedes prominerent. Præbebant cruciatores homini cibum, & veſci vel invitum cogebant; pro potu, lac melli admixtum in os infundebant, faciemque eodem humore conſpergebant, oculis eum contra Solem tueri cogentes. Sic foris a muſcis, intus a vermibus rodebatur miſer homo, vita ſæpe ad decimum usque quartum diem protracta.

Artaxerxes, victoria elatus, *Tiſſaphernem* cum ingentibus copiis miſit ad Joniam ſubjugandam. Sed *Thimbron*, & poſt eum *Dercyllides*, ac deinde *Ageſilaus*, Spartanorum Duces, quin & reverſi ex Perſia, Duce Xenophonte, Græci, ſuccurrentes, proſpere res adminiſtravere. Quia igitur, *Conone* Athenienſi, Perſarum navarcho, fruſtra renitente, Spartani aliquoties victoriam Tisſapherni extorſerant, omnem harum cladium cauſam Rex illi imputavit, eoque interfecto, *Tithrauſten*, hominem ſolertem, adverſus Ageſilaum, qui victoriis inſiſtens, *Pharnabazum*, Joniæ & Lydiæ Satrapam, ex Phrygia cum Perſis jam expulerat, miſit. Iſte, non tam vi, quam conſilio effecit, ut Ageſilaus, perpetuus in bellis victor, ex Aſia cum exercitu revocaretur. Cæteros enim Græcos, quos, poſt Peloponneſiacum bellum, Spartani ſuo premebant imperio, ad arma contra illos hortatus, a maxima ſpe potiundæ Aſiæ, Ageſilaum, in ipſo victoriarum curſu dejecit. Quo facto, dubio Marte ſubinde eſt pugnatum, Athenarumque nuper reſtitutarum vires denuo cœperunt ſeſe exſerere. Tandem

dem Spartanorum navarchus *Antalcida*, ad Artaxerxem de pace miſſus, quietem & Perſis & Græcis obtinuit. Ea conventio, *Pax Antalcidæ* vocari ſolet, Græcia univerſa conſentiente inita. Cum hac ratione Artaxerxes regnum pacaſſet, *Evagoras*, Cypri Rex, & Ægyptii adverſus illum conſurrexerunt. Ac licet Evagoras exercitum trecentorum millium militum, & Claſſem trecentorum navium comparaſſet, victus tamen a Perſis eſt, & novo Regis beneficio, *Salaminem*, quæ in controverſiam deducta erat, obtinuit. Ægyptii rebelles variis cladibus affecti. Enim vero Artaxerxes jam ſenex, domeſticis malis ſuccubuit. *Darius* enim filius, quem Regem deſignaverat, non tantum Aſpaſiam pellicem, ei unice caram, ſibi uxorem petiit, ſed & ipſi patri inſidias ſtruxit. Hunc igitur dilectum cæteroqui filium, in Principum conſilio damnatum, occidi curavit, & paulo poſt præ mœrore mortuus eſt, poſtquam annis 43. regnavit. Hic ille eſt, Plutarcho & Æliano teſtibus, cui cum obviam *Sinæta* prodiret, nec haberet, quo Regem, Perſarum ex more donaret, hauſtam utraque vola, ex fluvio Cyro aquam, ei obtulit. Qua re ille plurimum delectatus, homini, præter ſtolam Perſicam, & auream phialam, miſit mille Daricos. Pellices Artaxerxes dicitur habuiſſe 360. nothos filios 112. Conjugio inceſto, uſu tamen apud Perſas recepto, filias duas, *Ameſtrin*, & *Atoſſam*, etſi aliis deſponſatas, ſibi copulavit.

RES ROMANÆ.

Camillus, Vejorum urbem, poſt decennalem obſidionem, arte capit, cuniculis, ſeu ſubterraneis operibus, in ædem Junonis, quæ in Arce erat, usque adactis, ex quibus eum milites derepente erumperent, civi-

tas pavida facile capi potuit. Captis Vejis, milites, juſſu Imperatoris, *ſimulacrum Junonis Monetæ*, quod ibi præcipua religione cultum erat, in Vrbem tralaturi, ſede ſua movere conabantur. Quorum ab uno per jocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet? Velle ſe reſpondit. Læti milites, in Aventinum ſimulacrum deferunt, ubi Camillus templum illi dedicavit. Erat Vejorum urbs, ut Plutarchus in Camillo ſcripſit, caput Hetruriæ, armorum copia, & militum numero, Romanis nihilo inferior. Sed nunc nullæ ejus reliquiæ, nullum veſtigium, laboratque, quod jam olim Florus dixit, Annalium fides, ut Vejos fuiſſe credamus.

Liceat præter morem, hoc loco, quia ſic res fert, levem digreſſionem nobis facere; & indicare, incolas urbis, in territorio Romani Pontificis ſitæ, quæ *Civitas Caſtellana*, vulgo *Città Caſtellana* dicitur, quondam Jovem lapidem jurare paratos fuiſſe, ſe Vejentium veterum eſſe ſobolem, ſuamq; urbem, ſolum illud, cui Veji erant ſuperſtructi, occupare. Quippe, quod Petrus Cruſius, Doctus Vir, qui ſuperiori ævo, ſub Clemente VII. Romæ floruit, in eleganti prolixoque carmine de iis ſcripſit:

Vejens hic populus cupit vocari.
Quo ſi de populo ſenem rogaris,
Vejens cur ſibi nomen arrogarint?
Hic ſenex ſubito, vel occupatus,
Vrbe non procul indicabit agros,
Priſci qui retinent nomen duelli;
Nomen qui referunt tuum Camille.
Idem mille periſſe, non trecentos
Jurabit Fabios: cuniculumq;
Scalpro biaſſe feret Camilliano.

Nec

Nec impune quiſquam ferebat, ſi animum ſumeret, eoque audaciæ progrederetur, ut Caſtellanis hac in re contradiceret; ſic enim porro Cruſius:

Vejentes ſi tamen abnuamus, actum eſt,
Vejentes niſi dixerim, minantur
His me præcipitem (parata mors eſt)
Vaſtis undiq; rupibus daturos.
Nec eſt effugio locus ſalutis,
Nec ſpes eſt aliqua.

Cæterum, id egit vehementer idem ille Cruſius in eo carmine, ut Caſtellani agnoſcerent, ſe minime Vejentes eſſe, ſed potius, (quod haud minus glorioſum videri poterat,) Faliſcos aut Falerios, unde denique dixit edixitque:

--- Deos laceſſis,
Quod ſuum fugis, exſpuisq; nomen,
Verbi transfuga, non ſoli Faliſci.
Sed tota hæc regio, ſacerq; tractus,
Te ſupplex rogat, obſecrat rebellem,
Vt te municipem Faleriorum,
Seu, quem te voco, te voces colonum,
Quum Vejens neq; ſis, neq; eſſe poſſis.
Pergratum id fuerit Jovis ſorori,
Argivis Dea quæ favet Faliſcis,
Argos quæ cupit hic ſuos renaſci,
Hanc læſam metuas, nimis proterva eſt:
Non veri, precor, hanc cavete Veji.

Exiſtimet quis, tam ſeveris obteſtationibus, tantisque minis, quin & argumentis evidentibus quæ attulit Poëta, permotos Caſtellanos, deſeruiſſe errorem, nec Vejentes porro audire voluiſſe. Sed, nihil eſt, meros æthiopes, quod proverbio dicitur, dealhavit, atque

atque mallent Caſtellani vitam potius, quam Vejentium nomen amittere. Fidem facit inſcriptio, quæ extat in foro publico, a me, cum iter faciens illic tranſirem, factum valde probantibus qui adſtabant, incolis, in pugillares conjecta:

PHILIPPO BONCOMPAGNO S. R. E. CARD. ET M. POENIT. GREGORII XIII. PONT. EX FRE NEPOTI, OB PVBLICAS FVNCTIONES IN CIVITATIS DECVS ET COMMODVM COPIOSISSIME VERSAS, ET IRRIGVVM SPETIOSVMQVE FONTEM SITIENTI POPVLO PIE PROPINATVM, VEIENTES ACCEPTI BENEFICII MEMORES, RECTORI ET PATRI BENEM. AD REI ÆTERNAM MEMORIAM VNANIMES POSVERVNT. M D XVC.

Biennio poſt expugnatos Vejos, *Camillus Faliſcos*, vel potius *Falerin*, (nam *Faleris*, urbis, *Faliſci*, gentis nomen fuiſſe volunt Eruditi,) non minus nobilem civitatem cepit, nec vi, ſed juſtitia ac humanitate. Vrbem enim obſidenti, *Ludimagiſter* liberos Faliſcorum, tanquam ambulandi cauſa extra murum eductos, tradidit, dicens, retentis eis obſidibus, neceſſario civitatem imperata facturam. At Camillus, non ſolum ſprevit perfidiam, ſed & Magiſtrum, reſtrictis poſt terga manibus, pueris virgis agendum ad parentes tradidit, adeptusque eſt beneficio victoriam, quam fraude non concupierat. Nam Faliſci, ob hanc moderationem, ſponte ei ſe dediderunt.

Cæte-

Poſt iſta *Camillus*, *odium plebis incurrit*, quaſi prædam Vejentanam male diviſiſſet: quo nomine etiam *L. Apulejus*, Tribunus plebis, diem ille dixit. Igitur antequam damnaretur, ſponte in exilium *Ardeam* abiit, Deos precatus, ut ſi innoxio ſibi fieret injuria, primo quoque tempore Populum Romanum hujus facti pœniteret, omnibusque mortalibus conſtaret, Camillum Roma, Romam vero Camillo egere non poſſe.

Ante annos ducentos, *Galli*, quod ſupra memoravimus, in Italiam transcenderant. Recentiſſimi iis advenæ nuper acceſſerant *Senones*, quos quidam Suevos, alii Galliæ, quæ poſtea Lugdunenſis dici cœpit, incolas interpretantur. Abundante igitur multitudine, *Cluſinorum* in Hetruria agris inhiant. Cluſini exterriti, Legatos Romam, qui auxilium a Senatu peterent; miſere. Datum eſt ſociis ac fœderatis, ut tres Legati, *M. Fabii Ambuſti filii*, ad Gallos irent, bellumque amica expoſtulatione præverterent. Hi cum parum pro Cluſinis effeciſſent, in Gallos pugnare auſi, gentem ſic ferocem, ad hoc ipſa corporum mole, perinde ac armis ingentibus terribilem, in Romanos, quaſi juris gentium violatores, concitarunt. Cumque poſtulati non traderentur, ſed Tribuni etiam Militares conſulari poteſtate crearentur, flagrantes ira Galli, citato agmine Romam petunt. Occurrit illis *Fabius* Conſul, ad Alliam flumen; ſed Galli, ejus fuſo exercitu, (cujus reliquiæ Vejos petiere, Romam haud amplius contendere auſæ,) Vrbi appropinquant, eamque occupant. Hanc ingreſſi, ſedentes in curulibus ſellis domi ſuæ prætextatos ſenes, velut Deos Geniosque venerati, mox eosdem, poſtquam eſſe homines lique-

liquebat, mactant, faceſque tectis injiciunt, & totam Vrbem, igne, ferro, manibus, ſolo exæquant. Nihil niſi *Capitolium* a violentia hoſtium defendi potuit, in quod juventus, quam ſatis conſtat vix mille hominum fuiſſe, Duce *Manlio* confugit. Quanquam & ipſum Capitolium, ab ultimo diſcrimine parum abfuit; quando Galli, nocte ſubluſtri, animadverſo aſcenſu, in id irrumpere conati ſunt; quos tamen clangor anſerum prodidit, & M. Manlius cum ſociis, ex alto deturbarunt, non ſine magno aſcendentium damno. Cum vero tam obſidentes, quam obſeſſi, fame & peſte laborare occiperent, colloquio inter *Sulpitium* Tribunum Militarem, & *Brennum* Gallorum Ducem inſtituto, res ita transacta, ut Romani mille pondo auri darent, atque ſic libertatem redimerent, Galli vero pecunia accepta, ſtatim Vrbe & finibus decederent. Interea cum de pondere inter neutros conveniret, Brennusque præter iniqua pondera, addito adhuc gladio ſuperbe, *væ victis*, objectaret, *Camillus*, qui Ardeæ exulabat, & abſens ab obſeſſis Dictator dictus erat, rebus his intervenit, atque ſic transactio illa in nihilum abiit, Camillo præcipue cauſante, ejusmodi conventionem, ſe inſcio factam, pro nihilo haberi debere. Indignantibus ob id Gallis, Romanis vero Camilli præſentia animoſioribus redditis, oritur in ipſa Vrbe certamen ingens, in quo, non auro amplius, ſed ferro, de rerum ſumma actum eſt: atque in hoc certamine, melior fortuna Romanos iterum reſpexit. Nam ſtatim Galli cedere, & Vrbem, quam totis ſeptem menſibus in poteſtate ſua habuerant, poſitis ad octavum lapidem caſtris, relinquere coacti ſunt. Camillus quarta vice triumphans Vrbem ingreſſus

eſt,

eſt, & *Romulus* appellatus fuit, quaſi & ipſe patriæ conditor. Sic Plutarchus atque Livius rem narrant, ſed quibus Recentiorum aliqui dicam impingunt grandem, ex Polybio, Oroſio aliisque oſtendentes, Gallos, icto cum Romanis fœdere, incolumes domum rediiſſe.

M. Manlius, qui, quod Capitolium ab irruptione Gallorum defenderat, *Capitolinus* dictus eſt, & triginta tres cicatrices in pectore habuit, profuſis largitionibus invidiam Senatui conciliat, ſibi aditum ad regnum ſtruit. Conjectus in vincula, cum populum, cujus precibus evaſerat, ad rebellionem concitaret, de ſaxo Tarpejo, Capitolii rupe, dejectus periit; locusque idem, in uno homine, & eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ ultimæ factus eſt. Domus diruta, bona publicata, cautumque fuit, ne quis *Marcus* in familia Manliana vocaretur.

Fabius Ambuſtus, duarum filiarum pater, alteram *Sulpicio*, Patricii ſanguinis dederat, alteram plebejo *Licinio Stoloni*. Hæc, cum quodam tempore, riſui ſorori fuiſſet, quod faſces foribus appoſitos, & lictoriæ virgæ ſonum, ignota penatibus ſuis, expaverat, injuriam non tulit. Itaque ſocer, cum genero Stolone conſilia inire cœpit, de Magiſtratibus Patriciorum cum plebe communicandis. Fiunt interim Tribuni plebis *Licinius*, & *L. Sextus*, rogationemque tandem perferunt, ut alterum e plebe Conſulem habere liceat. Conceſſum viciſſim, annitente Camillo, Patribus, de *Prætore* uno, qui jus in Vrbe diceret, e nobilitate creando: additique *Ædiles Curules* e Patriciis, qui maximis ludis præeſſent. Primus e plebe Conſulatus *L. Sextio*, cujus lege partus erat, datus, honoris populo adſtructi præmium.

Lici-

Licinius vero *Stolo* lege ſancivit, ne cui plebejo plus quingenta jugera agri haberet liceret. Ipſe ergo, cum jugera quingenta haberet, & totidem emancipati filii nomine poſſideret, in judicium vocatus, primus omnium ſua lege punitus eſt.

CONTEMPORANEA.

Thraſybulus, Athenienſis, vir ſtrenuus, & domi nobilis, cum inter exules eſſet, audendum aliquid pro patria, (quæ à XXX. Tyrannis tenebatur,) & pro ſalute communi, etiam cum periculo ratus eſt. Itaque adunatis exulibus, caſtellum *Phylen*, Atticorum finium occupat: nec deerat quorundam peregrinorum, tam crudeles caſus miſerantium, favor. Eum enim *Iſmenias* Thebanus, & *Lyſias* Syracuſanus, Orator, privatis opibus liberaliter adjuvabant. Tyranni, exulum conatus principio aſpernari; ſed mox illis occurrere. Fit ergo aſperum prælium; ſed cum hinc pro patria ſummis viribus, inde pro aliena dominatione ſecurius pugnaretur, Tyranni vincuntur, qui deinde, ſuſpecta Athenienſium fide, demigrare eos urbe jubent, & in parietinis habitare; ipſi extraneis militibus ſeſe tuentur. Poſt hæc Thraſybulum quoque corrumpere, imperii ſocietatem pollicentes, conantur, ſed fruſtra. Thraſybulus enim, affluente undiquaque milite auctior, invadit *Pyræum*; mox *Critiam* & *Hippolochum*, Tyrannorum ſæviſſimos, prælio occidit; fugientes cives oratione demulcet; XXX. ſe Tyrannis, non patriæ arma inferre proclamat. Admonet deinde cognationis, legum, ſacrorum communium; tum vetuſti per tot bella commilitii. Itaque reverſus in urbem exercitus, XXX. illos in ordinem redigit, alios X. deſignat, mox eandem

dem iniquitatis ac crudelitatis viam ingreſſos. Tyranni *Eleuſinem*, (quæ Atticæ maritima urbs erat,) digreſſi, Lacedæmonios in auxilium advocant, Athenienſes defectionis accuſantes. Mittitur *Lyſander*, qui Thraſybulum ſectantes in Pyræo obſidet, reddidiſſetq; Tyrannis civitatem, niſi Rex Spartanorum ſuperveniſſet *Pauſanias*, qui, miſericordia exulis populi permotus, patriam miſeris civibus reſtituit; excluſa Tyrannorum factione, & juſſa apud Eleuſinem ſubſiſtere. Hos deinde, cum copias parare reſcivit populus, de reddenda dominatione ſpem faciens, in colloquium vocavit, & per inſidias, velut pacis victimas, trucidavit. Sic membra civitatis diſſipata in unum corpus rurſus coierunt, &, ne qua diſſenſio ex ante actis naſceretur, omnes jurejurando obſtringit Thraſybulus, diſcordiarum, & injuriarum in perpetuum oblivionem fore; quæ, lex Αμνηςία appellata. Vetus deinde Democratica forma reddita eſt Civitati.

Thebani, *Pelopida* & *Epaminonda* Ducibus, vincunt Lacedæmonios ad *Leuctra*, Bœotiæ vicum, juxta Theſpias. Belli occaſio, quod duo Spartani juvenes, Leuctris, a filiabus *Scedaſi* binis, *Hippone* & *Miletia*, abſente patre hoſpitaliter accepti, eas per vim ſtupratas in puteum abjecerunt; idque, licet patre apud Spartanos de graviſſima hac injuria conquerente, impune. Vnde pater, impatiens mœroris, ad filiarum tumulum, ſuis manibus ſe confecit. Vigente autem tum bello inter Spartanos & Thebanos, de conſilio Ageſilai Regis Spartani, miſſus eſt *Cleombrotus*, qui ingenti ſtrage a Thebanis affectus fuit, eo ipſo in loco, ubi filiarum Scedaſi ſepulchrum erat. Hac Leuctrica clade, Spartanorum vires pe-

nitus attritæ ſunt, & principatus civitatum Græciæ, ab iis, ad Thebanos eſt delatus.

Dionyſius Senior, Hermocratis civis Syracuſani, qui, quod nudo enſe urbem ingreſſus eſſet, capite ſupplicium luit, filius, primo Syracuſanorum Dux contra Carthaginienſes lectus eſt: cumque res bene geſſiſſet, & hoſtes ex Inſula ejeciſſet, ejus imperium occupavit. Grave deinde otium deſidiamque exercitui ſuo ratus, ut militum vires continuo labore acuerentur, copias in Italiam trajicit, ac Græcos, qui maris litora tenebant, aggreditur. Iis devictis, jugum tandem univerſæ fere Italiæ, Græci nominis, impoſuit; in Hetruriam etiam, & Illyrios expeditionem ſuſcipiens. Sed eum in Siciliam adventus Carthaginenſium revocavit: qui bellum auctis viribus repetebant. Dux belli *Hanno* Carthaginienſis erat: cujus inimicus *Suniatus*, potentiſſimus ea tempeſtate Pœnorum, cum odio ejus, Græcis literis, Dionyſio adventum exercitus, & ſegnitiem Ducis, familiariter prænunciaſſet, comprehenſis epiſtolis proditionis damnatur: facto Senatus conſulto, ne quis poſtea Carthaginienſis, aut literis Græcis, aut ſermoni ſtuderet; ne aut loqui cum hoſte aut ſcribere ſine interprete poſſet. Nec multo poſt Dionyſius aſſiduis belli certaminibus victus fractusque, ad poſtremum ceu a Juſtino ſub libri 20. hiſtor. finem proditum eſt, inſidiis ſuorum interficitur. At Cicero lib. ult. de nat. Deor. in ſuo lectulo mortuum, & in modum triumphantis in rogum illatum ſcribit. Alii memorant, ipſum præ gaudio, quod inter tragicos, fabulas edentes, victor declaratus erat, fuiſſe extinctum. Et vero, aliquot *Comœdiarum*, & hiſtorici cujusdam operis autor, Suidæ dicitur Dionyſius: atque is duodequadra-

draginta annis Syracuſis tyrannidem exercuit, cum quinque & viginti annos natus dominatum occupaſſet. *Fuit Deorum contemtor*, ac profanator religionis ingens, ſacrilegia ſua etiam ſarcaſmis proſequens. Fano enim Proſerpinæ ſpoliato Locris, cum per altum ſecundo vento claſſe veheretur, ridens, videtisne, amicis ajebat, quam bona navigatio ab ipſis Diis immortalibus ſacrilegis tribuatur? Detractò etiam Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Hiero ex manubiis Carthaginienſium ornaverat, injectoque ei laneo pallio, dixit; aureum amiculum æſtate grave, hyeme frigidum, laneum autem ad utrumque anni tempus aptius deprehendi. Idem, Epidauri, Æſculapio barbam auream demi juſſit: quod affirmaret, non convenire patrem Apollinem imberbem, ipſum barbatum conſpici. Idem menſas argenteas atque aureas e fanis ſuſtulit: quodque in his, more Græciæ, ſcriptum erat, *Bonorum Deorum eas eſſe*, uti ſe bonitate eorum prædicavit. Idem victorias aureas, & coronas, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, tollebat, & eas ſe accipere, non auferre, dicebat: perquam ſtultum eſſe argumentando, a quibus bona precamur, ab his porrigentibus, nolle ſumere.

At, eſto, ore jocatum eſſe Dionyſium, ſi mentem ejus quis recluſiſſet, nil niſi illam dilacerantes laniatus & ictus, ex continuo, in quo verſabatur, metu, aſpexiſſet: quippe, qui & in carcerem quodammodo ipſe ſe incluſerat, quibusdam tantum convenis, & feris barbaris, cuſtodiam corporis ſui committens. Quin etiam ne tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit, & tamen ab iis ipſis, cum jam

eſſent adultæ; ferrum removit, ac ut candentibus juglandium putaminibus, (quæ, utpote pinguia, facile incenduntur, & latam flammam emittunt, ſtatimque in carbones vertuntur, ideoque tali miniſterio non inepta ſunt,) barbam ſibi & capillum adurerent inſtituit. Cum duas uxores haberet *Ariſtomachen* civem ſuam, *Cloridem* autem Locrenſem, ſic noctu ad eas ventitabat, ut omnia ſpecularetur & perſcrutaretur ante, & cum foſſam latam cubiculari lecto circumdediſſet, ejusque foſſæ tranſitum ponticulo ligneo conjunxiſſet, eum ipſum, cum forem cubiculi clauſerat, detorquebat. Idemque cum in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, concionari ex alta turri ſolebat. Cum pila ludere vellet, (ſtudio enim illo delectabatur) tunicamque poneret, adoleſcentulo quem amabat, tradidiſſe gladium dicitur. Ibi cum quidam familiaris jocans dixiſſet, huic certe vitam tuam committis, arriſiſſetque adoleſcens, utrumque juſſit interfici; alterum, quia viam demonſtraſſet interimendi, alterum quia riſu id approbaſſet. Quanquam hic quidem tyrannus ipſe indicavit, quam eſſet beatus. Nam cum quidam ex ejus aſſentatoribus *Damocles*, commemoraret in ſermone copias ejus, opes, majeſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum: negaretque unquam beatiorem quenquam fuiſſe: visne igitur inquiebat Dionyſius, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? cum ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto; abacosque complures ornavit argento auroque cælato. Tum ad menſam eximia forma pueros

ros delectos juſſit conſiſtere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronæ: incendebantur odores: menſæ conquiſitiſſimis epulis conſtruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu Dionyſius fulgentem gladium e lacunari, ſeta equina appenſum, demitti juſſit, ut impenderet illus beati cervicibus. Quo animadverſo, Damocles, nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam: jam ipſæ defluebant coronæ: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus eſſe nollet. Quantopere vero amicitias, quarum infidelitatem extimeſcebat, deſiderarit Dionyſius, declaravit in *Damone* & *Pythia*, Pythagoreis duobus adoleſcentibus, fideli inter ſe neceſſitudine junctis. Horum alterum cum tyrannus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo, priusqnam periret, domum profectus, res ſuas ordinaret, impetraviſſet; alter ſe vadem pro reditu ejus dare non dubitavit. Solutus erat periculo mortis, qui modo cervices gladio ſubjectas habuerat; eidemque caput ſuum ſubjecerat, cui ſecure vivere licebat. Igitur omnes, & imprimis Dionyſius, novæ atque ancipitis rei exitum ſpeculabantur. Appropinquante deinde definita die, nec illo redeunte, unusquisque ſtultitiæ tam temerarium ſponſorem damnabat. At is, nihil ſe de amici conſtantia metuere prædicabat. Eadem autem hora, & momento a Dionyſio conſtituto, qui illud acceperat, ſupervenit. Admiratus amborum animum tyrannus, ſupplicium remiſit, inſuperque eos rogavit, ut ſe in ſocietatem amicitiæ, tertium ſodalitii gradum intima culturum benevolentia, reciperent.

Heroſtratus, cum nomen ſuum poſteritati conſecrare omnibus modis cuperet, *templum Dianæ Epheſiæ*, 127. columnis, a totidem Regibus ſubſtructis, innixum, ea die, quæ Alexandro M. natalis fuit, incendit, ratus, ob hoc facinus, ſui memoriam cum rerum æternitate duraturam. Epheſii autem, quo minus ſperatum ex ſcelere fructum conſequeretur, ſeveris edictis caverunt, ne quis eum unquam nominaret, etſi neutiquam efficere potuerunt, ut nomen illius ad nos haud perveniret.

Præter jam dicta, de *Xenophonte* amplius notandum, ipſum in Hiſtoria, ea, quæ Thucydides de Græcorum rebus ſcripſerat, &, quæ ipſe cum opprimere poſſet, divulgavit, per annos 48. continuaſſe. Etiam *Cyropædiam*, ſive Cyri vitam & diſciplinam literis conſignavit, ſed quæ, non ad hiſtoriæ fidem, verum ad effigiem juſti Imperii conſcripta eſt, unde Joſephus Scaliger in prolegom. operis de emendatione temporum aſſerit, in univerſa Cyropædia veri nihil eſſe, præter nuda nomina, & mentionem duorum triumve eventuum; ut Babylonis captæ, & Crœſi victi. *Librum de Æquivocis*, qui ſub Xenophontis nomine extat, Annium Viterbienſem confinxiſſe dubio caret. Poſt X. millium Græcorum, quos ipſe duxerat, e Perſia reditum, eo quod Cyrum juniorem ſequutus, Athenas redire non auderet, Ageſilaum in Aſiam ſequutus eſt, interfuitque prælio ad Chæroneam. Poſtremo Corinthum abiit, ibique deceſſit anno ætatis 90. Quintilianus, Xenophontis jucunditatem inaffectatam eſſe aſſerit, quam nulla affectatio conſequi poſſit. Cicero de Orat. ſermonem ejus eſſe melle dulciorem, Muſaſque illius ore locutas videri, confirmat. Xenophon aliquando ſacrificans, audita morte

morte filii, ſertum, quod capite geſtabat, depoſuit, cum autem nuncius addidiſſet illum fortiter pugnando obiiſſe, ſertum repoſuit.

Iis, quæ de *Cteſia* dicta ſunt, addendum quoque, illum *Hiſtoriam Perſicam* XXIII. libris perſecutum eſſe, eundemque *Hiſtoriam Indicam* ſcripſiſſe, e quibus Photius nonnulla excerpſit. Harpocration ipſi etiam *Periplum Aſiæ* tribuit. A Plutarcho vanitatis arguitur. Strabo ait, tutius eſſe Homero & Heſiodo fidem adhibere, cum de Heroibus verba faciunt, quam Cteſiæ.

Euclides Megarenſis, Socratis diſcipulus, Sectam Megaricam inſtituit. Cum capitale eſſet Megarenſibus Athenas ingredi, ipſe muliebri veſtitu tectus, Athenas ire non exhorruit, ut vel ſic Socratici ſermonis particeps evaderet. Scripſit *Dialogos ſex*, Laertio teſte.

ARTAXERXES OCHVS.

Poſt Artaxerxem Mnemonem, filius ejus natu minimus *Ochus*, vi & fraude ad Regni faſtigium conſcendit, qui jam ante patris decrepiti mortem, alterum fratrem verſutia, alterum crudelitate peremerat. Cum regnare inciperet, *Reges Cypri* rebelles in ordinem redegit. Hinc movit in *Sidonios*, qui, proditione *Mentoris* ad deſperationem adacti, quadragies amplius mille ex ſuis igne ultro urbi injecto, cremarunt. Omnes Phœniciæ urbes hac expeditione recepit Ochus, & præterea a Thebanis & Argivis adjutus, totam Ægyptum, Rege *Nectanebo* in Æthiopiam expulſo, recuperavit, multisque in ea urbibus, & ipſa *Memphi*, muris nudatis, templisque Deorum direptis, & Api interemto, divite onuſtus præda, in Perſidem rediit. Tan-

dem a *Bagoa*, Eunucho, & militum præfecto, cum omnibus liberis, præter *Arſamem* ſive *Arſen*, Ochus e medio ſublatus eſt. Ælianus l. 6. narrat, illum in fruſta diſſectum, felibus projectum, atque ex ejus femoribus manubria gladiorum facta eſſe, ſuppoſito interim, qui pro ipſo regiis ſepulchris inferretur. Regnavit annos 23.

Res Jvdæorvm.

Cum Ochus recuperaſſet Ægyptum, & in vicinia Judææ bellum gereret, ſævitiam etiam in Judæos exercuit; nam & tributa iis indixit, & multa oppida delevit, compluresque familias in Hircaniam, ad mare Caſpium tranſtulit.

Res Romanorvm.

Ingens *peſtilentia* Romam affligit, quæ per triennium ſæviit, & magnum illum *M. Furium Camillum*, alterum Romæ conditorem, abſumſit. Ei remedium per novas religiones quæſitum, & Lectiſternium factum. Vocabatur autem *Lectiſternium* a Romanis, epulum ſacrum ac publicum, quod Jovi aut aliis Diis apparabatur. Nimirum, receptum tum more, ut iræ alicujus Dei placandæ cauſa, convivium in templo illius exhiberetur, illique tanquam epulaturo, lectus ſterneretur. Iis vero epulis indicendis, Triumviri vel Septemviri Epulonum præerant. Amplius, Romæ ludi ſcenici, accerſitis ex Thuscia hiſtrionibus inſtituti. *L. Manlius* etiam *clavi figendi cauſa* Dictator creatus eſt. Figebatur vero apud Romanos in dextro latere ædis Jovis, ea ex parte, qua Minervæ templum eſt, anni cujusque Idibus Septembribus, clavus, ſingulari cæremonia, ut, per

eos

eos clavos, numerus annorum colligeretur. Fungebantur quondam hoc munere Conſules, ſed poſtea Dictatoribus tanquam majore imperio pollentibus, maxime poſtquam deprehenſum, ſedatam fixo a Dictatore clavo peſtilentiam, tributum, ut illud officium peragerent; ac dignum viſum ſolemne clavi figendi, ut vel ejus gratia Dictator crearetur. Cæterum L. Manlio filius erat *Titus Manlius*, ab eo ob ingenii & linguæ tarditatem in rus relegatus. Iſte cum audiviſſet, patri diem dictam a *Pompejo* Tribuno plebis, nocte Vrbem petiit, ſecretum colloquium a Tribuno impetravit, &, gladio ſtricto, dimittere eum accuſationem multo terrore compulit.

Vix peſtis Romæ deſævierat, cum *ingenti voragine* medium Forum collaberetur. Nec poterat ſpecus prius expleri, quam *M. Curtius* equo inſidens, ſe in eam immiſſum, Diis Manibus devoveret. Id enim Deûm monitu audierat, illi loco dicandum id, quo plurimum Populus Romanus polleret. Reliquis igitur pretioſa quæque ingerentibus, ipſe, nullum majus Romanis bonum, quam arma virtutemque eſſe credens, ſeipſum ſpecui immittere voluit.

Deinde, cruento prælio *Hernicis* victis, *Gallis* etiam ter fuſis, res paſſim proſpere geſtæ ſunt. Imprimis *Titi Manlii* virtus, qui patrem a vexatione Tribuni liberaverat, enituit. Etenim Gallum provocantem, ſingulari certamine proſtravit, jugulavitque, & torque illum ſpoliavit, e quo *Torquatus* dictus eſt.

Tiburtibus etiam, quod cum Gallis ſocietatem junxerant, bellum indicitur, ut & *Tarquinienſibus*, quod agrum Romanum populati fuerant. Hi vero

facibus & ſerpentibus armati, milite Romano exterrito, bis victoriam reportarunt, atque trecentos & ſeptem ex captivis Diis ſuis immolarunt. Facinore illo irritati Romani, majori Tarquinienſes numero in prælio ſecundiore cepere, quos virgis cæſos ſecuri percuſſerunt.

L. Furius Camillus Gallos perſequitur. Ex iis, cum quidam ingentis ſtaturæ, aliquem Romanorum ad ſingulare certamen provocaſſet, *M. Valerius* Tribunus militum, omnibus territis proceſſit. Ejus galeæ *Corvus* inſedit, &, inter pugnandum, ora oculosque Galli verberavit. Hoſte devicto, Valerius, poſtea *Corvinus* dictus eſt. Enim vero, illud Corvi, ſacræ alitis, auxilium, merito in dubium vocat Voſſius l. 1. de Theol. Gentil. cap. 27. ex re ſuſpicatus, inde natam fabulam, quod Valerius galeam geſtarit, cui Corvi eſſet ſuperadditum ſignum. Erat enim is Veterum mos, ut animalis cujusdam pugnacis, nunc leonis, nunc alterius imagine, galeam inſignirent. Cum ergo ejusmodi galeá depingeretur ac effingeretur Valerius cum Gallo pugnans, inde, progreſſu temporis, imperitum vulgus judicavit, Corvum galeæ inſidentem, eſſe effigiem veri corvi, cum eſſet imago imaginis, hoc eſt, ſignum ferrei corvi, quo galea Valerii fuit inſignis.

Recruduit *Bellum Latinum*, in quo alter Conſul, *T. Manlius*, filium, licet feliciter, tamen extrá ordinem, non conſultis Conſulibus, in pugnam progreſſum, ſecuri percuſſit, & *Manlianis imperiis*, proverbium fecit. Alter, *P. Decius*, ſe pro exercitu, cum laboraret miles, resque ad triarios eſſet redacta, devovit, & concitato equo in medios hoſtes ſe ingerens, morte ſua, Romanis victoriam vin-

vindicavit, novum ad eam iter, ſanguinis ſui ſemita aperiens. Sic tandem omne *Latium* in deditionem venit, & *Antiatum*, quorum Vrbs in litore ſita fuit, naves, partim ſunt in navalia Romæ ſubductæ, partim incenſæ; roſtrisque earum, Suggeſtum in foro exſtructum, adornari placuit.

CONTEMPORANEA ALIA.

Dionyſius Junior, antiquioris filius, Patri, militum favore, apud Siculos ſuccedit, ac initio poteſtatis, ut populum ſibi conciliaret, tria millia captivorum vinculis liberavit, tributa inſuper per triennium remiſit. Mox, ſublatis fratribus ac propinquis, quos metuebat, paulatim in cæteros graſſatur. Itaque ob crudelitatem inviſus Syracuſanis, bello expugnari cœptus, in arcem ſe recepit. Inde pulſus, clam in Italiam, *Locros* conceſſit, qui ſub ejus erant poteſtate. A. Locrenſibus, ignaris quod exul eſſet, exceptus, ſolitam quoque tyrannidem in eos ſex annis exercuit, rapinis, ſtuprisque omnia complendo. Deinde Locrenſium conſpiratione civitate ejectus, in Siciliam redit, ibique Syracuſas, ſecuris, poſt longum pacis intervallum, omnibus, per proditionem recipit. Cum vero gravior eſſet, iterata conſpiratione, a *Dione*, Syracuſano Duce, qui Corinthiorum auxilia adſciverat, obſidetur, coactusque Arcem Syracuſanis tradere, *Corinthum* in exilium profectus eſt, ibique *ludimagiſtrum* agens, pueros in trivio docuit, pro ſceptro virgarum faſces tenens. Regnavit annos 25.

Epaminondas, Thebanus, doctus fuit, modeſtus, prudens, temperans, gravis, peritus belli, fortis manu, animo maximo, & adeo veritatis amans, ut ne joco quidem mentiretur. *Pelopidæ*, civi ſuo, autor

autor fuit ut patriam, occupata *Cadmea*, Thebana Arce, a Lacedæmoniorum jugo liberaret. Id cum factum eſſet, graviſſimi belli hæc occaſio fuit, in quo Epaminondas apud *Leuctra*, Lacedæmonios tanta clade affecit, ut illorum opes corruerint, & Principatum Græciæ amiſſum, ultra reparare nequiverint; imprimis, poſtquam iterato prælio apud *Mantineam* victi fuere. In hoc, Ducis optimi, & militis fortiſſimi officio ſungens, Epaminondas, haſta trajectus eſt: relatusque ſanguine & ſpiritu deficiens in caſtra, requiſivit a circumſtantibus, ſalvusne eſſet clypeus? cum ſalvum eſſe flentes reſpondiſſent, allatum, velut ſocium laborum gloriæque, oſculatus eſt. Dehinc iterum quæſivit, eſſentne fuſi hoſtes? cum id quoque, ut cupiebat, audiſſet, elata, quantum poterat, voce, non finis, inquit, commilitones, vitæ meæ, ſed melius & auctius initium advenit. Nunc enim veſter Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur. Thebas, ductu & auſpiciis meis caput Græciæ factas video, fortis & animoſa civitas Spartana jacet, armis noſtris dejecta: amara dominatione Græcia liberata eſt. Orbus quoque, non tamen ſine libris morior, quoniam mirificas filias, Leuctra & Mantineam relinquo. E corpore deinde ſuo educi haſtam juſſit, eoque vulnere exſpiravit. Hinc vere non minus quam eleganter Cicero, in epiſtola ad L. Lucejum: *Quem noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas, non cum quadam miſeratione delectat, qui, tum demq; ſibi ſpiculum avelli jubet; poſtquam ei percontanti dictum eſt, clypeum ſalvum eſſe, ut etiam in vulneris dolore, æquo animo, cum laude moreretur.*

Poſt

Poſt Mantineam pugnam, cum qua Xenophon ſuas finit hiſtorias, tot bellis defatigati Græci, pace facta, quieti ſe tradidere. In ſegnitiem autem ſic iis prolabentibus, *Philippus* Macedonum Rex, Amyntæ & Eurydices filius, Alexandri M. pater, qui Thebis obſes in teneris factus, ab Epaminonda artes militares didicerat, Philoſophorum quoque ibidem diſciplinis imbutus, vires ſuas in immenſum adauxit, jure interdum uſus, interdum injuria. *Macedoniam* ille acceperat, jugo Illyriorum ſervili preſſam; ſed illam brevi, gentium, & civitatum pulcherrimarum effecit dominam, ipſamque tandem Græciam ſub jugum miſit. Namque velut e ſpecula omnium libertati inſidiatus, inferioribus auxilium ferendo, contentiones aluit Græcorum, victosque juxta ac victores, ſuæ reddidit obnoxios poteſtati. Erat is, in ſeria & jocos artifex, blandus pariter & inſidioſus alloquio; fœdera, non fide, ſed utilitate colebat; promiſſis divitem ſe præſtabat; ſi quæſtui foret, dejerare non metuebat; nullumque munimentum inexpugnabile dictitabat, in quod aſinus auro onuſtus poſſet penetrare. Multa bella, quanquam ſæpe magna perfidia uſus, feliciter geſſit; phalangem Macedonicam, conſertis ſcutis firmiſſimo robore ingredi docuit, numosque aureos procudit, quos *Philippicos* nominavit.

Ortum hac tempeſtate *Bellum Phocenſe*, quod 10. annos duravit. Dicitur alias *Sacrum*, propter templum Delphicum, a Phocenſibus direptum & ſpoliatum. Occaſio fuit, damnatio Phocenſium in judicio Amphictyonum ad ingentem mulctam, eo quod magnam partem *agri Cyrrhei*, qui Apollini ſacer erat,

eſſent

eſſent depopulati. Hanc damnationem urgebant Theſſali & Thebani. Præterea Thebani, Lacedæmoniis in pugna Leuctrica devictis, accuſaverant illos coram Amphictyonibus violati fœderis, quod pacis tempore Cadmeam occupaſſent. Damnati ſunt itidem Lacedæmonii, ad ingentem pecuniæ ſummam. Sed cum neque Phocenſes, neque Lacedæmonii ſatisfacerent judicio, ac interim Amphictyones urgerent ſententiæ executionem, Phocenſes vero viderent fore ut ſua regio divini juris fieret, inſtigantibus Lacedæmoniis, *Philomelus*, Phocenſis, collecto exercitu, decreta Amphictyonum publice affixa reſcindit, agros conſecratos recipit, ac tandem talentorum amplius millia decem, ex templo Delphico, ad ſuſtentandum exercitum, aufert, uſus prætextu, Phocenſes veteri more eſſe templi Delphici defenſores, quod jus Thebani ad ſe traducere ſtudeant. Adverſus Phocenſes igitur conjungunt ſuas vires Locri, Thebani & Theſſali. At Theſſali deinde, pecunia corrupti, a bello ceſſarunt. Exitus is fuit, ut Thebani, viribus & opibus exhauſti, accerſerent *Philippum* Macedoniæ Regem. Ad cujus arma exterriti Phocenſes, deditione facta, in ſexaginta talenta quotannis eroganda condemnantur: eorum muri deſtruuntur; ipſi infamia notantur. Quibus ſic in ſervitutem redactis, Philippus reſtituto Amphictyonum judicio, in quo, duo, quibus Phocenſes gaviſi erant, ſuffragia accepit, totius Græciæ Dux nominatus eſt.

De *Amphictyonum judicio*, totius Græciæ celeberrimo ad Thermopylas Concilio, notandum ex occaſione, illud Amphictyonem, *Heleni*, aut, quod ab aliis proditum eſt, *Deucalionis* filium inſtituiſſe, idque primum

nium 7. deinde 12. Græciæ Civitates componebant. Quidam inde Amphictyonum appellationem derivant, quod undecunque ad id Concilium ex tota Græcia conveniretur.

Cæterum Philippus, poſtquam, Theſſalorum Civitates a tyrannis liberaverat, ſibique robur ab eorum equitatu paraverat, *Olynthum* in Thracia urbem, Athenienſium ſociam, exſcidit, nihil Athenienſes moratus, qui magna auxilia ſubmiſerant. Dehinc pacem obtulit Athenienſibus, quam *Demoſthenes* disſuaſit, fruſtra ſanioribus conſiliis inſiſtente *Phocione*, viro, quem Plutarchus Catoni comparavit; ideoque tandem ad imperata facienda adacti ſunt. Cum enim pergeret Philippus, etiam *Byzantinis* & *Perinthiis* bello moleſtus eſſe, Athenienſes cum Thebanis, Ducibus *Charete* & *Philocle*, ei ad Chæroneam in Bœotia occurrentes, magna clade victi ſuccubuere. In eo prælio *Alexander*, Philippi filius, alteri cornu præfectus, magna fortitudinis experimenta dedit. Hæc clades, Juſtino aſſertore, univerſæ Græciæ, & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finivit. Athenienſes, *Lyſiclem* Ducem, quod victoriam ſibi extorqueri paſſus fuerat, capitali affecerunt ſupplicio.

Interim Philippus, certo militum numero Græcis imperato, ſe Ducem, ut expeditio in Perſas fieret, offert. Cumque in Aſiam, copiis præmiſſis, ſe jam XII. Diis annumerare cœpiſſet, ex oraculo didicit, adeſſe jam qui coronatum taurum ad aras mactet. In feſtivitate enim nuptiarum, quibus *Cleopatram*, ex *Olympiade* ſibi editam, *Alexandro* Epirotarum Regi, germano Olympiadis fratri, elocavit, *Pauſanias*, nobilis ex Macedonia adoleſcens, in ipſis

cum

eum nuptiarum ludis percuſſit. Hunc enim *Attalus*, deſignatus expeditionis Africanæ Dux, injuria haud nominanda affecerat: &, cum Philippus in facinoris vindictam interpellatus, in illud non animadverteret, indignatus juvenis, iram in ipſum Philippum convertit, eumque gladio, qui quadrigam in capulo inſculptam habebat, transfodit. Ajunt Olympiadem, quin & Alexandrum filium, cædis conſcios fuiſſe: illam enim ſummopere offendit, quod Philippus, ducta Attali ſorore, ipſam matrimonio injuſte depulerat.

Demoſthenes, civis Athenienſis, unus, quod Cicero ait, inter omnes, omni dicendi genere eminuit. Cum ab initio ætatis balbus eſſet, nec literam R. pronunciare poſſet, quibusdam calculis in os conjectis, prope maris litus declamans, naturæ vitium emendavit, ut poſtea eloquentiſſimus evaſerit. Præterea ad ingens ſpeculum perorare ſolebat, ut eo accuratius geſtus ſuos componeret. In prælio ad Chæroneam fugiens, ſe hoc ideo feciſſe dixit, ut alia vice rurſus pugnare poſſet. Obiit, hauſto veneno, quod, in calamo ſcriptorio, in hunc finem ſecum geſtabat, Olympiade 114. V. C. 432. Plutarchus in vita ejus, LXV. Orationes ab illo ſcriptas refert, quas Photius maxima ex parte ſe legiſſe fatetur.

Æſchines, Athenienſis Orator, Demoſthenis æmulus fuit, a quo victus in certamine, Rhodum diſceſſit, ibique docuit. Extant ejus Orationes tres, *Charites*; & Epiſtolæ novem, *Muſæ* Græcis dictæ. Suidas autor eſt, ipſum cum in quadam cauſa Judices corrupiſſet, in carcerem conjectum, hauſta cicuta mortem obiiſſe. Demoſthenis & Æſchinis opera Græce & Latine, cum Commentariis Græcis Vlpiani

Rhe-

Rhetoris in Demoſthenicas Orationes ſuisque notis Hieron. Wolfius edidit.

Plato, Philoſophus inſignis, *Sectæ Academicæ* princeps, *Ariſtonis* & *Parectoniæ* filius, ab humerorum latitudine ſic dictus, cum antea ex Avi nomine *Ariſtocles* vocaretur. In ejus adhuc parvuli dormientis labellis, apes conſederunt, omen facundiæ. Adoleſcens in palæſtra ſe exercuit, picturæ operam dedit, *tragœdiasq;* & *poëmata* quædam conſcripſit. Poſt hæc ad Socratem ſe contulit, ſub quo brevi tantum in Philoſophia profecit, ut non immerito *Divinus Plato*, & *Philoſophorum Homerus* fuerit appellatus. Tanta ei eloquentia, ut Jovem ſi Græce voluiſſet, Platonice loquuturum, Philoſophi dicerent. Aliqui tamen, eum methaphoris audacibus, & plane poëticis, peccare arbitrantur. In *Italiam* profectus eſt, ut Pythagoreos audiret; ubi *Philolai Crotoniatæ librum*, *de ſecta Pythagorea*, centum minis, etiam in rei familiaris difficultate, mercatus eſt, e quo multa in ſuum Timæum tranſtulit. In *Ægyptum* deinde properans, oleum ſecum mercaturæ gratia vexit, ut viaticum haberet: ibi *Moſis libros* legiſſe creditur. Etiam in Indiam proficiſci cogitaverat, ut cum Gymnoſophiſtis colloqueretur, ſed Aſiaticis bellis inhibitus eſt. Athenas reverſus, in Academia, qui nemoroſus erat extra Athenas locus, & in quo villam habebat, docuit. Inde ſectatores ejus Academici dicti ſunt: inde etiamnum Scholæ publicæ, *Academiæ* vocantur. Phyſicam tradidit ſecundum Heracliti, Logicam, ſecundum Pythagoræ, Ethicam vero ad Socratis mentem. Elaboravit *Dialogos multos*, quorum aliqui interierunt; proponit vero in his ſub *Socratis* & *Timæi* nominibus, ſuam, ſub *Gorgiæ*

vero & *Protagoræ* appellatione, aliorum ſententiam. Certum eſt, primos Eccleſiæ Patres, fere omnes Platonicos fuiſſe, hujusque Philoſophiam reliquis antetuliſſe. Scribit quoque Auguſtinus lib. 7. Confeſſ. libris Platonis utiliter ſe ad intelligentiam variarum veritatum orthodoxarum uſum eſſe, in iisque fere totum Evangelii Johannis initium ſe reperiſſe. Imo Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, & Euſebius, aliique, ipſum de Trinitate aliquam notitiam habuiſſe crediderunt. Eam in rem legi merentur, quæ Moſes Amyraldus in libro de Myſterio Trinitatis part. 3. erudite diſſeruit. Obiit Plato morte placida, die natali, in nuptiis discumbens.

Speuſippus, Philoſophus Athenienſis, Platonis ex *Potona* ſorore nepos, avunculo in Academia ſucceſſit, cui 8. annos præfuit. Ferunt, hunc ſenio confectum, ſibi ex mœrore mortem conſciviſſe: Plutarchus vero ſcribit, illum pediculis efferveſcentibus interiiſſe. Docuit mercede, quod exprobratum ei a Dionyſio. Superſunt Speuſippi ὅροι ſive *Definitiones*, quas Marſilius Facinus in Latinum Sermonem convertit.

Ariſtoteles, patriam *Stagiram* habuit, Macedoniæ oppidum; quod dirutum, Alexander M. ipſius in gratiam reſtituit; parentibus, *Nicomacho* & *Phæſtide* genitus eſt. Statura fuit mediocri, deformis præterea, gibboſus & balbutiens. Platonem audivit, ac docuit poſtea obambulans in *Lyceo*, celeberrimo juxta Athenas gymnaſio, quod Piſiſtratus, aut, ceu alii volunt, Pericles conſtruxit, cum Plato in Academia magiſtri munere fungeretur. Propria ejus laus, quod minime uſus eſt Philoſophia mythica, ut Poëtæ veteres, nec ſymbolica, ut Pythagoras, &

ſæpe

ſæpe etiam Plato; ſed ſimplici & aperta, quæ proprietatem verborum ſectatur. *Alexandri M.* præceptorem per decennium egit, qui illum reprehendit, quod libros acroamaticos vulgaret. Idem ad *Animalium hiſtoriæ deſcriptionem*, octingenta talenta ei ſuppeditavit, quæ ſumma eſt pecuniæ noſtræ, quadringenta & octoginta millia coronatorum: De *Mortis*, qua Ariſtoteles extinctus eſt, genere, variæ circumferuntur opiniones: inter quas illa, de ænigmate a piſcatoribus propoſito, nugamentum eſt & ſomnium. Pudore & dolore, quod naturam Euripi Chalcidenſis explorare haud poſſet, mortuum, Juſtinus Martyr in Parænesi ad gentes ſcribit. E morbo deceſſiſſe, Diogenes Laërtius, & alii prodidere, nihil de pudore commemorantes. Judæi aſſeverant, ipſum Salomonis libros compilaſſe, & proſelytum factum eſſe. Balæus Cent. 14. in Appendice ad Joh. Majorem tradit, Colonienſes Theologos Ariſtotelem Divis annumeraſſe, itemque peculiari libro, ſalutis æternæ illum compotem factum, probaſſe; ſcripſiſſe etiam alium de vita & morte Ariſtotelis, in cujus calce concludant, Ariſtotelem ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem in naturalibus, quemadmodum fuit Johannes Baptiſta in gratuitis.

Diogenes, Cynicus Philoſophus celeberrimus, *Sinopen*, Aſiæ minoris in Paphlagonia Vrbem, patriam, & in ea, *Iceſium* genitorum habuit. Dictus eſt vulgo ἡμερόβιος, hoc eſt, *in diem vivens*, quod omni abjecta ſolicitudine, cibum ſuum in ſingulos dies emendicaret. Habitavit in portarum veſtibulis, & porticibus civitatum; in dolio quoque, quod orbilem domum prædicabat, & ſe cum temporibus commutantem. Hyeme enim ejus apertam partem

verſus Meridiem, Æſtate, ad Septentrionem obvertebat. Jam ſenex, a *Scytalo* pirata captus, venditus eſt *Xeniali* Corinthio, qui eum manumiſit, illique liberos ſuos erudiendos tradidit. Obiit ferme nonagenarius: mortique vicinus, juſſit cadaver ſuum inhumatum abjici; quærentibusque amicis, volucribusne & feris corpus ſuum dilaniandum vellet relinqui? minime, inquit, ſed bacillum apud me, quo illas abigam, ponitote. Ad hunc, cum Corinthi in ſole ſedentem, Alexander M. acceſſiſſet, hortareturque, ut ſi qua ſibi vellet præſtari indicaret; id te precor, ajebat, ne in Sole mihi obſtes.

Senſit Alexander, teſtâ cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem.

Juven. Sat. 10.

MILLLENARII IV.

SECVLVM VII.

ARSAMES.

CUm *Bagoas* cubicularius, Artaxerxem Ochum, filiosque ejus omnes, ſolo *Arſame*, qui & *Arſes*, ac *Arſemenes* dicitur, excepto, e medio ſuſtuliſſet, Arſamen hunc nomine regio exornavit, poteſtate ſibi ſervata. Quia vero Arſames ultionem meditari videbatur, ideo ipſum quoque Bagoas, anno 3. poſt indeptam dignitatem, cum omnibus liberis peremit, & de populi ſententia, *Codomannum*, Armeniæ Satrapam, Artaxerxis Ochi ex fratre nepotem, atque ſic Arſamis patruelem, produxit ad regnum, isque Darii nomine, ne quid regiæ majeſtati deeſſet, honoratus eſt. Cæterum cum paulo poſt Bagoas hunc

pari-

pariter ſuetis inſidiis peteret, ipſe venenum quod paraverat, prior bibere fuit coactus, ſicque necis artifex, ſua pariter arte periit.

DARIVS CODOMANNVS.

Hunc Darium, primam inter Perſas gloriam retuliſſe ait Diodorus, quod ſingulari certamine, aliquem ex hoſtibus prænobilem, firmitate virium devicerat. Poſt imperii auſpicia, *de bello in Macedoniam proferendo* conſilia agitans, cum Philippum extinctum eſſe audiviſſet, contemſit Alexandri, filii ejus, adoleſcentiam, quæ res ipſi, & Perſis pariter fuit exitio. Tribus enim ingentibus prælijs, ad Granicum, Iſſum, &, denique Arbelam victus, cum ſe fuga victori eripere conaretur, in Media, a *Beſſo* Bactrianorum præfecto, comprehenſus & trucidatus eſt, cum 6. annis imperaſſet. Hiſtoria mox plenius in Alexandri M. rebus geſtis enarrabitur.

RES ROMANÆ.

Referendum ad hæc tempora, initium *Samnitici belli*, gravis ac diuturni, quod Romani rogatu *Campanorum* ſuſcepere. Illi enim a Samnitibus, gente quæ inter Campaniam & Apuliam habitabat, victi, Romanis deditionem fecerant. Quare hi, pro dedititiis ſumſere bellum. Multis annis id acerrime geſtum eſt, nonnulla interdum clade Romanorum, & ignominia, ſed majore, &, quod caput eſt, excidio Samnitium. Juvat illud integrum hoc loco, ſed breviter enarrare: ac, ut memoriæ lenocinemur, non diſtinguemus res temporibus. Florus l. 1. c. 16. de hoc bello loquens, ait, Samnites fuiſſe gentem, ſi opulentiam quis quærat, aureis & argenteis armis, diſ-

colori veſte usque ad ambitum armatam: ſi fallaciam, ſaltibus fere & montinm fraude graſſantem: ſi rabiem ac furorem, ſacratis legibus, humanisq; hoſtiis in exitium Vrbis agitatam: ſi pertinaciam, ſexies rupto fœdere, cladibusque ipſis animoſiorem: hos tamen, quinquaginta annis (alii valde adaugent etiam numerum) per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos, ita ſubegiſſe Populum Romanum, ac domuiſſe, ita ruinas ipſas urbium diruiſſe, ut Samnium in ipſo Samnio requiratur; nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maxime nota & illuſtris clades Romanorum fuit ad *Furcas Caudinas*. Eſt is locus in Regno Neapolitano, haud procul a Benevento urbe. & nunc, *Stretto d' Arpaja* vocatur; quod enim priſcis *Caudium*, id nunc *Arpaja* dicitur oppidum; Furcæ vero Caudinæ, ſaltus duo alti ſylvoſique ſunt, quos montes perpetui cingunt. Jacet inter eos, ſatis patens campus, herbidus, aquoſusque, per quem medium iter eſt; in hunc intratur per anguſtias, & aut eadem retro via repetenda, aut ſi quis porro ire pergat, per alium ſaltum arctiorem impeditioremq; evadendum. In hunc locum iniquum *Titus Veturius*, & *Sp. Poſthumius*, Romani Conſules, cum univerſo exercitu, a *C. Pontio Theleſino*, hoſtium Duce, pellecti ſunt. Nam ille ſimulatos transfugas miſit, qui Romanos docerent, *Luceriam* Apulam a Samnitibus obſideri, quo duo itinera ducebant, aliud longius & tutius; aliud brevius & periculoſius. Feſtinatio brevius elegit. Itaque cum in inſidias, hoc eſt *Furculas Caudinas*, Romani veniſſent, C. Pontius accitum patrem *Herennium* rogavit, quid fieri placeret? Ille ait, aut omnes occidendos, ut vires frangerentur; aut omnes dimit-

dimittendos, ut beneficio obligarentur. Vtroque conſilio improbato, ſub jugum Romani miſſi, ac turpi pace inita, domum redire juſſi ſunt, ſexcentis equitibus obſidum loco relictis. Sed pax facta, infecta reddita fuit. Romani enim ipſos Conſules, & reliquos ſponſores, victos tradidere Samnitibus, negantes, ſe pacis conditionibus, ſine ſuo juſſu initis, teneri. Non enim populi libertatem a Ducis arbitrio pendere, ſed Ducis tantum eſſe bellum gerere, ea fide, qua poteſt & debet; pacem conficere neminem poſſe niſi illum, qui jus habeat arma ſumendi & ponendi, hoc eſt Romanum Populum Quiritium. Cum non reciperentur Conſules, in Vrbem reverſi ſunt, & utrinque bellum reſtauratum, in quo fuſis a *Papirio Curſore* Samnitibus, & ſub idem jugum miſſis, receptisque Equitibus Romanis qui obſides dati erant, pudor prioris flagitii abolitus eſt. Hic eſt ille *Papirius*, quem Livius l. 9. per digreſſionem, demonſtrat potuiſſe reſiſtere Alexandro M. ſi forte devicta Aſia, Populo Romano bellum is intuliſſet. Quamvis vero plerunque inferiores eſſent Samnites, præſtantiſſimis tamen quibusque Ducibus, Conſulibus, Dictatoribus Romanis, objicere ſe non dubitaverunt. Sed, tandem in eas anguſtias ſunt redacti, ut pacem petere cogerentur, quam etiam impetrarunt. At vero hæc quoq; & paulo poſt labefactata & irrita reddita fuit, ac tum *Q. Fabius Maximus*; & *Attilius Regulus*, aliique, Samnites attriverunt. Tandem *M. Curius Dentatus*, (qui rapas coquens, oblato a Samnitibus auro, ſe malle aurum habentibus imperare, quam aurum habere dixit,) Samnites penitus ſubegit, eorumque urbes ſolo æquavit.

CONTEMPORANEA ALIA.

Alexander Epiri Rex, Magni Alexandri avunculus, in Italiam a Tarentinis, adverſus *Brutios*, qui, ex ſervis & paſtoribus prædones ſemet fecerant, evocatus, ita cupide illac profectus eſt, tanquam in diviſione Orbis, Sororis ſuæ filio Oriens, ſibi Occidens ſorte obtigiſſet; confiſus, non minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque, quam ille in Aſia, ſeſe habiturum. Primum illi bellum cum *Apulis* fuit, quod mox pace finitum. Inde *Brutiorum*, *Lucanorumq;* multas urbes cepit, & cum Romanis ac Metapontinis fœdus percuſſit. Sed Brutii, Lucanique, cum auxilia a finitimis contraxiſſent, acrius repetito bello, Alexandrum juxta urbem *Pandoſiam*, & fluvium *Acherontem*, oppreſſere, in quo ille prælio interiit.

MO-

MONARCHIA III. GRÆCORVM.

ALEXANDER M.

ALexander M. patre *Philippo*, Macedoniæ Rege; matre *Olympiade*, Neoptolemi, Moloſſorum in Epiro Regis, filia, genitus eſt, quem tamen mater a nobiliore patre concepiſſe videri volebat, ſe ex dracone gravidam factam affirmans. Ipſe quoque Alexander, pro Jovis filio gerere ſe cœpit. Joſephus Gorionides ſcriptum reliquit, Alexandri patrem fuiſſe Magum quendam Ægyptium, cui *Nectanebor* nomen erat, Ægypti dominum. Hunc, cum ex aſtrorum ſcientia prævidiſſet, fore, quod etiam poſt evenit, ut Perſæ potirentur Ægypto, deſerto regno, clam omnibus veniſſe Antiochiam: inde porro, habitu, qualis eſſe ſolet Procerum Babyloniæ, veniſſe in Macedoniam, ad Philippum Regem; ibi cum in aula verſaretur, atque in ſummo honore eſſet, captum amore Olympiadis, cui, quod ſine liberis eſſet, non optime conveniebat cum marito, noctu veniſſe ad eam in forma Hammonis Dei, atque hinc Alexandrum natum eſſe, creditumq; Hammonis filium. Qualis quantusq; futurus eſſet, prædixere *ſomnia*, quibus, Olympias fulmen in uterum ſuum delabi cœlitus, & ignem inde in omnes terras exire; Philippus, ſe annulo, leonis imagine inſignito, uterum Olympiadis obſignare, videbant. Ipſe puer, mature animum heroicum prodebat, cum ſe velle in ſtadio Olympico decurrere dixit, ſi Reges ſecum eſſent decertaturi; item in do-

mando *Bucephalo*, equo ferociſſimo, & ſeſſorem non admittente, quem mirifice, umbræ ratione habita, ita rexit, placidumque reddidit, ut pater omine inde capto, exclamaret, aliud filio regnum quærendum eſſe, quoniam Macedonia illum non capiat. Magiſtros nactus eſt eximios, *Leonidam*, *Lyſimachum* & *Ariſtotelem*: a quibus in *Nymphæo*, loco ab aula remoto, eruditus, philoſophiam omnem plene addidicit, a qua deinde, ſæpe plus, quam ab armis, habuit præſidii. De *Leonida* notandum, ipſum Alexandrum puerum, thure largius ſacrificantem, verbis increpaſſe, monuiſſeq;, tum decere liberaliorem eſſe, cum thuriferam regionem ditionis ſuæ fecerit: cujus reprehenſionis, Rex, Aſia potitus, reminiſcens, immenſam thuris copiam Leonidæ ſubmiſit, eumque ad liberalitatem erga Deos, per jocum hortatus eſt. Homeri carmina tanti fecit Alexander, ut Iliadem nunquam non comitem haberet, eandemque pulvino, cum pugione, dormiturus ſupponeret. Antequam regnum vigeſimo ætatis anno ſuſcepit, in ipſa adoleſcentia inſignia virtutis ſpecimina edidit. Nam, non ſolum interfuit pugnæ ad Chæroneam, & quidem tanta cum laude, ut nec patre, nec ullo alio inferior eſſet: ſed & ante illud tempus, cum pater ad Byzantinos debellandos abiiſſet, *Thracas* qui defecerant, ſubegit, & ejectis barbaris, urbem eorum, quam ceperat, novis colonis habitandam conceſſit, ac *Alexandropolin* nominavit.

Cum in regno Macedonico patri ſucceſſiſſet Alexander, principio, erectis colloquio ſubditorum animis, citato gradu in Græciam contendit, quæ, *Attali* ſubnixa autoritate, defectionem agitabat. Ibi *Theſſalos* ante omnia ſibi devinxit, & Senatum Amphi-

ctyo-

ctyonum; a quibus, Dux renunciatus Græciæ, *Athenienſes* ſubito adventu adeo perterruit, ut miſſis legatis pacem precarentur. Eis mox reliqua conſenſit Græcia. Inde *Illyrios*, *Thraces*, *Triballos*, *Dardanos*, facile compeſcuit, orientesque nonnullas ſeditiones extinxit. *Attalum* interim, novercæ *Cleopatræ*, quam Philippus Olympiadi ſuperinduxerat, fratrem, per Hecatæum & Parmenionem oppreſſit in Aſia. Obſtabant Thebani, ex veteri in Perſas affectu, animoſius Alexandro reluctantes. Iis acri prælio proſtratis, in Thebas urbem irrupit, eamque excidit; crudelius, quam pro ingenio ſuo, agens. Sed nimirum peregre in Perſas abituro, exemplum relinquendum erat, quod fidei ſervandæ cæteros admoneret. Pindari poſteris, in honorem vatis, pepercit, ejusque domum cremari vetuit. Pepercit etiam Timocleæ, ſorori Theagenis, ad Chæroneam Ducis, quæ Ducem Thracum, ob vim intentatam, callide in profundum putei detruſerat. Inſuper ſervavit Deorum delubra, & fortium virorum ſtatuas; religione permotus, quod milites cœleſti igne, cum fanum in ſuburbio ſpoliarent, ambuſti dicebantur. Sex millia Thebanorum interfecta, captivorum 30. millia ſub corona vendita. Athenienſes, quod portas exulibus aperuiſſent, ſic demum recepit in gratiam, ſi Duces urbe ejicerent. Demoſthenem, reliquosq; Oratores, ægre eloquentia ſervavit. Dehinc, Corinthi, Græciæ Imperator declaratus eſt Alexander, ubi & in Diogenem incidit.

Sequuta mox *Expeditio Perſica*, cum prius omnes novercæ cognatos, ſuosque, qui apti regno videbantur, Alexander ſuſtuliſſet e medio, ne quam domi materiam ſeditionis relinqueret. Patrimonium quoq; omne

omne inter amicos divifit, ſibi Aſiam ſufficere præfatus. Sic in Aſiam, quaſi jam ſuam deſcendiſſe viſus eſt, milites prædæ inhiantes a populationibus prohibens, quod non perdenda aſſereret, quæ poſſeſſuri venerint. In exercitu ejus fuere peditum 32. millia, equitum, 4. millia quingenti; naves 182. Hac, parva quidem, ſed ſtrenua manu, terrarum Orbem aggredi auſus juvenis. Non enim tam milites, quam militiæ magiſtros elegerat, cum ordines nemo niſi ſexagenarius duceret, ut, ſi principia caſtrorum quis cerneret, Senatum ſe alicujus priſcæ Reipublicæ videre arbitraretur. Itaque nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitabat; nec in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis erat. Regni adminiſtratio *Antipatro* commiſſa: trajectoque Helleſponto, cum delati in continentem eſſent, primus Alexander jaculum velut in hoſtilem terram jecit; armatusque de navi, tripudianti ſimilis, proſiluit; atque hoſtias cædens precatus eſt, ne ſe Regem illæ terræ invitæ accipiant. In Ilio quoque, ad tumulos Heroum, qui Trojano bello ceciderant, parentavit: Achillem fortunatum judicans, quod ſuæ virtutis præconem inveniſſet Homerum.

Contra *Darius*, fiducia virium, nihil aſtu agere, cumque prohibere hoſtem ingreſſu Aſiæ potuiſſet, intra regni viſcera excipere maluit. *Memnonis* etiam Rhodii conſilium, de invadenda Macedonia faſtidiebat, quod tamen admiſſum, Alexandrum ad patriam defendendam retro cedere coëgiſſet. Sed vicit deterior Satraparum ſententia, præliumque ad *Granicum*, Phrygiæ amnem, qui ex Ida monte profluens, in Propontidem ſe exonerat, haud procul a Cyzico urbe commiſſum eſt. In eo Alexander *Spithro-*

thrubatem, Darii generum, qui jam ſcutum ejus perfregerat, retorta in frontem irruentis cuſpide, occidit. Accurrit frater jacentis *Raſaces*, & vulnus infligit Alexandro; repetituro ictum, *Clitus* dextram amputat. Mox & alii Perſarum Duces, generoſe dimicando occumbunt, inter quos *Pharnaces*, uxoris Darii germanus, & *Mithrobarzanes*, Cappadocum Satrapa; quorum nece exterriti Perſæ, in fugam vertuntur. Macedones tergis inſiſtentes, 22. millia ſternunt, totidemque vivos capiunt. Macedonum fere 500. occubuerant, quibus magnifice curavit exequias Alexander. Hac victoria in ſpem ſublimem erectus ipſe, naves omnes, onuſtas ſpoliis, in Græciam remiſit, *Sardibusq;*, *Epheſo*, *Mileto*, *Halicarnaſſo*, & tota *Phrygia*, *Pamphylia*, *Lydia*, *& litorali Aſia*, *ad Ciliciam usq;*, ſibi ſubjectis, theſauro ingenti potitus eſt.

Darius, *Memnonem* ſupremum Perſicorum exercituum ductorem, Macedoniam cum copiis ſuis ingreſſurum, ut Alexandrum ex Aſia retraheret, ex morbo periiſſe intelligens, *Charidemum* Athenienſem exulem, ſubſtituit. Quo, ob liberiorem Perſicæ gentis reprehenſionem, interemto, Darius non tam copiarum quam Ducum indigus, procurandum ſibi ipſi ſumit bellum. Contractis peditum quadringentis, centum equitum millibus, verſus Ciliciam agmina movet. Alexander, *Paphlagonia* & *Cappadocia* ſubjugatis, & ipſe in *Ciliciam* properat, ut montium anguſtias prior occuparet. Sed cum in frigidis *Cydni* fluvii aquis, prope Tharſum urbem, membra ſudore & æſtu feſſa reficeret, ſubito horrore natantis membra diriguere, totoque propemodum corpore vitali calore deſtituto, pallor eſt ſecutus, & mentis defectus. Vbi vis illa graſſantis morbi paululum

lulum remiſit, a medico *Philippo Acarnane*, quem auro Perſico corruptum eſſe *Parmenio* ſignificarat, magna cum fiducia potionem medicatam accepit, & ſubita curatione ſanitati reſtitutus eſt. Fit deinde pugna ad *Iſſum*, Ciliciæ urbem extremam, ubi in anguſtiis, nulla multitudinis, qua ſola Perſæ nitebantur, utilitas erat. Maxima circa Darium, Alexandro oppugnante, ſtrages facta. Confoſſis Darii equis, cum in mutatione quadrigæ metus eum inceſſiſſet, perturbatio omnem invaſit exercitum, actique in fugam equites, mutuo ſe alliſu confertim obtrivere. Nec melior fortuna pedeſtris fuit exercitus. Cecidere igitur centum amplius & triginta millia Perſarum, pauci Macedonum. Ipſe Alexander, gladio femur ictus eſt leviter. Caſtra luxu Perſico diffluentia, ſtatim in pugnæ initio occupata ſunt. Capta in iis mater Darii *Siſygambis*; uxor *Statira*, cum ſexenni filiolo; filiæ *Stara*, & *Drapetis*; ſoror item, & omnis fœminarum Perſicarum turba. Erga eas Alexander, & ſumma clementia, & incredibili modeſtia uſus eſt. Cum ſola *Barſine*, Memnonis defuncti vidua, literis Græcis & moribus inſtituta, patre *Artabazo*, ex regia filia prognata, quam Damaſci ceperat, conſuetudinem habuit, & ex illa *Herculem* filium ſuſcepit.

Tanta victoria non impigre uſus Alexander, univerſam cum *Damaſco Syriam*, *Cyprum*, & multas Orientis provincias, occupavit; & oram maritimam in ſuam redegit poteſtatem. *Abdolonymum* hortulanum, regia tamen ſtirpe ortum, Regem Sidonis conſtituit. Sola *Tyrus* excluſerat Alexandrum, freta ſocietate Carthaginis, & Darii opibus. Exercitu Inſulæ applicato, cum fortitudini artes urbanas cives miſce-

miſcerent, in ſeptimum menſem obſidionem extrahunt, ingenti cum damno Macedonum. Oppugnantibus, *Cyprii*, qui a Dario defecerant, claſſem mittunt, & ſic terra marique bellum acerrime geritur. Tyrii, ſacrilega ſuperſtitione, ingenuum *Saturno* puerum immolant, *Apollinem*, Syracuſis olim devectum, aureis onerant vinculis, quaſi invitum & captivum Numen in Vrbe retenturi. Tandem cum Σάτυρ@, (quod eſt, *tua erit Tyrus*) in ſomnis Regi occurriſſet, & manibus militum ingenti mole excitata, Vrbs continenti jam juncta eſſet, expugnata fuit. Alexander murum primus conſcendit. Vrbs incendio abſumta; incolæ vel trucidati, vel ſub haſtam miſſi; bis mille cruci affixi ſunt. Crudelitas enim ulciſcenda erat, qua olim ſervi, conſpiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interfecere, uno *Stratone* excepto, cui ſervus pepercerat; atque hujus Stratonis genus, Alexander inviolatum ſervavit, ſervili germine prorſus exſtirpato. *Gazam* etiam, poſt duorum menſium obſidionem, tertio vitæ periculo evitato, expugnat, & *Hieroſolymam* infeſto agmine tendens, a *Jaddo* Pontifice placatur. Tum Darius, bis legatis miſſis, promiſſa etiam filia in matrimonium, & omni regni parte quæ cis Euphratem eſt, familiam repetiit, ſed fruſtra. Græcorum quoque Senatus, auream coronam, per XV. Legatos Alexandro obtulit; de victoriis ei gratulatus. Præfecti etiam Alexandri, paſſim locorum ſucceſſibus uſi ſunt optatis. *Antigonus*, triplici prælio, Darii Duces, Lydiam recuperaturos, afflixit. *Ariſto*, Macedonicæ claſſis præfectus, navalem victoriam obtinuit.

Poſt

Poſt hæc, *Ægyptum* Alexander occupat, & *Alexandria* urbe, in Inſula Pharo, ad Nili oſtium condita, Græcisque incolis completa, in *Libyam*, magno cum periculo, per illas arenas, quibus olim Cambyſis exercitus erat ſuffocatus, ad conſulendum *Jovis Hammonis Oraculum*, profectus, & a ſacerdote, ſive ſubornato, ſive adulante, Jovis filius ſalutatus, nomen porro divinum, præſertim apud barbaros, affectare, ſeque filium Jovis vocare cœpit. Inde regreſſus, Euphrate & Tigride transmiſſo, Dariique conjuge, quæ deceſſerat, honorificentiſſime tumulata, tertia vice Darii legatos obviam habuit. Iis reſponſum, habiturum pacem, ſi de arbitrio victoris imperium accipere vellet, nam nec cœlum duos ſoles, nec orbem terrarum duo ſumma imperia pati. Quare deſperata transactione, bellum Darius haud ſegniter reparat, & Alexandro obviam vadit, haud ſingulos habenti, quos denis armatis opponeret, niſi quod Dario hominum, Alexandro virorum copia ſuppetebat. Concurritur ad *Arbelam*, Aſſyriæ urbem, haud procul a Ninive. Alexander, quo die pugna erat ineunda, ſolito altius dormiit, non prius excitatus, quam a *Parmenione* moneretur. Inito prælio, Macedones in ferrum cum contemtu toties a ſe victi hoſtis ruunt. Contra Perſæ, mori quam vinci præoptant. Multum utrinque ſanguinis fuſum eſt. Vt Macedonum impedimenta capta Alexander audivit, contempſit id, nec quicquam virium ex acie ſubduci paſſus eſt. Ita anceps victoria ſtetit, donec auriga Darii confoſſo, fugiendi initium ab iis, qui Regem periiſſe putabant, ortum eſt. Sic enim nudato latere, Rex ipſe circumſpexit fugam, *Mazæo* interim Macedonum cornu ſtrenue oppugnante, cui

cui Parmento præerat. Id ægerrime eſt reſtitutum cum jam totam Perſarum aciem, Regis fugientis exemplum perterruiſſet. Tum vero inſtantes tergis Græci, maximam ſtragem fecere, & 90. hominum millia ferro confecta eſſe dicuntur: multo majori parte, cum Dario, pulveris beneficio, e conſpectu perſequentium ablata. Hoc prælio Alexander Aſiæ imperium rapuit; quinto anno quam regnare cœperat. Confeſtim *Babyloniam* & *Suſianam* ultro tradunt Satrapæ: validumque copiarum ſupplementum e Macedonia Græciaq; venit. Sic roboratus, per Araxen fluvium, in Perſiam perrumpit Alexander, & *Perſepolin* caput regni petit, quam ei *Tiridates* prodidit. Hanc toto orbe omnium ditiſſimam urbem, militibus diripiendam conceſſit, regia arce excepta, in qua 120. talentorum millia reperta memorantur. Tum, cum Baccho litaretur, auferente animos extra rationis limites temulantia, *Thais*, Attica meretrix, memor patriam ſuam a Xerxe olim crematam, Alexandrum ad Perſepolin incendendam inducit.

Poſt hæc Darium perſequi placuit. At eum *Beſſi* Bactrianorum præfecti, perfidia, præoccupaverat, qui *Bactra* feſtinantem, aureis primum compedibus in Parthia vincivit, poſtea, contentiſſime inſectante Alexandro, vehiculo clauſum, multisque confoſſum vulneribus, in ſolitudine reliquerat. Adhuc ſpirantem *Polyſtratus* Macedo forte fortuna reperit, cui poſtremas voces ad Alexandrum ferendas commiſit, quibus grates agebat, pro regio ejus, non hoſtili, in Matrem Liberosque animo, illumque hortabatur, ut exempli cauſa vindictam de parricidis exigeret; denique corpori ſuo ſepulturam precabatur. Alexander ſuperveniens, viſo corpore, tam indignam

illo faſtigio mortem, lacrymis proſequutus eſt. Cadaver regio ornatum cultu, ad matrem Siſygambim, patrio more ſepeliendum, atque majorum tumulis inferendum, miſit.

Inter hæc *Spartani* in Græcia, Rege *Agide*, res novas contra Macedonas moliuntur. Sed victis eorum copiis ab *Antipatro* Macedoniæ Prorege, vix tandem in gratiam recipiuntur. Alexander interim, milite ingentibus donis affecto, in *Hyrcaniam* movet. Ibi *Thaleſtrin*, Amazonum reginam, obviam habuit, ſobolem ex eo quærentem, cui 13. dies indulſit. Ea tempeſtate mutabat cum veſte mores Alexander, & quem Perſarum arma non fregerant, vitia vicerunt. Ergo dies noctesque conviviis continuat, Duces militum Perſicis ornat veſtibus, pellicibus, quibus ſpadonum greges miſcebantur, regiam implet, unde multi eum jam odiſſe cœperunt. Sic quidam corporis ejus cuſtodes, adverſus illum conſpiravere, quorum machinamentum *Philotas* contemnens, cum non detexiſſet, ipſe, cum *Parmenione* patre, Mediæ jam præfecto, trucidatus eſt.

Alexander, *Roxane* filia, *Oxartis* Darii fratris, fœmina longe formoſiſſima, uxore ducta, e captivis Perſis tricies mille pueros, & Græcis literis erudiri, & ritu Macedonum in copiarum ſuarum ſupplementum armari juſſit. Per multa deinde frigora multasque nives ad inſequendum Beſſum, ad *Caucaſum* usque progreditur. Captum Oxarti tradit, eodem in loco puniendum, ubi Regem ſuum confoderat. Ibi curvatis arboribus diſcerptus, & in fruſta parricida conciſus eſt, particulæ carnis ejus per aërem fundis disjectæ.

Ad *Tanain* fluvium, *Alexandria* altera condita,

Scy-

Scythas, hactenùs invictos, vicit Alexander: Petram inſuperabilem *Aornon*, in Sogdianis expugnavit. *Leonem* ſæviſſimum in Bazaria, ſua manu in venatione peremit. *Clitus*, frater *Hellanices*, quæ Alexandrum nutriverat, *Maracandam*, Sogdianorum metropolin, cum imperio dimittendus, convivio excipitur. Cum mero incaluiſſent, Clitus fiducia amicitiæ audentior, Philippum Regem impenſiuś laudat, honorificam Parmenionis, ſui, aliorumque veteranorum mentionem infert. Ob hanc ſermonis audaciam, rapta e manibus armigeri lancea, Clitum Alexander transfigit. Poſtridie diſcuſſa ebrietate, magnitudinem facinoris ſera æſtimatione contemplatus, de ſui ſervatore a ſe occiſo lamentatur, ægreque eſt prohibitus, quin evulſam e corpore jacentis haſtam, in ſua adigeret viſcera.

Indo transmiſſo, *Taxilis* Regis Indici copiis adjutus, *Poro*, Regi magnanimo, qui 130. elephantos in acie oppoſuit, bellum intulit Alexander, eique devicto, regnum reddidit. Hac in pugna *Bucephalum* amiſit, & magnifice ſepelivit, urbe etiam nova ab eo denominata. Cumque ad *Gangem* fluvium profectus, nobilem canum Regis *Sophitis*, quem in ſocietatem receperat, indolem deprehendiſſet, a militibus, ne interiores Indiæ partes, quas petebat, intraret, ſed tandem ad ſuos rediret, rogatus, ex India retrogreditur. Priusquam tamen id fieret, libido illum inceſſebat luſtrandi *Oceani Indici*. Quapropter navibus in Gange fluvio fabrefactis, 7. menſibus per flumen in mare eſt devectus. Poſt, *Calanum* Gymnoſophiſtam, (qui tandem ſemetipſum ex Philoſophiæ ſuæ placitis, in conſpectu Alexandri ob ſenium cremavit,) attente audiit, cumque apud

Mallos, urbem quandam Oxydracarum oppugnaret, ſolus in eam, nimis temerario ſaltu, ſe immiſit, & ultimum vitæ periculum ſubiit. Deinde a *Dioxippo* Athenienſi, athleta nudo, *Coragum* Macedonem ſuperari vidit, & in Perſiam rediens, de Præfectis, qui interea rem male geſſerant, pœnas exegit. Tandem, ut aliis alias, ita ſibi *Statiram*, alteram Darii filiam, alteram *Drapetin*, *Hephæſtioni*, uxores ſociavit. Sed Hephæſtionem paulo poſt intemperantia enecavit; cujus caſum immoderate ferens Alexander, ſumtuoſiſſimas exequias, profuſis in eam rem 12. talentorum millibus, fieri, nec non Manibus illius ſacrificari juſſit. Miſit & Oraculum Hamonis conſulturos, de Hephæſtione inter Divos referendo: ad hæc per omnes fines Regni Perſici, ignem ſacrum qui colebatur, quique extingui non ſolebat niſi Rex defunctus eſſet, eo die quo funerabatur, extingui juſſit.

Noviſſime, contra auſpicia & præſagia, *Babylonem* Alexander ingreditur; atque hic, poſtquam Legatos totius Orbis, Romanorum exceptis, audierat, contemtis omnibus quæ mortem ipſi portendebant, genio indulget. Referunt inter infauſta omina, id imprimis, quod captivus e carcere elapſus, in regiam venit, veſtes Alexandri induit cum diademate, & in ſella tacitus conſedit. Præ cæteris, *Medius Theſſalus*, Alexandrum ſplendidis epulis excepit. In his vero, accepto Herculis, quod vocabatur, poculo, repente velut telo confixus ingemuit, elatusque e convivio, ferrum depopoſcit in remedia. Amici, cauſam febrilis ægritudinis intemperiem fuiſſe ebrietatis diſſeminarunt. Major fama tulit, datum ab *Antipatri* Macedoniæ Proregis filiis venenum, Olympiadis

iadis criminationes pertimeſcentibus. Imminente am fato, annulum *Perdiccæ*, Orontæ filio, tradidit, *Optimoq;* Regnum eſſe committendum dixit, obliusque filioli Herculis, fratris Aridæi, & prægnanis Roxanes, virtute, non ſanguine, æſtimandum judicavit ſucceſſorem: ex vero ſimul prædicens, fore, it ſibi ingenti certamine parentetur. Ita Rex armis indomitus, voluptatum fractus illecebris, eodem, quo Diogenes die, fato functus eſt, cum regnaſſet annos 12. menſes 7. vixiſſet 32. menſes 8. &, poſt biennium, in Alexandria Ægypti tumulatus eſt. Varii varie hac morte affecti ſunt. Perſæ & Aſiatici, luxerunt Alexandrum ut patrem. Græci, & alii, haud mediocriter exhilarati ſunt, quod ejus potentiam horrerent. Siſygambis vero, mater Darii, adeo perturbata eſt hoc caſu, ut vita ſe abdicaret, profeſſa, ſe illum quem hoſtem putaſſet, filium expertam eſſe. Fuit Alexander forma ſupra hominem auguſta, cervice celſa, lætis oculis, genis ad gratiam rubeſcentibus, reliquisque corporis partibus non ſine majeſtate quadam decoris. Edixerat, ne quis alius ſe quam *Apelles* pingeret, quam *Lyſippus* ex ære duceret, quamque *Pyrgoteles* ſculperet. Turcæ contendunt, Alexandrum caudam equinam geſtaſſe in galea. Inde cauda hæc equina ipſorum ſignum militare eſt, atque primo Vizirio perticæ tres cum caudis equinis præferuntur, quod dignitatis argumentum; inferiores Baſſæ, una tantum pertica gaudent.

Res Judæorum.

Novum *Templum* in monte Samariæ *Garizim*, prope Sicymas excitatur, hac occaſione. *Saneballetes*, a Dario Perſarum Rege ultimo, Samaritis Satrapa

datus erat. Hujus filiam *Nicaſo* uxorem ducebat *Manaſſes*, Jaddi Pontificis Maximi frater, & velut collega. Eam ob rem, quippe quod contra leges divinas cum peregrina matrimonium iniiſſet, a fratre Jaddo, aliiſque, quibus Dei præcepta cordi erant, ſacerdotio indignus judicatur; & ab altari arcetur. Ægre hoc tulit *Manaſſes*, &, ad ſocerum profectus, non obſcure præ ſe fert, malle ſe carere uxore, quam gentilitio ſacerdotii honore privari. Contra inſtare Saneballetes, ut uxorem retineat, pollicens ſe curaturum, ut non modo Sacerdotium ei maneat integrum, ſed & Principatus populi obtingat: ædificaturum enim ſe conſenſu Regis Darii, in monte *Garizim*, qui, reliquis montibus celſior, Samariæ imminet, templum Hieroſolymitano ſimile, in quo Pontificatu fungi poſſit. Cum vero multi Sacerdotes atque Judæi, innexi eſſent ejuſmodi conjugiis, omnes hi defecerunt ad Manaſſen. Cæterum Dario victo, ad Alexandrum victorem, qui Tyrum tum obſidebat, profectus Saneballetes, eum, pro Dario, dominum agnoſcit, & licentiam ædficandi templi facile impetrat. Atque ita conditum eſt templum Samaritanum, cui *Manaſſes* præfuit Pontifex. Hujus templi cauſa, odia & inimicitiæ, quæ pridem inter Judæos & Samaritanos vigebant, incrementum ſumſere; in tantum, ut nullo amplius modo mitigari poſſent, ne quidem cum templum poſt annos 200. quibus incolume permanſit, a Johanne Hircano deleretur. Diruto enim illo, mons in quo ſteterat, ſanctus habebatur, tanquam in eo ſolo Deus adorandus eſſet, ita ut Hieroſolymam contendentes, Samaritani averſarentur. Hinc Servatori, in vico quodam Samaritanorum hoſpitium denegatum; quod facies ejus

eſſet

eſſet proficiſcentis Hieroſolymam, Luc. IX. 53. eandemque ob rationem, ad eum mulier Samaritana Joh. IV. 20. Patres noſtri, ait, in hoc monte adorarunt, &, vos dicitis, Hieroſolymis eſſe locum illum, ubi oportet adorare.

Alexander, occupata Sidone, Tyro, & Gaza, urbibus Phœniciæ, hinc verſus Judæam caſtra movet, cui iratus erat, quod Judæi, cum ab illo Tyrum obſidente ad mittenda auxilia ſolicitarentur, reſponderant, ſe contra Reges Perſicos, ob accepta beneficia, & antiquius fœdus, nihil facturos eſſe. Iræ igitur plenus Hieroſolymam contendit, ulciſci certus, & prædæ ac cædi omnia deſtinabat. Sed *Jaddus*, tunc Pontifex, divinitus ſomnio monitus, cum cœtu ſacerdotum byſſino, ipſe in hyacinthina ſtola, tiaram capite, & in ea Dei nomen gerens, obviam ſe dedit, pacis ſpecie atque habitu. Movit tantopere ferocem Regem objecta religio, ut ſubito mutatus, & iram in clementiam convertens, de equo deſcendens, mitis ſubmiſſusque Pontificem adiret, & ipſum ſalutaret, ac Dei nomen, quod cidari ejus inſculptum, adoraret. Mirati comites, quidam & indignati, e quibus *Parmenio* Regem percontatur, quid ita hominem adoraret, qui ipſe paſſim jam pro Deo eſſet? Reſpondit, non illum ſe, ſed in ipſo Deum adoraſſe: quem ea ſpecie jam ante, in urbe Dio Macedoniæ, per quietem vidiſſet, hortantem, ut promte in Aſiam pergeret, ſua ope & numine eam ſubjecturus: Se igitur perſuaſum eſſe, hunc populum Deo eſſe charum, & ſe ab hujus populi Numine juvari. Ergo urbi ac genti veniam, præmia atque honores tribuit, & immunes a tributo, quod

Ochus impoſuerat, ſuisq; legibus vivere juſſit; quosdam in militiam ſuam allegit.

Res Romanorvm.

Hoc temporis tractu, apud Romanos prima *de veneficiis* quæſtio extitit. Cum enim primores civitatis, ſimili morbo, eodemque fere omnes eventu morerentur, ancilla quædam *Q. Fabio Maximo Ædili* indicium fecit, matronas venena coquerere. Deprehenſæ, cum medicamenta ſalubria eſſe contenderent, eis epotis, ſuamet ipſæ fraude omnes interiere.

Contemporanea Alia.

Calliſthenes, Philoſophus, Alexandro M. familiaris ex condiſcipulatu, accitus ab ipſo Rege fuit in Aſiam, ad geſta illius memoriæ conſignanda. Ei immodica ſermonis libertas nocuit. Cum enim Alexander, rebus proſpere geſtis, Deorum more adorari vellet, palam obſtitit Calliſthenes. Hæc res tantopere offendit Alexandrum, ut conjurationis inſimulatum, truncatis membris, abſciſſisque auribus ac naſo, labiisque, cum cane in cavea clauſum, circumferri, diuque tortum, tandem necari juſſerit.

Zeuxes, inter primos ſuæ ætatis pictores præcipuum locum obtinuit, quem Plinius tantam ex ſua arte gloriam, & opes comparaſſe teſtatur, ut gratuito pingere, & elargiri opera ſua non dubitaret, exiſtimans, illa non ſatis digno pretio poſſe compenſari. Fertur pinxiſſe puerum uvas ferentem, ad quas cum advolarent aves, iratus operi, dixit, uvas melius pinxi quam puerum, nam ſi & hunc conſummaſſem, aves timere debuerant. Cum Helenæ ſimulacrum pingere vellet, petiit a Crotoniatis virgines, quas omni-

omnium formoſiſſimas haberent. Ii, publico de conſilio virgines in locum unum conduxerunt, & pictori, quas vellet, eligendi poteſtatem fecerunt. Ille autem ex omnibus quinque delegit, in quibus veriſſimum pulchritudinis judicium haberet; neque enim putavit omnia quæ ad venuſtatem quæreret, in uno ſe corpore reperire. Cæterum, vetulam, a ſe exacte pictam intuens Zeuxes, riſu nimio crepuit.

Parrhaſius, Pictor inſignis, qui primus ſymmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venuſtatem oris expreſſit, & artificum confeſſione, in lineis extremis palmam adeptus eſt. Venit in certamen cum Zeuxide, & cum Zeuxes pinxiſſet uvas tanto ſucceſſu, ut aves advolarent, ipſe linteum pictum induxit. Id, cum Zeuxes a pictura ſua removere vellet, errore intellecto, palmam Parrhaſio concenſit, quoniam hic artificem, ipſe vero tantum aves fefelliſſet.

Apelles, patria Cous, non ſolum ingenio, & arte pictor fuit præſtantiſſimus, ſed & *Volumina* reliquit, quæ artem illam continebant. Laudat Plinius Venerem ab eo pictam, exeuntem e mari, quam poſtea Romam adductam, Auguſtus dicavit in templo Cæſaris, cujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non potuit reperiri. Pinxit Alexandrum M. fulmen tenentem in templo Epheſiæ Dianæ, ita, ut fulmen extra tabulam videretur. Pinxit, Plinio teſte, quæ pingi non poſſunt, tonitrua, fulgura, & ſimilia.

Lyſippus Statuarius nobiliſſimus, patria Sicyonius, ad ſexcenta & decem opera feciſſe traditur, quorum ſingula arti claritatem dare potuiſſent.

Pyrgoteles, gemmarum ſculptor eximius extitit, a quo ſolo ceu paulo ante indicatum, Alexander M. ſe in gemmis ſculpi paſſus eſt.

De ARIDÆO, & propinquis aliis Alexandri, Ducibusq; ejus.

Mortuo Alexandro M. *Perdiccas* traditum ſibi a Rege annulum, reddidit Proceribus. Horum multi expectandum eſſe judicarunt, donec pareret *Roxane*, quæ ex Alexandro ſpem prolis conceperat: multi *Herculem*, Alexandri ex Barſine filium, nominari Regem voluerunt: quidam Perdiccæ favebant.

Tandem ita res tranſigitur, ut *Philippus Aridæus*, Philippi Macedonis ex *Philinna* ſaltatrice filius, Alexandri M. frater, quem *Meleager*, unus ex Ducibus, Alexandri veſtes indutum produxerat, & ſe ei ſatellitem adjunxerat, regnum quidem ſuſciperet, ſed cum imbecillioris animi eſſet, *Perdiccas*, ei tutor adjungeretur, atque ut is exercitui præeſſet. Sic Aridæus omnia Alexandri regna obtinuit quidem, ſed non adminiſtravit. Præterquam enim quod a Perdiccæ nutu omnia pendebant, ſingularum etiam provinciarum ſinguli Præfecti, regium paulatim nomen affectare cœperunt. Cæterum Perdiccas, imperium affectans, Alexandri M. ſororem *Cleopatram*, uxorem ſibi petiit. Quia autem tecte & clam, *Antipatri* quoque affinitatem, ejusque filiam *Nicæam* ambierat, utraque ſponſa excidit, &, ab Antipatro, Antigono, ac Ptolemæo, ſocietatem contrahentibus, oppugnatus, in Ægyptum movit. Sed rebus inepte & infeliciter geſtis, a propriis militibus, cum triennium

nium poteſtate uſus eſſet, necatus periit. Sic Aridæi curam, primum *Antipater*, &, illo defuncto, *Polyſperchon* ſuſcepit; quoad ipſum *Olympias*; poſtquam 7. annos ſchema imperantis geſſerat, una cum uxore *Eurydice*, e medio ſuſtulit, quæ eadem, centum amplius Caſſandri cognatos, miſera morte enecavit. *Caſſander* contra in Græciam cum exercitu profectus, Polyſperchonte fruſtra obluctante, Athenas occupavit; iisque *Demetrio Phalereo* præfecto, *Olympiadem* in Pydna, Macedoniæ, ad Aliacmonis fluvii oſtium, urbe, obſedit, tandemque fame ad deditionem coactam, interfecit. Idem, Peloponneſo occupata, Thebas, ab Alexandro exciſas, reſtauravit, *Theſſalonicam*, Alexandri M. ſororem in matrimonium accepit; Polyſperchonta poteſtate dejecit, filiolumque Alexandri, *Alexandrulum*, una cum matre Roxane, in arcem Amphipolitanam, ut ſecurius degerent, miſit cuſtodiendos.

Cum varie inter Alexandri Duces certatum eſſet, pax tandem initur, his conditionibus, ut *Ptolemæus*, Ægyptum, Arabiam & Africam; *Caſſander*, Græciam; *Seleucus*, Syriam cum Babylone; *Lyſimachus*, Thraciam; *Antigonus*, Aſiam & Inſulas maris tenerent. Hac ſua dignitate ac felicitate, ne novi Reges ab Alexandri heredibus privarentur, miſit *Caſſander*, qui Alexandrulum, jam decimum quartum ætatis annum agentem, atque ſic imperio parem, cum matre occiderent. Quin & Polyſperchonti, ut alterum Alexandri M. filium *Herculem*, ſimiliter cum matre *Barſine* jugularet, perſuaſit. *Antigonus* quoque *Cleopatram*, Alexandri M. ſororem, ante Pyrrho nuptam, jam Ptolemæo nubere volentem, dolo, per mulieres interemit.

Sed

Sed, nec inter Duces, quanquam metu, qui ex Alexandri ſtirpe imminebat, ſolutos, concordia diuturna fuit, dum quisque poteſtatem amplificare ſtudet. *Ptolemæus* imprimis, Ægypti Rector, *Antigonum*, & ejus filium *Demetrium*, neglectarum pacis & fœderis conditionum accuſavit, utque illorum viribus reſiſteret, *Caſſandrum* in ſuas partes pertraxit. Id cum animadvertiſſet Demetrius, Athenas occupat, Athenienſes libertati reſtituit, & ob id divinis honoribus excipitur. Regium etiam nomen ipſi, & ejus patri *Antigono* Athenis decernitur. Iſtorum exemplo, Ptolemæus quoque, Seleucus, Lyſimachus, & Caſſander, Regios titulos affectant. Sed *Antigonus*, qui primus hunc honorem admiſit, primus quoque cum familia eodem excidit. Suſceperat ille in Ægyptum expeditionem, Caſſandro interim Athenas obſidente. At *Demetrius*, omni illum Græciæ expulit, & *Poliorcetes* cognomen exinde accepit. Caſſander, regione amiſſa, cum fruſtra Antigonum de pace rogaſſet, cæteros Reges, Lyſimachum, Ptolemæum, & Seleucum, ut mature tantis Antigoni & Demetrii conatibus reſiſterent, induxit: initoque fœdere, Lyſimachus in Aſiam profectus, multas urbes expugnavit, plurimumque damni Antigono intulit. Hic, cum Seleucum etiam, magno cum exercitu adeſſe ſentiret, Demetrium filium ex Græcia in auxilium revocat. Facta eſt inter hos Reges pugna atrociſſima, ad Ipſum Phrygiæ, in qua, Antigonus octogenarius occubuit. Demetrius ejus filius, in fugam verſus, cum ab Athenienſibus, quos tamen maximis beneficiis affecerat, excluderetur, in Thraciam abiit, & Lyſimachi provincias populatus, a clade vires quodammodo recollegit, etſi Aſiæ regni jactu-

jacturam paſſus. Inter hæc moritur *Caſſander*, cujus filius *Philippus*, annum tantum Macedoniæ regno præfuit. Ejus duo fratres, *Alexander* & *Antipater*, internecino odio adverſus ſe exarſerunt. Ex his Antipater, matrem *Theſſalonicen*, Alexandri M. ſororem, vitam etiam per ubera materna deprecatam, quod in Alexandrum eſſet propenſior, ſcelerate interfecit: alter vero Alexander, *Demetrium*, & *Pyrrhum* Epirotarum Regem, ad ulciſcendum parricidium evocavit. Dum iſti copias colligunt, redit Alexander cum fratre in gratiam, ipſique Demetrio ſtruit inſidias. Verum *Demetrius* cautior, inſidias occupat, ac Alexandro obtruncato, regnum Macedoniæ ſibi vindicat. *Lyſimachus* quoque, Alexandri fratrem Antipatrum, ſuum ex filia Eurydice generum, interſicit, facta cum Demetrio ſocietate, qui Macedoniæ regno potiebatur. Paulo poſt a *Pyrrho* Epirotarum Rege, qui mercedem auxilii antea ab Alexandro M. maritimam Macedoniæ partem acceperat, & adhuc præſidiis tenebat, *Pantauchus*, Demetrii Dux, magna ſtrage cæſus, pacem petere coactus eſt. Ab illa mox reſiliens, magno exercitu conſcripto, Aſiam paternum regnum conabatur repetere. Fœdus igitur adverſus illum inierunt *Seleucus*, *Pyrrhus*, *Ptolemæus*, *Lyſimachus*. Cæterum ad *Pyrrhum* tandem totus Demetrii exercitus, ut ſe a gravi dominatu liberaret, defecit, illumq; Regem Macedoniæ ſalutavit. Hanc ob cauſam Demetrius, mutata veſte aufugit; Pyrrhus autem, & Lyſimachus, Macedoniæ urbes & regiones diviſere. *Athenienſes*, ejecto Demetrii præſidio, Archontas annuos poſtliminio recepere. At *Demetrius*, neutiquam animum deſpondit, quod tamen

men uxor ejus *Phila* fecit, quæ, ne maritum iterum privatum aſpiceret, veneno hauſto perierat. Ergo collecto exercitu, Athenas, quanquam fruſtra, obſidet Demetrius, cum *Ptolemaide*, Ptolemæi filia, nuptias celebrat, multas Aſiæ urbes, &, Sardes inter cæteras, recuperat: Lyſimachi etiam exercitum profligat. Sed peſte tandem, ex commeatus defectu, oborta, octo millia ſuorum amittit. Inter hæc *Seleucus*, gener ejus, occultum odium adverſus ipſum concipit, illumque ad ſe pellectum, arci cuidam includit, in qua vitam finiit poſt triennium. Sic *Aſiæ* regnum ad *Seleucum* devolutum eſt, qui hactenus Syriæ & Babyloniæ Rex tantum fuerat. Ea tempeſtate *Lyſimachus*, faſtidientibus Macedonibus Pyrrhum tanquam regem externum, ſuo Thracico regno, totam Macedoniam adjecit, Pyrrho Epirotarum Rege inde depulſo. Sævus poſtmodum in propinquos, filium quoque *Agathoclen*, per *Arſinoën* ejus novercam, veneno ſuſtulit, atque ſic gloriam rerum geſtarum non parum fœdavit. Hinc a ſubditis deſertus, in Aſiam tranſiit, ibique in prælio contra Seleucum victus occiſusque eſt, 74. ætatis anno: cadaver, canis, qui illum perpetuo ſequebatur, agnovit. Hic eſt ille Lyſimachus, quem Alexander aliquando iratus nequicquam objecerat leoni, quique, variis caſibus, XV. liberos amiſit.

PTOLEMÆVS LAGI.

Ptolemæus, nomine, *Lagi*, revera autem Philippi, Alexandri patris, ex *Arſinoë* filius fuit. *Lagi* enim, matrem Ptolemæi, uterum gerentem, a Philippo conjugem acceperat. Cæterum Ptolemæus, ab initio ſtatim *Perdiccam*, univerſum Alexandri imperium affectan-

fectantem, æmulum habuit & inſidiatorem: qui tamen in ipſo Nili tranſitu, conſpiratione ſuorum, quibus ob ſuperbiam inviſus erat, extinctus eſt. Perdicca e medio ſublato, Ptolemæus non contentus Ægypti regnum poſſidere, animum ad *Phœniciam* adjecit, ejusque plurimas civitates in poteſtatem redegit. Hieroſolymam ipſam, ex improviſo, quieto civium ſabbathica abuſus, oppreſſit, & multa crudeliter geſſit. Ex hac urbe, & Samaritarum gente, multitudinem ingentem in Ægyptum deduxit, &, quod Judæos fideles, ac ſacramenti obſervantes compeiſſet, multos eorum in præſidia diſtribuit, reliquos, civitatis Alexandrinæ jure donavit, tractavitq; benigniter. Amplius Ptolemæus *Cyrenaicam*, & *Cyprum*, imperio ſuo ſubdidit. Inimicitiæ quæ illi cum *Antigono* Aſiæ Rege interceſſerunt, fuerunt acerrimæ, cui etiam nonnulla oppida atq; arces munitas in Aſia minore, eripuit, multis vero Græciæ urbibus libertatem reſtituit. *Demetrium*, Antigoni filium, bello vicit, captivos autem, omnemque prædam dimiſit; ſe dignitatis, non prædæ cauſa pugnaſſe dictitans. Retulit paria Demetrius, ac cum ipſe poſtea in navali prælio ſuperior evaſiſſet, Ptolemæi filium, fratrem, atque amicos captos, non tantum impune, ſed & muneribus affectos, in Ægyptum remiſit. Tanto honeſtius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiæ coluntur. A Lagide, omnes alii Reges Ægyptii, dicti ſunt *Ptolemæi*. Deceſſit in rerum geſtarum gloria, cum paulo ante, regni abdicata adminiſtratione, *Philadelphum* filium Regem conſtituiſſet; quem præter, etiam genuit *Ptolemæum Ceraunum*. Regnavit annos 39.

RES JVDÆORVM.

Simon, Oniæ filius, Jaddi nepos, cognomine *Juſtus*, Pontificatu ac Ethnarchæ munere fungitur, egregio encomio celebratus a Syracide cap. 50. ubi opera quædam ejus referuntur. Fulſit enim ſubſtructiones Templi, auxit civitatem, aquæductum reſtituit. Deceſſit, parvulo filio *Onia* relicto: unde in Pontificatu, fratrem *Eleazarem* habuit ſucceſſorem.

RES ROMANORVM.

Hac ætate Cenſores Romæ fuerunt *Appius Claudius*, & *Plautius Venox*. Appius *viam* munivit à porta Capena usque ad Capuam, ejus latitudinis, ut currus ſibi invicem libere cedere poſſent, & longitudinis ad 20. fere milliaria. Hanc poſteà, ſive *C. Gracchus Tribunus*, qui plerasque vias fecit ac refecit, ſive *C. Cæſar*, Brunduſium usque produxit. Cumque Romani, uſu aquarum, ex Tiberi & fontibus hauſtarum, contenti fuiſſent annis 441. Appius hic, inventis venis, ſcaturientem aquam Vrbi induxit, & Collega ejus Plautius, ob inquiſitas venas, *Venox* appellatus eſt. Tum quoque primi *Tonſores* ex Sicilia in Italiam, & inde Romam venerunt.

Ortum eſt poſt hæc Romæ certamen inter primores Civitatis, Patritios & plebejos, *de numero Pontificum & Augurum augendo*, cum quatuor Pontifices & quinque Augures eſſent eligendi, & reliquis addendi, ut *octo Pontifices*, & *novem Augures* omnino fierent. Eos, de plebe aſſumendos, proponunt Tribuni plebis, disſuadet id Appius, ſuadet contra idem P. Decius Mus, & perſuadet.

Nec

Nec minus in ſolemni ſupplicatione rixæ exortæ inter fœminas Patricias, & Plebejas: &, cum plebejæ non admitterentur ad aram Pudicitiæ, *Virginia*, Volumnii Conſulis uxor, Sacellum ad aram Pudicitiæ Plebejæ dedicat.

Cum *peſtilentia* vexarentur Romani, inſpectis, ſi vera eſt fabula, libris Sibyllinis, animadvertunt, non aliter priſtinam ſalubritatem recuperari poſſe, quam ſi ab Epidauro *Æſculapius* eſſet accerſitus. Miſſi igitur in hunc finem decem Legati, *Q. Ogulnio* principe. Qui, cum illuc veniſſent, templumque Æſculapii ingreſſi eſſent, *Anguis*, raro, ſed nunquam ſine magno ipſorum bono viſus, e ſedibus ſuis elapſus, per urbis celeberrimas partes, mitibus oculis, & leni tractu labi cœpit, triduoque inter religioſam omnium admirationem conſpectus, poſt hæc ad triremem Romanam pergit, eo conſcendens, ubi Q. Ogulnii tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per ſummam quietem eſt convolutus. Legati, Deum, ut putabant, vehentes, Antium provecti ſunt, ubi per malaciam maris, Anguis proximum Æſculapii fanum petiit, & poſt paucos dies ad navim rediit: cumque adverſo Tiberi Romam ſubveheretur, in urbis Inſulam deſilivit. Ibi templum ei conſtitutum, & peſtilentia mira celeritate ſedata eſt.

CONTEMPORANEA ALIA.

Agathocles, Siciliæ tyrannus, ad regni majeſtatem ex humili & ſordido genere pervenit. Quippe, patre figulo natus eſt. *Syracuſas* concedens, gregariam militiam ſortitus, in omne facinus promtiſſimus fuit: nam & manu ſtrenuus, & lingua facundus erat. Ergo brevi Centurio, ac deinde Tribunus

 mili-

militum factus, & ad poſtremum, in locum demortui Ducis *Damaſconis* ſuffectus eſt: cujus uxorem, adulterio cognitam, poſt mortem viri in matrimonium accepit. Bis occupare imperium Syracuſarum voluit; bis in exilium actus eſt. Poſtremo Dux contra Carthaginienſes electus, ſæpe res præclare geſſit. Erat Carthaginienſium Dux *Amilcar*. Is cum Syracuſas obſideret, inter ſomnium audiſſe ſe vocem credidit, nunciantem, futurum, ut proximo die in ea urbe cœnaret. Lætus igitur, perinde ac divinitus promiſſa victoria, exercitum pugnæ comparat. Sed Syracuſani, ipſum ſubita irruptione oppreſſum, captivum in urbem abducunt, cœnare jubent, & trucidant, caputque ejus in Africam mittunt. Agathocles periit ex *ſcalpro venenato*, quod illi exoletus ſuppoſuerat. Eo enim dum dentes purgat, infecta veneno gingiva, per omnes mox nervos articuloſque vim humoris peſtiferi diffundit, unde ille horrendo cum dolore animam efflavit.

Seleucus Nicanor, Antiochi & Laodices filius, qui Regnum Syriæ occupavit, Seleucidarumq; autor eſt, *Antiochiam* condit, quam a patris nomine appellavit. Idem poſtea *Laodiceam*, *Seleuciam*, *Apamiam*, *Edeſſam*, *Berœam* & *Pellam* urbes exſtruxit: ac *Seleuciam* ex ſuo nomine; *Apamiam*, ex uxoris; *Laodiceam*, ex matris nomine; *Edeſſam* vero, *Berœam* &, *Pellam*, ab urbibus in Macedonia ſitis, ſic vocavit. Filium habuit unicum, Antiochum, *Soterem* deinde dictum. Is novercæ *Stratonices* infinito amore correptus, memor quam improbis facibus arderet, diſſimulat ignem, ac interim ad ultimam tabem corpus ejus redigitur. Ad poſtremum Medico *Eraſiſtrato* rem aperit, qui, mira arte uſus

eſt,

eſt, ut laboranti ſubveniret. Dixit enim Seleuco, filium morbo implicitum eſſe ex vi nimia amoris, nec ſanari poſſe, niſi illo expleto; verum ejus mulieris cupidine tangi, quam conſequi non poſſet. Admiratus Seleucus, quæ mulier eſſe queat, cujus filius ſuus compos fieri non poſſit, jubet Eraſiſtratum nomen ejus ediſſerere. Cui Eraſiſtratus, meam uxorem deperit. Tum Rex miris pollicitationibus rogabat, ut illam in conjugium filio daret, cui tantum regnum debebatur. Reſpondens Eraſiſtratus, an tu, inquiebat, quanquam ſis parens, ſi uxorem tuam cuperet Antiochus, illam ultro daturus eſſes? Tum Seleucus teſtans Deos omnes, ſine cunctatione, ſe daturum læte reſpondit. Hoc, cum non ficte Regem effari Eraſiſtratus cognoviſſet, omnia declarat. Nec mora conſentit Seleucus impuro amori, ac filium Regem, & novercæ maritum facit, ſibi duntaxat Aſia, quæ intra Euphratem & mare mediterraneum eſt, ad vitæ tempus reſervata.

Epicurus. Athenis hic natus eſt, ſeptennio poſt Platonis exceſſum. Democriti libris perlectis, cum antea Grammaticam docuiſſet, ad Philoſophiam ſe applicuit, tribus fratribus ſuis ad idem genus vitæ productis. Dialecticam contemnebat, & in ejus locum ſubſtituebat *Canonicam*, libro Κανὼν conſcripto, quo docebat, normam omnis judicii non rationem eſſe, ſed ſenſum. Matheſin haud magni faciebat; in Phyſicis amplectebatur dogmata Anaxagoræ, Democriti atomos illis adjungens. Summum bonum poſuit in voluptate, non tamen ea quæ ad corpus pertinet, quemadmodum Ariſtippus; ſed in voluptate animi, hoc eſt, abſentia omnium dolorum. Diſcipuli degeneres & intemperantes, ac inter eos imprimis *Me-*

trodorus, prave detorſerunt ejus dogmata, & ad impuram corporis voluptatem tranſtulerunt. Ille tamen fœdus Epicuri error fuit, quo negabat Deum curare mortalia: animas inſuper cum corporibus interire aſſerens. Reliquit trecenta volumina, in quibus nullum foris teſtimonium accerſivit. De *Naturà* compoſuit libros 30. quos Lucretius poſtmodum ſex libris coarctavit. Ex omnibus ejus ſcriptis non niſi *tres Epiſtolæ* ſuperant, quas Diogenes Laërtius l. 10. conſervavit. Obiit ex urina retenta ætatis anno 72. Tantus amor Diſcipulorum Epicuri erga Magiſtrum fuit, ut ejus imaginem, annulo inſculptam, boni ominis cauſa, circumferrent, & cujusque menſis vigeſimo die, quali is lucem aſpexerat, ſacra facerent.

Euclides, Geometra inſignis, multa ſcripſit, quæ ad Geometriam & Muſicam pertinent. Extant ejus *XV. libri Elementorum*, magno cum bono Reip. Literariæ conſervati, &, qui ſatis laudari non posſunt: quippe ad veritatem in quaque re inveniendam, mirifice conferunt. Sed *duos ultimos*, quidam *Hypſioli Alexandrino* tribuere malunt.

Crates, Thebanus, PhiloſophusCynicus, Diogenis diſcipulus fuit. Is, Suida, ac Diogene Laërtio teſtibus, omnem ſubſtantiam in pecuniam redigens hanc apud trapezitam depoſuit, ea lege, ut, ſi filii philoſophi eſſent, illam indigentibus civibus diſtribueret, quod Philoſophos exiſtimaret minime opibus indigere; ſi vero idiotæ manerent, eis depoſitum redderet, quo vacuis virtute, ab opibus præſidium accederet. Philoſtratus autem in vita Apollonii ait, eum immenſam opum vim in mare projeciſſe, ut liberius philoſopharetur, dixiſſeque; abite peſſum malæ

malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe a vobis mergar.

Zeno, Cyprius, Athenas pervenit, naufragio ejectus. Ab Oraculo monitus, ut cum mortuis converſaretur, literis ſe dedit, *Cratetem* ſectatus, ediditque *librum de Republica.* Autor eſt *ſectæ Stoicorum*, ſic dictæ a *Stoa*, ſive porticu, in qua deambulare ipſe ſolebat. Summum bonum, in vita rectæ rationi conveniente collocavit, etiam in mediis tormentis virtute præditum hominem beatum prædicans. Deceſſit annos natus 72. ſibi vim inferens. Nam cum abiret ex ſchola, in lapidem impingens digitum perfregit: manu vero terram feriens, illud dixit ex Niobe: *En adſum, quid me quæſo vocas?* Et continuo ſe ſtrangulans interiit.

Theophraſtus, Ereſius, prius *Tyrtamus* dictus erat, ſed Ariſtoteles, ob divinam eloquentiam, Θεόφραστον appellavit, quem etiam in Schola Peripatetica ſucceſſorem nactus eſt. Habuit Theophraſtus 2000. diſcipulos. Cicero, eruditiſſimum & elegantiſſimum Philoſophorum appellat. Vixit annos 107. De ejus operibus libro ſingulari egit Joh. Meurſius. Apud Ciceronem l. 3. Quæſt. Tuſc. legitur: *Theophraſtus moriens accuſaſſe naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet, hominibus, quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.*

Xenocrates. Is poſt Speuſippum Scholæ Platonicæ præfuit; morienti ſucceſſit *Polemo,* qui adoleſcentiam egerat luxurioſam. Sed *Xenocratis oratione de temperantia* commotus, ad bonam frugem ſe convertit.

Megaſthenes. Apud Indos diu verſatus eſt, & *hiſtoriam Indicam* compoſuit, e qua, apud Strabonem, & Joſephum, ſuperſunt fragmenta. Annius Viterbienſis ſuppoſuit quaſi ab eo ſcriptum librum, ſed inſcienter, & ita, ut verum Megaſthenis nomen ignorando, Metaſthenem eum vocet.

PTOLEMÆVS PHILADELPHVS.

Ptolemæus Philadelphus, Ptolemæi Lagidis filius junior, eo modo ſic dictus eſt, quo Poëtæ Parcas & Eumenides appellatas volunt, fratres enim ſuos, vel e medio ſuſtulit, vel regno pepulit: in ſororem vero *Arſinoën*, non fraterno, ſed inceſto amore exarſit, eamque uxorem duxit. Hujus potentiam Theocritus Poëta, qui illo tempore vivebat, Idyl. 17. ita deſcribit, ut dicat eum imperare Ægypto, Phœniciæ, Arabiæ, Syriæ, Libyæ, Æthiopibus, Pamphyliæ, Ciliciæ, Cariæ, Lyciæ, Cycladibus: poſſidere vero urbium triginta millia trecentas & triginta novem; quæ tamen ingenio poëtico dicta videntur. Nec tantum potens, ſed & humanioribus diſciplinis egregie tinctus fuit Philadelphus, ſi Athenæo fides. Certe incredibili librorum amore captus, celebrem illam *Alexandrinam Bibliothecam*, per *Demetrium Phalereum* inſtruxit, cujus maxima pars deinde, in bello Alexandrino, cum Cæſare Dictatore, conflagravit. In ea Ammianus Marcellinus l. 22. ſeptingenta millia voluminum fuiſſe prodidit. Bibliotheca inſtituta, Ptolemæus, quod apud Vitruvium præfat. l. 7. legitur, *Muſis & Apollini ludos dedicavit*, & quemadmodum Athletarum, ſic & Scriptorum victoribus, præmia & honores propoſuit. Cum Ludi adeſſent, ſeptem Judices conſtituendi erant, qui

qui de ſcriptis, quæ recitarentur, ferrent ſententiam. Ipſe Rex, jam ex civitate ſex lectos habebat: cumque unus deſideraretur, juſſit Bibliothecæ Præfectos unum adhuc nominare; ii, ſuis ſuffragiis, *Ariſtophanem* quendam, qui ætatem in libris legendis triverat, deſignant. Die conſtituta, occupant Judices ſedes ſuas, cumque primùm Poëtarum ordine ad certationem inducto, illorum carmina prælegerentur, populus univerſus monebat Judices quos probaret, atque ſic ex his quoque, ſex omnino, conſonis ſuffragiis; illi primum præmium tribuebant, qui maxime placuerat, alterum ei, qui proximus fuerat viſus. Ariſtophanes vero, cum ab eo ſententia rogaretur, illum primum pronunciari juſſit, qui minime populo placuiſſet. Cum autem Rex, & univerſi, vehementer indignarentur, ſurrexit, & rogando impetravit, ut paterentur ſe dicere. Itaque ſilentio facto, docuit, unum illum cui ſuum calculum adjecerit, ex his eſſe poëtam, cæteros, aliena recitaſſe: oportere autem judicantes, non furta, ſed ſcripta probare. Admirante populo, & Rege dubitante, fretus memoria, e certis armariis infinita volumnia eduxit, & ea cum recitatis conferendo, coëgit Recitatores plagia ſua confiteri. Itaque Rex juſſit cum his agi furti, condemnatosque cum ignominia dimiſit: Ariſtophanem vero ampliſſimus muneribus ornavit, & Bibliothecæ præfecit.

Fuit Ptolemæo res cum *Antigono Gonata*, Poliorcetæ filio, cujus incrementis invidens, Lacedæmoniis & Athenienſibus, hoſtibus illius, auxilia ſubmiſit. Cum *Antiocho* quoq; *Theo*, Syriæ Rege, bellum diuturnum ac difficile geſſit, quod tandem affinitate inter duos Reges contracta, qua Anthiochus Ptolemæi filiam

Berenicen uxorem accepit, ſopitum eſt. Perfecit Philadelphus *foſſam a Nilo*, ad rubrum mare, quod olim Pharao Necho, & Darius, fruſtra tentaverant. Ejus tempore, uſus *Papyri*, ſive chartæ junceæ, (cum ab *Attalo* Rege Pergami, membranas Philadelphus ad parandos libros obtinere non poſſet,) inventus eſt. Regnavit Philadelphus annos 38.

RES JUDÆORUM.

Philadelpho Ægyptiis imperante, *Eleazar* apud Judæos Pontificatum & Principatum tenuit, atque tum, Sacræ Scripturæ libri, ex Hebræo in Græcum idioma converſi fuere; quæ interpretatio, ſub *LXX. Interpretum translationis* elogio celebratur. Ajunt *Demetrium Phalereum*, Philoſophum Athenienſem, Philadelphum monuiſſe, operæ pretium fore, ſi libri digni cognitu, & ſolis hactenus Judæis lecti, intelligibili ſermone Regiæ Bibliothecæ inferrentur. De ea re ſic eſt apud Auguſtinum l. 8. de Civ. Dei c. 24. *Philadelphus, omnes, quos pater ejus ſubjugatos abduxerat Judæos, liberos redire permiſit. Inſuper & dona regia in templum Dei miſit, petivitq; ab Eleazaro tunc Pontifice, dari ſibi Scripturas, quas profecto audierat, fama prædicante, divinas; & ideo concupierat eas habere in Bibliotheca, quam nobiliſſimam fecerat. Has ei cum Pontifex miſiſſet Hebræas, poſt etiam ille Interpretes poſtulavit. Et dati ſunt ei LXXII. de ſingulis XII. tribubus ſeni homines, linguæ utriusq; doctiſſimi, Hebrææ ſcilicet & Græcæ, quorum Interpretatio, ut Septuaginta vocetur, jam obtinet conſuetudo.* Epiphanius autor eſt, binos ſemper ex tranſlatoribus in cellulam unam ingreſſos eſſe, atque ſeorſim vertiſſe; deprehenſumque fuiſſe, omnes, quan-

quanquam ſejunctos, non ſenſu tantum, ſed & verbis iisdem Hebraica expreſſiſſe. Confecta autem translatio, intra dies 72. Extat libellus *Ariſteæ*, Philadelphi familiaris, quo verſionis hujus hiſtoria luculentur deſcribitur, in qua multa & magnifica habenter, de Regis illius in Judæos benignitate, de legatione ad Eleazarum Pontificem, de hujus reſponſo, de miſſione 70. vel 72. Interpretum, de colloquiis eorum inter convivandum cum Rege, tum de ipſius interpretationis labore, tempore, approbatione: niſi quod de cellulis altum apud eum ſilentium. Ariſteæ omnia, Joſephus l. 12. Antiq. cap. 2. in compendium redegit. At vero, totam Ariſteæ hiſtoriam, tanquam a Judæo quodam confictam, primus in dubium vocare auſus eſt *Ludovicus Vives*, ad citatum Auguſtini locum: idemque magna cum aſſertione tradidit *Scaliger* ad num. Euſeb. 1734 ubi citat Diogenem Laërtium, ſeu potius Hermippum Smyrnæum, qui ſcripſit, Demetrium Phalereum Philadelpho nunquam gratum, ſed ſumme exoſum, & ſub initium regni ab eo in vincula conjectum, atque ad mortem adactum fuiſſe. Addit ex Rabbinis, adeo non probatum fuiſſe inſtitutum Judæorum Ægyptiorum, qui Biblia ſacra verterint, Pontifici & Synedrio Hieroſolymitano, ut potius illum diem evulgatæ ſacræ Legis, jejunio publico notarint, & Judæos, ea verſione utentes, pæne pro Hæreticis habuerint. Eſt de LXX. Interpretum verſione multum difficilis diſquiſitio, & eam ob cauſam minime præſentis inſtituti; nec addo de hoc argumento aliud, præterquam, *Johannem Vſſerium*, Epiſcopum Armachanum, peculiari ſcripto probandum ſuſcepiſſe, verſionem Græcam quæ hodie

extat, ſtatim poſt tempora Ptolemæi Philadelphi genuinæ ſubſtitutam. Veram enim translationem LXX. delituiſſe ſemper in Bibliotheca Alexandrina, nec lectam, nec deſcriptam a quoquam, demum incendio fuiſſe conſumtam. Inventos igitur eſſe, qui aliam quandam verſionem ſub LXX. nomine ſubſtituerent, nec viſam, nec lectam Philadelphi tempore: atque hanc illico fuiſſe approbatam; & ab Apoſtolis eorumque Diſcipulis, in Eccleſia admiſſam, quæ etiam usque ad hæc tempora perſevararit. Non pernimium ab hac opinione differt, quod Bellarmius l.2. de V.D. c.6. cenſuit, probabile quidem eſſe, verſionem τῶν LXX. adhuc ſupereſſe, ſed adeo corruptam, & vitiatam, ut omnino alia eſſe videatur.

Res Romanorum.

Bellum Tarentinum ſe offert, unum quidem, titulo & nomine, ſed ob ſociorum multitudinem, & victorias, multiplex. Erat *Tarentus*, ſemigræca civitas, Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam & Apuliæ, totiusq; Lucaniæ caput, cum magnitudine & muris portuq; nobili, tum mirabili ſitu. Quippe in ipſis Hadriatici maris faucibus poſita, in omnes terras, Hiſtriam, Illyricum, Epirum, Achajam, Africam, Siciliam, vela dimittebat. Imminebat portui, ad proſpectum maris conditum, majus theatrum: id cauſa fuit omnium calamitatum. Etenim, Ludos forte celebrabant, cum adremigantem litori claſſem Romanam inde vident, in eam impetum faciunt, & occiſo Duce diripiunt. Miſſus *Poſthumius*, ad res repetendas. Ejus ſermones Tarentini obſervabant, & ſi quid ab eo diceretur, quod non exactiſſimum Græci ſermonis characterem referret, id notabant, & ri-

& ridebant, ac barbarum vocitabant, & tandem e theatro Legatum ejiciebant. Cum abiret, quidam nomine *Philonides*, vini helluo, heſterna ebrietate etiamnum diſtentus, ſublato amiculo, & corpore ad obſcœniſſimum habitum compoſito, ſordes nominatu indecoras, veſtimento Legati adſperſit. Vbi cum totum theatrum in riſum erupiſſet, & petulantiſſimi quique manibus comploſiſſent, Poſthumius Philonidem intuitus, accipimus, inquit, omen, o ſcurra; quia datis nobis etiam ea quæ non petimus. Deinde ad multitudinem converſus, veſtem contumelia affectam oſtendit; cumque adhuc majorem ex omnibus riſum oriri cerneret, & voces quorundam illætantium, petulantiamque laudantium audiret, Ridete, inquiebat, Tarentini, ridete, dum licet; nam poſt hæc diu flebitis. Ad quas minas, cum nonnulli exaſperarentur, Et, ut magis, ajebat porro Poſthumius, ſtomachemini, etiam hoc vobis dico, vos hanc veſtem multo ſanguine eluturos. Hinc igitur bellum ſequutum, cujus apparatus horribilis, quia eodem tempore, *Lucani*, *Brutii*, *Hetruſci*, &, nondum tum adhuc plane domiti *Samnites*, pro Tarentinis conſurgebant. Cum in his nondum ſatis præſidii eſſet, *Pyrrhum*, clariſſimum bellis Regem, materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundum, quem antea in Corcyra occupanda juverant, defenſorem Tarentini advocant. Cæterum Pyrrhum, *Cineas* Orator, Demoſthenis diſcipulus, qui haud pauciora oppida lingua, quam Pyrrhus ferro ſubegiſſe ſcribitur, ab expeditione revocabat. Sed Pyrrhus, gloriæ cupidus, ipſum Cineam cum tribus millibus armatorum, Tarentum præmittit, ſequutus ipſe cum 25000. & Elephantis 22. atque hi, quia primum in Lucania viſi, ideo a Romanis

manis bellua illa, *bos luca* dici cœpit. Non alium ante experti fuerant Romani transmarinum hoſtem: atque primo quidem cónflictu, Pyrrhus ſuperior, *Val. Lævinum* Conſ. Romanorum, atroci prælio vicit. Elephantorum enim novo odore ac ſpecie conſternati equi Italici, locum cladi dabant. Non tamen alia magis quam hæc victoria, oſtendit Romani militis fortitudinem. Quippe eorum, qui ab elephantis protriti, omnium, vulnera in pectore: quidam hoſtibus ſuis immortui: omnium in manibus enſes: & relictæ in vultibus minæ: & in ipſa morte ira vivebat. Ipſius Regis non leve periculum fuit; equo enim dejectus, veſtitum, ne cognoſceretur, mutare neceſſe habuit. Ceciderunt Romanorum ſeptem millia, ac Pyrrhus gratiam aucupaturus, callide, e Romanis interemtos cremavit, captivos, indulgenter habitos, ſine pretio reſtituit. Interim, perſecutus victoriam, Campaniam populatur; Romani, vero nihil clade, quam paſſi fuerant, territi, exercitum reparant. At Pyrrhus ob apparatum eorundem metum concipiens, *Cineam* de pace conſtituenda Legatum cum muneribus mittit, in has conditiones, ut captivos absque pretio recipiant, & inſuper auxilia a ſe ad ſubigendam Italiam accipiant, tantummodo Tarentinis ignoſcerent. Cum Senatus fere inclinaret ad pacem hanc, *Appius Claudius Cæcus*, in Senatum portatus, eam disſuaſit ut ignominioſam, hortatusque eſt, ut qui, ſe adoleſcente, Alexandrum M. ſi in Italiam veniſſet, non formidaviſſent, ne ſuccumberent Alexandri Satrapæ; obtinuitque ut Legato reſponderetur, de pace cum Pyrrho agi non poſſe, quam diu in Italia eſſet: ſe, quoad in armis maneret, bellum geſturos. Tanta tunc Senatus Romani

gra-

gravitas erat, ut Cineas reverſus de eo interrogatus, Regum conſeſſum ſibi viſum eſſe diceret.

Redintegratum igitur bellum, & in Apulia, apud *Aſculum*, meliore fortuna geſtum eſt. Quippe belluarum terror exoleverat, & *C. Minutius*, quartæ legionis haſtatus, unius proboſcide abſciſſa, mori eas poſſe oſtenderat. Fortiſſime autem pugnante Pyrrho, non ante pugnæ finis fuit, quam nox illam dirimeret. Cecidere utrinq; hominum millia quindecim; palam edicente Pyrrho: ſi adhuc unum prælium vicerimus, periimus. Eo bello magna *C. Fabricii* Conſulis integritas eluxit. Nam & oblatam ſibi a Rege imperii partem, generoſe contemſit, & *Medicum*, caput ejus venale offerentem, remiſit.

Pyrrhus jam belli pertæſus Italici, in *Siciliam*, quam Carthaginienſes armis infeſtabant, ab indigenis vocatus, trajicit, Tarentinis interim præſidio impoſito. Syracuſas igitur veniens, victis bis Pœnis, multas civitates dum ſubegit, Rex Siciliæ appellatus eſt. Sed inſolentior ſucceſſibus factus, in odium Siculorum incurrit, & in Italiam revertitur, a Tarentinis iterum anxie imploratus. Tum tertio prælio in Lucanis, a *M. Curio*, prope Beneventum victus, fugatusque, in Epirum ſe recepit, vix equitum quinque, & peditum ſeptem millia ſecum referens. Poſtea a Pœnis navali prælio victus, ab *Antigono Gonata*, Macedoniæ Rege, auxiliares milites petit. Non obtinens, repente Antigonum vincit, fugat, Macedoniam capit, animo jam Græciæ Aſiæque regna meditans. Igitur adverſus *Spartanos* caſtra movet, quorum urbe fruſtra obſeſſa, *Argos* petit, ut ibi clauſum Antigonum, in ſuam redigeret poteſtatem. Hic loci inter confertiſſimos acer-

rime

rime dimicans, ſaxo de muris a fœmina jactato occiditur, caputque ejus ad Antigonum defertur; qui victoria humaniter uſus, filium *Helenum*, cum Epirotis ſibi deditum, in regnum dimiſit, eique patris oſſa, majorum tumulis inferenda, commiſit. Reliquerat Pyrrhus Tarentinis *Milonem* filium, a quo cum graviter urgerentur, audita morte Pyrrhi, auxilium illi a Carthaginienſibus petunt. Pœnis adventantibns, Milo Arcem & Vrbem Tarentinorum, Romanis tradit, pacto ſibi & ſuis libero abitu. Tarentini poſtquam in poteſtatem Romanorum conceſſerant, arma navesq; tradere, & muros deſtruere juſſi ſunt, tributum ſimul civitati impoſitum, paxque cum libertate conceſſa.

Sic bellum Tarentinum decennale finem habuit, cumque ſocios hoſtium perſequi placeret, *Sempronius Conſul*, *Picentes* invadit. Directæ intra jactum teli ambæ acies conſiſtebant, & mox repente ita cum horrendo fragore tremuit terra, ut uterq; exercitus obſtupeſceret, & attonitus hæſitaret. Conſul Ædem Telluri tum vovit, & hoſtes prælio vicit, ſed valde cruento.

Sequutum eſt *Primum Bellum Punicum*: cujus cauſa Sicilia, inter Italiam & Africam interjecta. In ea Rex tum temporis fuit *Hiero*, qui, ex Duce militari, in hunc dignitatis gradum aſcendit, &, quem victum, Appius Claudius in ſocietatem & amicitiam cum Romanis traduxerat. Huic Hieroni *Carthaginienſes* regnum eripere conabantur, & Siciliam, ob opulentiam, rugumque ubertatem, ſuis rebus admodum comodam, ſubigere. Eidem Inſulæ quia Romani quoque inhiabant, ſpecie juvandi ſocium, arma capiebant. Duravit hoc bellum annos 23. in quo,

Ro-

Romani, maris periculum facere, & in eo congredi auſi ſunt. Intra ſexageſimum diem quam cæſa ſylva fuerat, centum ſexaginta navium claſſem in anchoſtris ſtetiſſe, Florus prodidit, eique *Duilius, Cornelius* *q;* *Coſſ.* præfecti fuere. Prælii forma mirabilis traditur. Cum Pœnorum naves celeres volucresque, Romanorum contra graves tardæque eſſent, injectæ Punicis navibus ferreæ manus, machinæque aliæ, ante certamen, multum ab hoſte deriſæ; coactique Pœni in navibus, quaſi in continenti, decernere. Victor ergo apud *Liparas* C. Duilius, merſa & fugata hoſtium claſſe, primum maritimum egit triumphum. Nec contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet. Alter Conſulum *Cornelius*, evocatus ab *Annibale*, ſimulato colloquio, perfidia Punica oppreſſus eſt. *Annibal* iſte, Adrubalis filius, qui & ad differentiam poſterioris, primus vocari ſolet, Dux Carthaginienſium, domum reverſus, ob rem male geſtam in crucem actus eſt. Alii tamen referunt, eum ex pugna Carthaginem delatum, a Senatu quæſiviſſe, quid faciendum cenſerent? omnibus vero ut pugnaret acclamantibus, reſpondiſſe: feci, & victus ſum; atque ita crucis pœnam effugiſſe.

Marco Attilio Regulo Duce, jam in Africam navigabat bellum, nec deerant, qui ipſo Punici maris nomine ac terrore deficerent. Sed mox ventis remisque properatum eſt; tantusque terror hoſtici adventus Pœnis fuit, ut apertis pæne portis Carthago caperetur. Prima belli præmium fuit civitas *Clypea*, quæ in Punico litore, quaſi arx & ſpecula procurrit. Hæc vero, & trecenta amplius caſtella vaſta-

vaſtata ſunt. Nec cum hominibus tantum, ſed & cum monſtris pugnatum eſt. Nam Regulus, ad *Bragadam* amnem caſtra habens, *Serpentem* miræ magnitudinis, qui aquatores pleroſque necarat, catapultis expugnat: cujus exuviæ 120. pedum longitudine, in publico per ſeculum & amplius pependerunt. Regulus, cum terrorem nominis ſui late circumtuliſſet, & magnam vim juventutis, Ducesque ipſos aut cæcidiſſet, aut haberet in vinculis, quin & claſſem ingenti præda onuſtam, & triumpho gravem, Romam præmiſiſſet, jam ipſam Carthaginem urgebat obſidione, & portis urbis inhærebat. Hic paululum circumacta fortuna eſt. Nam converſis ad externa auxilia Pœnis, cum *Xanthippum* illis Ducem Lacedæmonii miſiſſent, a viro militiæ peritiſſimo victus Regulus, triginta amiſit millia: ipſe, cum quingentis, vivus in hoſtium pervenit manus: Xanthippus vero, non ſatis benigne a Pœnis habitus, poſt victoriam domum receſſit.

Subſecuto tempore, cum varias clades paſſi eſſent Carthaginienſes, tot damnis jam fracti, Regulum domum mittunt, ut de pace, aut, ſi eam non impetraret, de captivis permutandis ageret, jurejurando eum adſtringentes, rediturum ad ſeſe, ſi commutari captivos non placuiſſet. Regulus, Romam delatus, utrumque negandi Senatui autor fuit. Quare, cum fidem ſervans, Carthaginem reverſus eſſet, gravi ſupplicio periit. Reſectis enim palpebris, converſiſque ad Solem oculis, incluſus eſt machinæ, in qua undique præacuti eminebant ſtimuli, ut vigiliis pariter & dolore necaretur.

Luta-

Lutatio Conſule, tandem bello finis impoſitus, apud Inſulas quibus nomen *Ægates*; nec major alias in mari pugna. Quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis, gravis hoſtium claſſis, & in ea quaſi tota Carthago: quod ipſum exitio fuit. Romana claſſis promta, levis, expedita, & quodam genere caſtrenſis; ad ſimilitudinem pugnæ equeſtris, ſic remis, quaſi habenis agebatur; & in hos vel in illos mobilia roſtra, ſpeciem viventium præferebant. Itaq; momento temporis laceratæ hoſtium rates, totum inter Siciliam Sardiniamq; pelagus naufragio ſuo operuerunt. Tunc Carthaginienſes pacem a Romanis petiverunt, & impetrarunt. Redditi gratis captivi, niſi qui a privatis tenebantur, quos pretio redimere oportuit. Carthaginienſibus Sicilia, reliquæque inſulæ ademtæ, & mulcta duodecies mille talentorum argenti impoſita.

Hoc ævo, *Horologium* primum Romæ ſtatutum eſt, nec aliud tamen, quam Solare; quod nullum uſum habere potuit tempore nubiloſo.

CONTEMPORANEA.

Brennus, Gallorum Dux, in Græciam irruit, *templumq; Delphicum* ſpoliare conatur. Sed ejus copiæ, magna ex parte, a *Phocenſibus* armis, a cœlo fulminibus & ingenti tempeſtate, terræ motu etiam, ac Olympici montis ruina, fuere proſtratæ, & obrutæ. Reliquias regredientes, cum Brennus ſibi mortem conſciviſſet, *Dardani* internecione deleverunt. Phocenſes, quod rem feliciſſime geſſiſſent, locum inter Amphictyones, quem ſacro bello amiſerant, recuperarunt.

Arſaces, Seleucidarum jugo excuſſo, *Parthorum* regnum condit, cujus memoriæ hunc honorem Par-

thi tribuerunt, ut omnes deinde Reges ſuos, Arſaces appellaverint. Duravit hoc Regnum usque ad Alexandrum Mammææ filium.

Soſtratus, Cnidius; architectus inſignis, *Pharum* in Ægypto, quæ Inſula fuerat, jactis in altum molibus, Iſthmum fecit.

Accendit Græcorum ingenia Ptolemæus Philadelphus, apud quem ſeptem Poëtas vixiſſe ferunt, *Apollonium*, *Aratum*, *Homerum juniorem*, *Lycophronem*, *Nicandrum*, *Philicum*, *Theocritum*, Plejadas appellatos.

Demetrius Phalereus, Athenis 10. annis præfecturam geſſit, 360. ſtatuis æreis ab iis honoratus, quæ poſtea, cum invidia æmulorum abſens capitis damnaretur, fuere dejectæ. Igitur ad *Caſſandrum*, deinde ad *Ptolemæum Lagi* ſe contulit, cui cum ſuaſiſſet, ut, Philadelpho ex Berenice præterito, priores ex Euridice filios regno admoveret, mortuo Lagi, a Ptolemæo Philadelpho pulſus, aſpidis morſu interiit. *Scripſit Hiſtorica*, *Rhetorica*, *Politica*. Librum περὶ Ἑρμηνείας, qui vulgo Demetrio Phalereo tribuitur, Voſſius *Demetrii Alexandrini* eſſe exiſtimat.

Beroſus, Beli Sacerdos, condidit *Hiſtoriam Babylonicam vel Chaldaicam 3. libris*, ex qua fragmenta quædam, apud Joſephum & Euſebium ſuperant. Plinius l. 7. c. 37. autor eſt, Athenienſes Beroſo ob divinas prædictiones, publice in Gymnaſio ſtatuam inaurata lingua poſuiſſe. Annii Viterbienſis Beroſus, cum vero nihil commune habet.

Manethos, Sebennyta, Sacerdos, ſcripſit *Hiſtoriam*, orſus ab antiquiſſimis & fabuloſis temporibus, progrediendoque ad Darium usque Codomannum.

Eruit

Eruit vero illam, teſte Euſebio, partim ex columnis, in Seriadica terra poſitis, partim ex libris ſacris. *Epitomen Manethonis*, Africani beneficio habemus. Quæ Annius Viterbienſis Manethonis nomine vendidit, ſunt ſubleſtæ fidei.

Cleanthes. Stoicus Philoſophus, Zenonis Cittienſis ſucceſſor, egregius pugil, cum Athenas veniſſet, Zenoni adhærens, quia non habebat, unde ſe alere poſſet, noctu in hortis aquam hauriebat, unde Φρεάντλης appellatus eſt, quaſi puteos hauriens. Traditur quoque, ipſum, quæ a Zenone audierat, oſſibus boum, teſtisque fictilibus inſcribere ſolitum, cum pecunia non ſuppeteret ad chartas emendas. Patria ei *Aſſus* fuit, Aſiæ minoris urbs, in Troade, ubi & ſtatuam illi Senatus Romanus, Simplicio teſte, dicavit. Ejus quosdam verſus recitat Clemens Alexandrinus l. 5. Strom. alios, Seneca ep. 107. a ſe Latine verſos producit, quos diſertiſſimos vocat, &, qui hic quoque legi merentur:

Duc me Pater, ſummiq; moderator poli,
Quocunq; placuit, nulla parendi mora eſt:
Aſſum impiger: fac nolle, comitabor gemens,
Malusq; patiar, quæ pati licuit bono.

Ipſi Græci Cleanthis verſus, ſuperſunt apud Epictetum in Enchir. c. 77. Cæterum Cleanthes, cum morbo laborans, biduum integrum cibo abſtinuiſſet, tantopere convaluit, ut Medici omnia proſpera pollicerentur; quod ille contemnens, inedia extingui præoptavit.

Chryſippus, Cleanthis diſcipulus, primo currui regendo operam dedit, deinde animum ad Philoſophiam applicuit. In *Dialectica* adeo inſignis fuit, ut plerique dicerent, ſi apud Deos uſus eſſet Dialecticæ,

ſticæ, non futuram aliam quam Chryſippeam. De ſcriptis ejus Diogenes Laërtius agit l. 7. Vixit an. 73. vitaque defunctus eſt cum merum bibiſſet, ſacrificio cuidam intereſſe a diſcipulis rogatus. Alii, præ riſu, aſino e patina comedere viſo, cerepuiſſe, dicunt.

Arceſilas, ſive *Arceſilaus*, in Pitane Æolica civitate ortus, Athenas profectus, in Academiam ad *Crantorem* ſe contulit. Eum Platonicam Philoſophiam omnino commutaſſe, novamque quandam conſtituiſſe ferunt. *Cavillator* vocatus eſt, quod cum nihil ſe ſcire diceret, nec alios ſcire quicquam patiebatur; omnes ſophiſmatibus perturbans. De eo Euſebius l. 14. de Præpar. Evang. cap. 2. *Nunquam fuit in Arceſila, ut unum bis diceret: neq; putabat ingenioſi eſſe viri, in eiſdem permanere. Si quid primo turpe dixerat, repente commutatus, pluribus conabatur rationibus, quæ dixerat, confutare.*

Zoilus, Amphipolita, clarum nomen adeptus eſt, quod Homerum, Poëtarum principem, libris adverſus illum ſcriptis, auſus eſt reprehendere: cui exinde Ὁμηρομάστιγος nomen inditum. Juvat de Zoilo adſcribere Vitruvii locum ex præfat. l. 7. *Zoilus, qui adoptavit nomen, ut Homeromaſtix vocitaretur, e Macedonia Alexandriam venit, ſuaq; ſcripta contra Iliadem & Odyſſeam comparata, Regi* (Ptolemæo Philadelpho) *recitavit. Ptolemæus vero, cum animadvertiſſet Poëtarum parentem, Philologiæq; omnis ducem, abſentem vexari, & cujus ab cunctis gentibus ſcripta ſuſpicerentur, ab eo vituperari, indignatus, nullum ei dedit reſponſum. Zoilus autem, cum diutius in regno fuiſſet, inopia preſſus, ſummiſit*

ad

ad Regem, poſtulans, ut aliquid ſibi tribueretur. Rex vero reſpondiſſe dicitur: Homerum, qui ante annos mille deceſſiſſet, ævo perpetuo multa millia hominum paſcere: item debere qui meliori ingenio ſe profiteretur, non modo ſe unum, ſed etiam plures alere poſſe. Et ad ſummam, mors ejus, ut parricidii damnati, varie memoratur. Alii eum ſcripſerunt a Philadelpho eſſe in crucem fixum: nonnulli, in eum lapides eſſe conjectos: alii, Smyrnæ vivum in pyram conjectum. Quorum utrum ei acciderit, merenti digna conſtitit pœna.

MILLENARII IV.

SECVLVM VIII.

PTOLEMÆVS EVERGETES.

PAtri Ptolemæo Philadelpho, ſucceſſit *Ptolemæus Evergetes*, a præclaris in Ægyptios meritis, ſic dictus, præcipue quod ſimulacra Deorum duo millia quingenta, in quibus erant & illa, quæ Cambyſes capta Ægypto in Perſidem aſportaverat, in bello adverſus *Seleucum Callinicum* Syriæ Regem geſto, ſuæ poteſtatis fecit. Nempe, ulturus cædem ſororis Berenices, Seleucum invaſerat: *Laodice* enim, & ipſa Evergetæ, atque ſic Berenices quoque ſoror, Antiochi, quem Mileſii, quod *Timarchum* tyrannum eorum ſuſtuliſſet, *Deum* cognominaverunt, conjux, maritum cum Berenice nova uxore, & filiolo quem ei pepererat, immiſſis percuſſoribus e medio ſuſtulit, regnavitque poſt Deum patrem Seleucus Callinicus. In hoc bello Evergetes Laodicen occidit, & Syriam ac Ciliciam, imo propemodum univerſam Aſiam, Callinico eripuit, & adeo totum fere ejus regnum

occupaſſet, niſi excitata præter ſpem domi ſeditione, in Ægyptum revocatus eſſet, cui 26. annis præfuit.

Res Jvdæorvm.

Jeſus Sirach, filius fuit, & nepos, patris, & avi, eodem nomine appellatorum. Ejus Avus, vir inter Judæos inſignis, non tantum aliorum quædam ſapienter dicta collegerat, ſed ipſe etiam aliqua de ſuo addidit, Hebraice ſcripta. Hunc librum nepos in manum ſumſit, & in unum concinnum volumen Græco ſermone redactum, ſuo, patris, avique nomine vocavit. S. Hieronymus epiſt. 115. refert, ſe librum hunc Hebraicum vidiſſe. Latine dicitur *Eccleſiaſticus*: ſive comparatione Salomonis, qui Eccleſiaſten ſcripſit; ſive quod in Eccleſia frequentur legeretur, ob pias, quibus ad vitam regendam refertus eſt, regulas. Ob eandem cauſam Græcicis Πανάρετον dictum ex Euſebio, & Clemente Alexandrino conſtat. Judæi ſimilem librum *Ben Siræ* tribuunt, quem quidam filium Jeremiæ faciunt: alii vero tempore Simeonis juſti vixiſſe contendunt.

Res Romanorvm.

Contra *Sardos*, qui ſuaſu Carthaginienſium adverſum Romanos rebellarant, cum ex conditione pacis iis parere deberent, mittitur Conſul *Manlius*, qui vicit Sardos, & cum Carthaginienſibus pacem iniit: atque ſic *Sardinia* omnium prima Romanorum provincia facta eſt, miſſis ad componendam eam X. Legatis, id quod deinde in provinciis faciendis ſervatum eſt. Poſt hanc victoriam, cum nuſpiam hoſtis Romanus compareret, *Jani* templum, ſed ad perbreve tempus, & ſolum quadriennium, clauſum eſt, quod, poſt Vrbem conditam, ſemel tantum, Numa

Pom-

Pompilio regnante contigerat. Nec ab eo tempore, usque ad Auguſtum, Jani portæ amplius clauſæ leguntur. Quæ vero cauſa fuerit, quod Jani templum Belli tempore apertum erat, non convenit inter autores. Tres variantes ſententias adducit Servius, ad illud Virgilii: *Diræ ferro & compagibus arctis claudentur belli portæ.* Optima videtur eorum opinio, qui ideo bello exorto templum Jani patefactum eſſe opinantur, ut unicuique aditus pateret, ad concipienda in eo vota precesque, pro publica Imperii pace, atque ſecuritate. Pacis enim & quietis Deus Janus habebatur: huic igitur ut homines commode ſupplicarent, maxime vero matres, quarum filii caſtra ſequebantur, inſtitutum eſt, ut Jani templum tempore belli aperiretur, clauderetur vero pace parta. Fieri etiam poteſt, ut Romani in pace templum Jani ideo clauſerint, ut ſignificarent, voti ſe jam compotes factos eſſe, neque enim pacis tempore opus erat, ut pro pace obtinenda vota ſuſciperent, qua jam fruebantur. Quin, nec admodum frequentatum fuiſſet Jani templum pace vigente, a Martio illo & bellatore populo.

Conſul *Papirius*, in Inſulam *Corſicam* miſſus, Corſos vincit, & Inſulam provinciam facit, quam tamen cum Sardinia ſemper rexit unus Magiſtratus Romanus. Papirius autem, cum non fuiſſet momenti bellum, triumphum a Senatu non impetravit: ideo in monte Albano primus de ſua ſententia triumphavit, & urbem *ovans* ingreſſus eſt.

Liguſticum Bellum ad hæc tempora referendum. *Ligures* tutum Alpibus & fuga, durum atque velox genus, latrocinia hactenus magis adverſus Romanos exercuerant, quam bella. Cum diu eluderent, tan-

dem *Fulvius* latebras eorum ſepſit igne, *Bebius* in plana deduxit: *Poſthumius* ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.

Illyricum Bellum, ex Piratarum conflatum eſt injuriis. *Agron*, Illyriorum Rex, liberatis ab *Ætolorum* obſidione *Midioniis*, adeo lætatus victoria fuerat, ut continuatis conviviis, luxu moreretur. Ejus uxor *Teuta*, ſuſceptis regni gubernaculis, principem Epiri urbem *Phœnicen*, *Corcyramq;* occuparat Inſulam; Illyriis, piraticam exercentibus, fiducia potentiæ ſuæ, nimium indulſerat. Igitur miſſi Roma Legati *Cajus* & *Lucius Coruncani*, queſtum de injuriis apud Reginam. Illorum junior, audacius quam circumſpectius, bellum indicendo, iram Teutæ accendit, immiſſoque in diſcedentem percuſſore, trucidatus eſt. Ea res bellum inflammavit. *Q. Fulvius Centimalus* Coſ. *Demetrii Pharii* proditione, Corcyram vindicavit Romanis, tranſlatisque in Illyricum copiis, multas cepit civitates. Teuta, paucis locis exceptis, decedere regno, & Romanis pendere tributum coacta; navigatio Illyriorum, certis limitibus circumſcripta eſt: nempe ne navigarent ultra *Lyſſum*, Illyrici urbem, in Macedoniæ confinio, niſi cum duabus navibus, iisque inermibus, atque id maxime Græcorum erat commodo. Hæc pax per Legatos Romanorum in Græcia publicata, magnum favorem Romanis conciliavit, ac Legati, Athenis & Corinthi honorifice habiti, participes ludorum iſthmicorum facti ſunt.

Sp. Carvilius Ruga, apud Cenſores conqueſtus de uxoris ſterilitate, cum juraſſet, ſe liberorum cauſa uxorem habere, primus Romæ *divortium* fecit.

Cn. Næ-

Cn. Nævius, Poëta, bello Punico primo Romanis ſtipendia fecit, ejusque hiſtoriam carmine deſcripſit. Ob *maledicentiam*, qua imprimis Metellorum familiam, Romæ *tum* potentem, irritavit, in carcerem conjectus & denique Roma pulſus eſt. *Vticam* ergo ſe recepit, ibique diem obiit ſupremum.

Contemporanea Alia.

Rhodus Inſula, terræ motu concutitur: unde ingens *Coloſſus Solis*, inter ſeptem mundi miracula relatus, corruit. Fecerat hunc *Chares Lyndius* ex ære, fuitque altus pedes 126. pollex, amplexu humano amplior erat; crura divaricata tanta diſtantia ſejuncta fuere, ut ſat ſpatii præberent navibus portum ingredientibus. Steterat ſolos 56. annos. Jacuit in ruderibus annos 875. donec A. C. 677. Saraceni, Rhodo capta & direpta, 900. camelos iis onerarunt.

Demetrius Rex Macedoniæ obierat, relicto parvulo filio *Philippo*. Ei tutor datus *Antigonus*, *Doſon* appellatus, quod non daret, ſed videretur daturus. Is, accepta in matrimonium matre pupilli, Regem ſe conſtitui laborabat. Voti damnatus, dignitatem regni Macedonici non ſolum defendit, verum etiam auxit. Interjecto tamen tempore, ſeditione Macedonum clauſus in regia fuit, extremoque circumdatus periculo. Tum in publicum ſine ſatellitibus procedit, projectoq; in vulgus diademate & purpura, dare hæc eos alteri jubet, qui illis melius imperare ſciat, & cui ipſi promtius obedire velint. Commemorat deinde beneficia ſua, depoſitoque cum eorum exprobratione imperio, non prius illud recepit, quam ſeditionis autores ad ſupplicium traderentur.

Eratoſthenes, Cyrenæus Philoſophus. A quibusdam *βῆτα* dictus eſt, quod in omni diſciplinarum genere, non quidem primas, ſed ſecundas teneret. Suidas tradit, ipſum Platonem alterum, item Πένταθλον, vel *quinquertionem*, ob multijugam ſcientiam, dictum eſſe. Ipſe *Philologi* nomen primus ſumſit. A Ptolemæo Evergeta, Athenis in Ægyptum accerſitus, Bibliothecæ Alexandrinæ præfectus eſt. Vitam usque ad 80. annos produxit, & inedia, ob hebetem oculorum aciem, ſeipſum peremit. Scripſit *Geographiam*, *Poëmata*, *Hiſtorias*, *Dialogos*, primusque, univerſum totius Orbis circulum, ducentorum quinquaginta duorum millium ſtadiorum eſſe prodidit; unde *orbis terrarum menſor* appellatus eſt.

PTOLEMÆVS PHILOPATOR.

Ptolemæus Evergetæ filius, quod patrem ac matrem interfeciſſet, ex facinoris crimine cognomentum *Philopator*, a contrario accepit. Is regno parricidio obtento, & ad necem utriusque parentis, cæde etiam fratris adjuncta, velut rebus feliciter geſtis, luxuriæ ſe tradidit, moresque Regis omnis ſecuta regio eſt. Itaque non Amici tantum Præfectique, verum etiam univerſus exercitus, depoſitis militiæ ſtudiis, otio ac deſidia corrupti, marcebant. Quibus rebus cognitis, *Antiochus Magnus* Rex Syriæ, commoditate utendum ratus, repentino bello, multas urbes ejus oppreſſit, ipſamque Ægyptum aggreditur. Ptolemæus, magno in Græcia conducto exercitu, vincit Antiochum, isque per deſerta fugiens, pæne captus eſt: ſpoliatus quoque omni fuiſſet regno, ſi Ptolemæus fortunam virtute juviſſet. Sed con-

contentus recuperatione urbium quas amiſerat, facta pace, avide materiam quietis arripuit; revolutusque in luxuriam, occiſa *Eurydice* uxore, eademque ſorore ſua, *Agathocliæ* meretricis illecebris capitur, illiusque fratrem *Agathoclem* rectorem civitatis facit. Cumque ſic luxuriæ penitus immerſus eſſet, moritur, poſtquam 27. annos regnaverat, relicto quinquenni filio ex Eurydice ſorore. Mors ejus, dum pecuniam regiam ſcorta rapiunt, & imperium, inita cum perditiſſimis ſocietate, occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concurſu multitudinis, & Agathocles occiditur, & mulieres meretriciæ, in ultionem Eurydices, patibulis ſuffiguntur.

Res Jvdæorvm.

Ptolemæus Philopator, victo Antiocho, Hieroſolymam ingreditur, & ſacrificia Deo offert. Admiratus autem templi ſtructuram, interiora ejus videre concupiſcit. Sacerdotes legem ſuam opponunt, & profanationem humiliter deprecantur. Cum nihil proficerent, in terram ſe projiciunt, gemitu & ululatu omnia replentes; tota inſuper civitas tumultu miſcebatur, nec deerant, qui arma minitarentur. Cum vero Rex tanto magis in vetitum niteretur, *Simon* Pontifex devotis precibus a Deo auxilium depoſcit, eique tutelam ſuæ domus committit. Sic adyta ingredi volentem Regem, horror & ſtupor occupavit, ita ut in ſolo jaceret, & ne fari quidem poſſet; unde amici & cuſtodes corporis ingenti perculſi timore, veriti, ne eum vita deficeret, cito illum extraxerunt. Ptolemæus, in Ægyptum reverſus, iram in Judæos ibi habitantes effundit,

propoſito diplomate, ut qui ex illa gente Diis Æ-gyptiis ſacrificare nollent, civitatis jure privarentur. Ad atrociora quoque progreſſus, congregatam ingentem eorum multitudinem, 500. elephantis objici proterendos jubet. Judæi hippodromo incluſi, catenisque onerati, patrium Deum miſerabili implorant queſtu. Neque vero incaſſum fuere miſerorum preces. Vocatus enim ad triſte ſpectaculum tyrannus, mota mente, nullum ſe adverſus Judæos decretum promulgaſſe ait, impune ergo dimittendos eſſe. Dehinc comeſſabundus, ad priſtinam revertitur inſaniam, ac efferari elephantos, conquiri Judæos, iterum objectari belluis imperat. Fit mandato obſequium. Accerſitur ad ſpectandum innocentium ſupplicium, dum Judæi interim, palmas in cœlum tendentes, Dei ſui invocant præſidium. Ecce igitur, advenientis cum Rege ſatellitii ſtrepitu, tanquam in furorem acti elephantes, perfractis repagulis, in milites & turbam circumſtantem irruunt, obvium quemque proculcant: judæorum ne unum quidem attingere audent. Eo miraculo attonitus Philopator, Judæos, præmiis affectos, ad ſua dimittit, iisque, qui religionem deſeruerant tribules, plectendos tradit. Deſcribitur hæc hiſtoria prolixe, nec ſine hyperbolica exaggeratione, in libro 3. Maccabæorum, qui ideo primum inter cæteros locum tenere debebat. Quanquam, ſi dicendum quod res eſt, quæ illo continentur, ad Maccabæos minime attinent. Joſephus hæc omnia in libris Antiquitatum prætente rit, at libro 2. contra Apionem, ea videtur Ptolemæo Phyſconi tribuere.

RES

RES ROMANORVM.

Bellum II. Punicum, cladium atrocitate terribile, hoc ævo militatum eſt. *Cauſa* ejus, quod nobilem Carthaginienſem populum, ablatum mare, ademptas Inſulas, dare tributa, qui jubere conſueverat, puderet. Incenſor belli *Hannibal*, Hamilcaris filius, ejus, qui bello priore Carthaginienſium Imperator, pacis leges mœrens acceperat; quique compoſitis in Africa rebus, miſſus in Hiſpaniam, Hannibalem filium, novem annos natum, ſecum duxerat; cum eum prius ad aram jusjurandum dare coëgiſſet, de alendis cum Romanis tota vita inimicitiis. Geſſit *Hamilcar* per novennium multa præclare in Hiſpania, & ad poſtremum, dum flumen equo transmittit, eo excuſſus periit. Ipſi ſuffectus eſt *Asdrubal*, illius gener, qui per annos octo, haud minus rerum ſucceſſu felix, poſt eorum decurſum, jugulatus eſt a ſervo Hiſpano, ob dominum occiſum, ſucceſſore *Hannibale*, qui tum 27. ætatis annum inchoaverat. Atque iſte ſtatim ac belli Dux factus, totam, intra flumen Iberum, Hiſpaniam occupat. Dehinc *Saguntum* opulentam, & Romanorum ſociam urbem, adoritur; ea vero a Romanis auxilium petebat. Id dum differtur, Saguntini, jam novem menſibus fame laboreque feſſi, verſa denique in rabiem ira, immanem in foro excitant rogum, & deſuper ſe ſuosque, cum omnibus opibus ſuis, ferro & igni conficiunt. Romani, audito excidio Sagunti, Legatos mittunt Carthaginem, qui aut Hannibalem, ſi privato conſilio Saguntum invaſiſſet, dedendum Romanis juberent, aut bellum indicerent. Tergiverſantibus Pœnis, Dux Legationis *Fabius*, Quæ, inquit, mora

eſt?

eſt? In hoc ego ſinu bellum pacemque porto: utrum eligitis? Succlamantibus, Bellum. Bellum igitur, inquit, accipite: & excuſſo in mediam curiam togæ gremio, non ſine horrore, quaſi plane ſinu bellum ferret, effudit. Hoc ergo initium belli fuit, quod vaſtatione Italiæ, captivitate Africæ, Ducum & Regum exitio, per totos 18. annos geſtum eſt.

Traditur Hannibalem verſus Italiam cum 80. millibus peditum, & 20. millibus equitum, item 37. elephantis moviſſe, relicto cum idoneis exercitibus fratre *Aſdrubale* in Hiſpania. Iter ei difficillimum fuit. Pyrenæos enim montes transgreſſus, inter ferociſſimas Gallorum gentes, ferro viam aperuit, & decimo quinto die ad *Alpes Taurinas* pervenit. Ibi, montanos Gallos aſcenſu illum prohibere conantes, ſuperat, atq; invias rupes igne ferroq; reſcindit. *Aceto* quoq; ad eas confringendas uſum eſſe, Livius l. 21. Juvenalis Sat. 10. & alii, ſcripſerunt: quod fabulam Boxhornio in Quæſtionibus Romanis ſapere videtur, cum veriſimile non ſit, tantam Hannibali aceti copiam fuiſſe, quæ discutiendis tot cautibus, proſternendæque tam vaſtæ, & præruptæ ſaxorum moli ſuffecerit. Sed, qui Livium cum cura inſpiciunt, deprehendent, rem minime abſurdam, nedum impoſſibilem eum narrare. Scilicet, unica tantum rupes aditum omnem negabat, quæ, ita rectis ſaxis objiciebatur, ut ægre expeditus miles, manibus retinens virgulta, in eam evadere, ac inde demittere ſe posſet. Hanc, ut aptam tranſeuntibus redderet Hannibal, igne primum, deinde aceto fregit, poſtea etiam ferro complanavit, atque ita permeabilem effecit. Magnam Hannibalis copiarum partem, itineris moleſtia conſumſit, itaque non niſi viginti circiter peditum,

ditum, & ſex equitum millia in Italiam penetrarunt, quibus deinde, non pauci Galli, & Ligures ſe adjunxere.

Sic ergo belli vis atque tempeſtas, ab illis ſabuloſæ altitudinis nivibus, velut cœlo miſſa, primique impetus turbo, inter Padum & Ticinum, valido ſtatim fragore detonuit. Ibi *P. Scipione* Duce, fuſus Romanorum exercitus. Ipſe Conſul ſaucius veniſſet in hoſtium manus, niſi protectum patrem, prætextatus filius, is nimirum, qui in exitium Africæ creſcens, poſtmodum ex malis ejus *Africani* nomen conſecutus eſt, morti illum eripuiſſet. Dehinc *Sempronius Gracchus*, cognito Hannibalis adventu, e Sicilia exercitum trajecit, & ad *Trebiam* amnem, qui ex Apennino oriens, per Placentina arva fluens, in Padum ſe exonerat, cum Pœnis conflixit. Tunc callidiſſimi hoſtes, a meridie & ſole venientes, frigidum & nivalem diem nacti, cum ſe ignibus prius oleoque foviſſent, ſua Italos hyeme vicerunt.

Succeſſit ſequenti anno, tertia, eaque memorabilis clades, ad *Thraſimenum* Vmbriæ lacum, qui nunc Peruſinus dicitur. Ad eum, maximo, non militum tantum, ſed & ſuo incommodo, amiſſa per continuas vigilias in paludibus etiam oculo, Hannibal pervenerat. Ibi *C. Flaminius* Conſul, homo temerarius, non exſpectato alterius Conſulis adventu, nova Punicæ fraudis arte circumventus, cum exercitu periit. Etenim nebula lacus, paluſtribuſque virgultis tectus Africanus eques, terga Romanorum ſubito invaſit. Viginti unum millia ex Romanorum parte tunc deſiderata ſunt, 15. millibus cæſis, & 6. millibus captis. Cum ad nuncium cladis Romæ luctus eſſet, duæ matres, inſperato, receptis filiis,

gau

gaudio, diem ſuum obierunt. Notatu dignum eſt, quod Oroſius perhibet: durante hac pugna, tantum utrinque pugnantium ardorem extitiſſe, ut graviſſimum *terræ motum*, qui tunc tam vehemens factus eſt, ut urbes diruiſſe, montes transtuliſſe, diſcidiſſe rupes, & flumina retrorſum egiſſe feratur, pugnantes neutiquam ſenſerint.

Adverſus hoſtem toties victorem, non virtute tantum, ſed & ſuis artibus pugnandum erat. *Q. Fabius Maximus*, a clementia morum, *Ovicula*, a verruca in labris ſita, *Verrucoſus* dictus, contra Hannibalem miſſus eſt, prius *Pro-Dictator* creatus, quod nominis ideo ei impoſitum, quoniam a Populo, non vero a Conſulum aliquo, (quorum alter mortuus, alter abſens erat,) vel a Tribuno militum Conſulari poteſtate prædito, dignitatem iſtam conſecutus eſſet. Is prima reviviſcentis Romæ ſpes fuit, novum de Hannibale victoriæ genus, non pugnando, ſed moras trahendo, unde & *Cunctatoris* nomen ei impoſitum, commentus. Quippe per Samnium, per Falernos, Gaurannosq; ſaltus, ſic maceravit Hannibalem, ut qui frangi virtute non poterat, lentitudine comminueretur. *M. Minutius Rufus*, Magiſter Equitum, ferox & temerarius, criminando Dictatorem tanquam ſegnem & timidum, effecit, ut Populi juſſu imperium ei cum Fabio æquaretur. Diviſo exercitu, cum in iniquum incidiſſet locum, & magno in diſcrimine ejus legiones verſarentur, ſuperveniente cum exercitu Fabio, e præſentiſſimo liberatus periculo, errorem agnovit, ſeque, totumque exercitum, Dictatoris arbitrio ſponte iterum ſubjecit. Hannibal, vaſtata Campania, inter Caſilinum, ejus regionis urbem, & Calliculam montem, a Fabio clauſus, ſarmentis ad cornua

boum

boum alligatis, & incenſis, præſidium Romanorum quod Calliculam inſidebat, fugavit, & ſic ſaltum transgreſſus eſt. Idem, Fabii Maximi Dictatoris, cum circumpoſita ureret, agro pepercit, ut illum tanquam proditorem, patriæ redderet ſuſpectum.

Succeſſere Fabio, *L. Æmilius*, & *Terentius Varro* Coſſ. quos ille antequam in hoſtem irent, de variis admonuit, & qua ratione ſe contra Hannibalem gerere debeant, fideliter inſtruxit: maxime vero ſuum ipſis exemplum propoſuit, & ne temere ad arma vel pugnam provolarent, ſuaſit, tracto in partes L. Æmilio, non vero Terentio Varrone. His ductoribus, quartum & pæne ultimum vulnus Romani ad *Cannas* acceperunt, ignobilem Apuliæ vicum, inter Canuſium, & Venuſiam urbes, ad Aufidum fluvium, cujus nomen facile in obſcuro manſiſſet, niſi iſta clades ipſum nobilitaſſet. Hîc in exitium infelicis Romani exercitus, Dux, terra, dies, tota denique rerum natura conſenſit. Scilicet, *C. Terentii Varronis*, alterius Conſulum temeritatem, magnum ad cladem momentum attuliſſe, Scriptores conſenſu tradunt. Hannibal non contentus ſimulatis transfugis, qui mox terga pugnantium ceciderunt, inſuper obſervato loci ingenio, quod & Sol ibi, ut patentibus in campis, acerrimus, & plurimus pulvis, & Eurus ab oriente ſemper quaſi ad conſtitutum, ita inſtruxit aciem, ut Romanis adverſus iſta omnia pugnandum eſſet. Cæſi itaque duo Conſulares exercitus, ad hoſtium ſatietatem, donec Hannibal diceret militi ſuo: *parce ferro*. Periere ſic Romanorum 45. millia, cum *Æmilio Paulo* Conſule, Conſularibus duobus, 21. Tribunis militum, 80. Senatoribus; Prætoribus, aut Ædilitiis 30. Do-

cumenta cladis, cruentus aliquandiu *Aufidus*: pons de cadaveribus juſſu Hannibalis factus in torrente *Vergelli*; modii tres annulorum Carthaginem miſſi, e manibus Equitum Romanorum, Senatorum & militum detractorum. Vix 70. equites cum Conſule *Terentio Varrone* fuga Venuſiam elapſi, cui advenienti poſtea Romam, quod de Repub. a tanta clade non deſperaſſet, ſeque ad clavum illius iterum contuliſſet, gratiæ a Senatu actæ ſunt.

Dubium deinde non erat, quin actum fuiſſet de Roma: quintumque intra diem Hannibal in Capitolio epulari potuiſſet, ſi quemadmodum ſciebat vincere, ſic victoria uti ſciviſſet. Sed relicta Roma, *Campaniam*, *Tarentumq;* ipſe peragrabat, ubi mox & illius, & exercitus ejus ardor elanguit, adeo ut proverbio jactaretur, *delicatam Capuam Hannibali Cannas fuiſſe*. Interim reſpirare Romani, & quaſi ab inferis emergere. Arma deerant; detracta ſunt templis. Juventus deficiebat: quod nunquam ante factum, ſervi manumiſſi ſunt. Egebat ærarium; opes ſuas Senatus libens in medium protulit; nec præterquam quod in bullis annuliſque erat, quicquam ſibi auri reliquit. Eques ſequutus exemplum, imitatæque Equitem Tribus. Acceſſit *Scipionis* erga patriam fides. Cum enim a nobilibus adoleſcentibus conſilium de relinquenda Italia iniretur, ille Tribunus militum, ſtricto ſuper capita deliberantium ferro, juravit ſe pro hoſte illum habiturum, qui non polliceretur, minime a ſe relictum iri Italiam. Præterea, trepidationem Vrbis & luctum, res in Hiſpania meliore eventu a *Publio* & *Cnejo Scipionibus* geſtæ, diminuerunt. *Aſdrubalem* illi ſecundis præliis 35. hominum millibus ſpoliarunt; viginti quinq; occiſa, decem millia capta ſunt.

ſunt. *Claudius* quoque *Marcellus*, anno quarto poſtquam in Italiam Hannibal venit, vinci eum poſſe docuit. Congreſſus enim cominus, pepulit eum e Campania, & obſidione urbis *Nolæ* excuſſit. Hannibal contra multas Romanorum civitates, per Apuliam, Calabriam, & Brutios occupando, damnum ſibi illatum penſavit.

Tunc Philippus Rex Macedoniæ, Legatos ad Hannibalem ablegat, promittens ſuppetias contra Romanos, ea conditione, ut illis devictis, ipſe quoque contra Græcos auxilia acciperet. Captis igitur Legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniam *M. Levinum* ire juſſerunt; in Sardiniam vero *T. Manlium Torquatum* Proconſulem; quod etiam ea ab Hannibale ſolicitata, Romanos deſeruiſſet. Ita ſingulari Romanorum in rebus adverſis fiducia, uno tempore quatuor in locis pugnabatur. In *Italia*, contra Hannibalem; in *Hiſpania*, contra fratrem ejus Asdrubalem; in *Macedonia*, contra Philippum; in *Sardinia* contra Sardos, & alterum *Asdrubalem* Carthaginienſem. Atque iſte quidem poſtremus, a *T. Manlio* vivus captus eſt, occiſa cum eo 12. millia, capti mille quingenti, & a Romanis *Sardinia* ſubacta. Paulo poſt etiam *Philippus*, *Apolloniam*, Macedoniæ urbem, obſidens, nocturna Romanorum irruptione fugatur: & in Hiſpania, a Scipionibus Asdrubal & Mago, Hannibalis fratres, quatuor cæduntur præliis, *Saguntus* reſtituitur, *Turdetani*, in quorum gratiam perierat, ſub corona veneunt.

Sub idem tempus *in Siciliam* quoq; bellum migrat. Defuncto enim Hierone Rege, filius ejus *Gelo*, & nepos *Hieronymus*, ad Carthaginienſes defecerant; quibus

 ſtatim

ſtatim morbo aut ferro conſumtis, Sicilia *Marcello* a Romanis mandatur. Is totam Inſulam in una ſuperavit urbe. Grande illud, & ante id tempus invictum caput, *Syracuſas*, adverſus oppugnationem *Archimedis* ingenium & induſtria tutabantur. Is, cœli ſiderumque contemplator ea ætate præſtans, ſed machinarum operumq; bellicorum inventis multo clarior, Romanorum apparatus omnes, levi negotio eluſit. Itaque vix anno tertio capi Syracuſæ potuerunt. Cum expugnarentur, proditum eſt, Archimedem, intento in ſtudia animo, ac nihil eorum, quæ per hunc tumultum gerebantur, ſentiente, ab ignoto milite interfectum: e cujus morte magnum dolorem cepit Marcellus, qui irrumpentibus in urbem militibus, ut illum ſervarent edixerat. Hæc Syracuſarum calamitas, finem attulit Regii in Sicilia dominatus, quem Hiero inſtaurarat, ac legitimum ex tyrannico, comitateque ac clementia acceptum etiam vulgo fecerat; cum nihil ex tanta dignitate præcipuum ſibi, præter curam ac liberalitatem vindicaret.

At in *Hiſpania*, *Publius* & *Cnejus Scipiones*, tot tantarumque rerum feliciter geſtarum triſtem exitum tulerunt. Deſerti enim a *Celtiberis*, quos primos Romana caſtra mercenarios habuere, prope cum omnibus copiis occidione occiſi ſunt, anno octavo quam in Hiſpaniam iverant. Amiſſaque ejus provinciæ poſſeſſio foret, niſi *L. Martii*, equitis Romani, virtute & induſtria, contractis exercituum reliquiis, bina caſtra hoſtium, ut poſt victoriam nihil timentium, expugnata eſſent; ad 37. millia cæſa. *Martius*, a Romanis Dux appellatus eſt.

Interim *Q. Fulvius Flaccus*, & *Appius Claudius* Coſſ. *Capuam*, quæ ante triennium deſciverat, obſidione cir-

circumvallant, urbem nobilem & potentem: quæ, ſicut defectione ſua traxerat aliquot populos, ita recepta, inclinatura rurſus animos videbatur, ad veteris imperii reſpectum. Ibi, quod equitatu prævalebant obſeſſi, inſtitutum eſt primum, ut velites eſſent in legionibus, qui leviter armati, & vehi poſt equites, & ſigno dato deſilire, pedeſtremque inter equites ciere pugnam poſſent. *Hannibal*, urgendos proprio periculo Romanos ratus, ad tertium ab urbe Roma lapidem, ſuper *Anienem* fluvium, caſtra ponit: ipſe, cum duobus millibus equitum, usque ad *portam Capenam*, ut Vrbis ſitum exploraret, obequitat. Sed ab altero Ducum *Fulvio*, quem Romani non omiſſa Capua, ad patriam tutandam revocaverant, immiſſo equitatu ſummotus eſt. Inſtructos deinde utrinque exercitus, imber ingens, grandine miſtus, ita turbavit, ut vix armis retentis in caſtra ſe reciperent. Parva res dictu, ſed ad magnanimitatem Populi Romani probandam ſatis efficax, minuit ſpes Hannibalis. Ager, quem caſtris ipſe inſederat, venalis Romæ fuit, haſtæque ſubjectus invenit emtorem, nihil ob id diminuto pretio. Major res, quod cum ipſe armatus ad mœnia ſederet, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audivit. Itaque ceſſit fatis, & in ultimum Italiæ ſinum ſe recepit. Tunc *Capuani* actum de ſua ſalute eſſe intelligebant. Antequam urbs dederetur, *Vibium Virium* ſeptem & viginti Senatores domum ſecuti ſunt, epulatique cum eo, denique venenum omnes ſumpſerunt. De ſupplicio reliquorum haudquaquam inter Fulvium Claudiumque conveniebat. Facilis impetrandæ veniæ Claudius, Fulvii durior ſententia erat. Cum deligati ad palos eſſent,

ut ſecuri ferirentur, literas a Senatu Romano miſſas, quibus jubebatur parcere, antequam legeret, in ſinu poſuit, legeque agi juſſit, & ſupplicium peregit. Multitudo alia civium Campanorum venundata, ager omnis & tecta publica, Populi Romani facta: Præfectus, ad jura aratoribus reddenda, quotannis a Roma miſſus.

Occupata Capua, non minor Romanis *Hiſpaniæ*, quam Italiæ cura fuit. Cum in Comitiis apud Populum quæreretur, cui mandaretur tanti moles negotii, nullo id volente ſuſcipere, *P. Scipio*, Publii, qui in Hiſpania occubuerat, filius, profeſſus ſe iturum, omnium ſuffragio miſſus eſt. Hic bellatricem illam Hiſpaniam totam, a Pyrenæis montibus, ad Herculis usque columnas, Romanis acquiſivit, & anno quinto quam venerat, Carthaginienſes omni ejecit Hiſpania. Certum eſt, multum ei profuiſſe juſtitiam, & morum ſanctitatem. Eſt inter cætera moderationis documenta, imprimis memorabile, quod *Carthagine* in Hiſpania capta, virginem, quæ omnium oculos ſplendore formæ in ſe vertebat, ad ſe deductam, & juvenis, & cælebs, & victor, *Allucio* ſponſo reſtituit intactam; ac grande auri pondus, quod parentes puellæ, pro ea redimenda ad pedes illius depoſuerant, ſponſum tollere juſſit, & ſuper dotem quam parentes daturi eſſent, hanc quoque a ſe habere. Quo uno facto, magnam Hiſpaniæ partem ad Romanos & ad ſe traxit, cum certatim cuperent tali virtuti ſubeſſe. Cæterum, ex Hiſpania in *Africam* profectus, amicitiam junxit cum *Syphace*, Maſſylorum, & deinde cum *Maſiniſſa*, Maſæſylorum, hoc eſt, ambobus Numidiæ Regibus; Romamque reverſus, Conſul creatus eſt.

Poſt

Poſt hæc a duobus Coſſ. *Claudio Nerone*, & *Livio alinatore*, *Asdrubal*, Hannibalis frater, qui cum novo xercitu in Italiam venerat, antequam fratri ſe conjuneret, cum ſuis copiis deletus eſt. Erat tum in Apulia Hannibal, cui ſe Nero Conſul oppoſuerat: Livius, in Ciſalpina Gallia caſtra contra Asdrubalem habebat. Inerceptis Asdrubalis literis, Nero clam, inſcio Hannibale, ſex dierum ſpatio, totam emenſus Italiam, ad Colegæ caſtra cum parte copiarum pervenit, victisq; hoibus, ante ad ſtativa ſua rediit, quam eum diſceſſe Hannibal ſenſiſſet. Cæſa feruntur eo prælio 6. hoſtium millia, capta quinque millia, & quaringenti. Caput Hasdrubalis ante ſtationes Pœnoum a Nerone projectum, triſte acceptæ cladis inicium Hannibali fuit, ejusque excepta vox, vel otius præſagium fati imminentis: *Agnoſco Carthainis infelicitatem.*

At *P. Scipio*, ut ab Italia revocaret Hannibalem, ransportare bellum in Africam ſtatuit. Sed initio, cum d conſilium temerarium haberetur, nihil neq; pecuniæ, éq; militum publice ſuppeditatum eſt. Ita nemine niſi oluntario milite conſcripto, & accepta mutuo corroataque pecunia; primo in Sicilia Conſul, inde in Afria anno belli quintodecimo, jam Proconſul appulit.

Scipioni, Dux a Carthaginienſibus objectus eſt *Asdrubal*, Giſconis filius; qui filiam ſuam *Sophoniſam*, *Maſaniſſæ* deſponderat. Sed eam, abſente pare, ac ſponſo, Carthaginienſium populus, *Syphaci*, ui, amore puellæ captus, agros eorum vaſtabat, ublice collocavit, ut eum a Romanorum amicitia d ſuam transferret. Qua commotus injuria Maſiiſſa, totum ſe Romanis addixit; magnumq; deinceps d Pœnos debellandos momentum attulit.

Cæterum, Scipioni *Vticam* oppugnanti, *Sypbax* & *Hasdrubal*, cum centum armatorum ſupervenere millibus. Horum caſtra eadem die deleta ſunt, 40. millibus occiſis, captis ſex: amboque rurſus, redintegratis copiis, altero prælio ſuperati fuere. Is *Sypbax*, a C. Lælio, & Maſaniſſa Rege vivus captus eſt. Ejus uxorem *Sophonisbam*, cum Maſaniſſa continuo duxiſſet; increpitus eam ob cauſam a Scipione, quod civem Carthaginienſem, & adeo illam, cujus pater Imperator hoſtium eſſet, connubio ſibi junxiſſet, venenum ad Sophonisbam mittit, jubens, ut memor patris Asdrubalis, & duorum Regum quibus nupta eſſet, ſibi ipſa conſulat. Illa, *accipio*, inquit, *nuptiale munus, ſi nibil majus vir præſtare uxori potuit: melius tamen moritura fuiſſem, ſi non in funere meo nupſiſſem.* Quo dicto, acceptum poculum, nullo trepidationis ſigno dato, impavide hauſit.

Hannibal, a Carthaginienſibus revocatus, Italia, cui tam diu incubuerat, ægre relicta, decimo ſeptimo belli anno rediit in Africam; ſociis, qui ſequi nollent, qua occiſis, qua in ſervitutem redactis. Dehinc tentata fruſtra per colloquium cum Scipione, pace, congreſſus, acie vincitur, nec *Verminæ*, Syphacis filii, qui auxilio Pœnis venerat, melior fortuna fuit. Tum ergo ſecundo Punico bello finis eſt impoſitus, & pax Carthaginienſibus conceſſa, his conditionibus: ut liberi Carthaginienſes, & ſuis legibus viverent; quæ loca ante bellum in Africa tenuiſſent, tenerent: captivosque omnes, & naves roſtratas, præter X. triremes, elephantosque quos haberent domitos, traderent, nec domarent alios: decem millia talentum argenti, deſcripta penſionibus æquis, in annos 50. ſolverent.

Scipio, primus nomine gentis a ſe devictæ nobilitatus, *Africanus* dici cœpit, & inſigni triumpho Romam ingreſſus, *Syphace* Rege inter reliquos captivos ducto, novum creſcenti imperio decus addidit. Idem *Siculis* arma & ornamenta, ac quæcunque illis Carthaginienſes ademerant, reſtituit, & Agrigentinis quoque reddidit taurum æneum, in quem Phalaris tyrannus damnatos conſueverat includere.

Vigente bello Punico ſecundo, inventum a Romanis *carmen in libris Sibyllinis*, quo ſignificabatur, quandocunque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia, vincique poſſe, ſi *Mater Idæa* Peſſinunte Romam advecta eſſet. Miſſi igitur Peſſinuntem in Phrygiam Legati, petitum *Matris Idææ*, quæ & *Mater Deum*, & *Cybele* vocatur, ſimulacrum. Id facile conceſſum eſt a Phrygibus, Romanorum conſanguineos ſe dicentibus, ac oriundos ab Ænea Phryge. Quum itaq; navigio devectum ſimulacrum, ad Tiberis fauces appuliſſet, confeſtim navigium ſubſtitit, neque ullis Romani populi, certatim trahentis, moveri viribus potuit, donec *Veſtalis Sacerdos* adeſſet. Ea, cum virginitatem perpetuo ſervandam, polluiſſe falſo argueretur, damnationem metuens, ſupplex petiit a populo, ut judicium de ſe Deæ Peſſinuntiæ committerent. Quo impetrato, zonam recinxit, clare precata, ut ſi intemeratam ſe eſſe ac virginem Dea ſciret, navim progredi juberet. Quæ ubi dixit, ſtatim alligatam zonam manu ducta navis ſequi cœpit. Excepit ſimulacrum *P. Scipio Naſica* Cn. filius, vir optimus a Senatu judicatus: tali enim committi debebat.

Contemporanea Alia.

Nabis, tyrannus Spartæ, multos ſuorum ſubditorum in exilium pellit, multos occidit, & peculiari inſtrumento eos, qui pecuniam largiri nolebant, torſit. Id, ſimulacrum erat, ad formam mulieris hominem amplectentis, unciculis lancinantibus refertum.

Q. Ennius, unus ex antiquiſſimis Poëtis Latinis, ita ut ab Autore Panegyrici Maximiano Imp. dicti, primus Romani carminis autor appelletur, floruit. Natus eſt *Rudiis*, Calabriæ oppido, & a *Catone Quæſtore*, diſcipulo, in Vrbem adductus, in Aventino habitavit. Complexus eſt *Res Romanorum 18. libris*, quos *Annales* inſcripſit: nec minus *Satyras*, *Comœdias* & *Tragœdias* compoſuit. Horum nihil ad nos pervenit, præter *Fragmenta* aliqua, quæ Paulus Merula collegit, notisque illuſtravit. *Scipionem Africanum* maxime coluit Ennius; & viciſſim ab eo eſt adamatus, itaque & ſepultura conjuncti fuere. *Virgilius*, Ennii perſtudioſus fuit, & multa ex eo in carmina ſua tranſtulit: cumque aliquando deprehenderetur Ennii poëſin legere, interrogatus quid faceret? reſpondit, aurum ſe ex Ennii ſtercore colligere. Obiit ſeptuagenarius, ex morbo articulari, quem immodico vini uſu contraxerat. Illud potandi deſiderium Horatius innuit, l. 2. Epiſt. ſcribens:

Ennius ipſe pater, nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda.

PTOLEMÆVS EPIPHANES.

Ptolemæus Epiphanes, Ptolemæi Philopatoris ex Eurydice ſorore filius, quinquennis tantum erat, cum regno

regno initiaretur. Hinc *Antiochus M.* Syriæ, & *Philippus* Macedoniæ Reges, contemta ejus inſantia, de invadendo regno illius conſilia iniverunt. Contra hos, *Alexandrini*, miſſis Legatis, Romanorum opem implorarunt, quibus, cauſam belli adverſus Philippum, quod ſuperiori tempore illis incommodaſſet, quærentibus, legatio hæc admodum grata extitit. Ablegati ea de cauſa a Romanis Nuncii ad Antiochum & Philippum, cum mandatis, abſtinerent regno pupilli. Quibus ſpretis, interjecto tempore alia legatio ſupervenit; qua etiam fruſtra ſuccedente, inter duos illos Reges, & Romanos, funeſta bella exorta ſunt. Fuit vero Ptolemæi Regis, ob ætatem ad bellicas expeditiones parum adhuc apti, militiæ Dux, *Scopas*, qui, cum *Antiocho* ad fontes Jordanis infeliciter congreſſus, & ſuperatus, *Cœleſyriæ*, *Samariæ*, & *Judææ urbes*, quæ Ptolemæo hactenus paruerant, eidem occupandas reliquit. Tum etiam *Arcem Hieroſolymitanam*, in qua præſidium Ptolemæi locatum fuerat, Judæi, ope Antiochi recuperarunt. Mulctatus tanta regni portione Ægyptius, pacis conditiones ab Antiocho oblatas, admiſit, contracta etiam cum eo affinitate. *Cleopatram* enim filiam ipſius in matrimonium, Cœleſyriam & Judæam in dotem accepit; Antiocho doloſis hisce conditionibus, eum regno exuere moliente. Sed hic quidem fruſtra fuit. Quippe Cleopatra, magis in poteſtate mariti quam patris, contra quam intenderat Antiochus, eſſe cœpit, magisque viri, quam parentis partes fovit. Antiochus etiam, aliis bellis occupatus, Ptolemæo porro moleſtus eſſe deſiit. Obiit Ptolemæus anno regni 24.

RES JUDÆORUM.

Judæos, Regum *Antiochi M.* & *Seleuci Philopatoris* filii ejus indulgentia, in ambitionem & diſſidia corrupit. *Simon*, præpoſitus templi Hieroſolymitani, ut *Oniæ* Pontifici ægre faceret, ad Seleucum profectus, immenſam pecuniarum vim, ſacris minime neceſſariam, a Pontifice aſſervari calumniatur. Mittitur ergo ad eam diripiendam *Heliodorus*, qui theſauris præerat regiis. Is, cum deſtinata executurus, templum ingrederetur, apparuit quidam equo inſidens forma terribili, cui aderant adoleſcentes duo, qui Heliodorum indeſinenter flagellabant, ad necem plagas ingeſturi, niſi Onias Pontifex pro Heliodoro ſeminece apud Deum interceſſiſſet.

RES ROMANORUM.

Bello ſecundo Punico confecto, *Macedonicum* ſucceſſit, cum *Philippo* Rege. Ad id Romanos perpulere, tum veteres injuriæ Philippi, & cum Hannibale adverſus ipſos conſpiratio: tum recens ſociorum, præſertim Athenienſium pervaſtatio, qui ad Romanos confugerant. Initium belli ab oppugnatione *Abydenorum* fecit Philippus; quos in eam deſperationem conjecit, ut Saguntinorum exemplo, univerſi in mortem ruerent. Tandem quarto, poſtquam cœptum fuerat, anno, a *T. Quinctio Flaminio* finitum eſt, victo ad *Cynocephalas* in Theſſalia Philippo. Cæſa fuere Macedonum octo millia, capta quinque. Pax Philippo petenti data, his legibus: ne Græciæ civitatibus bellum inferret: ut captivos & transfugas redderet; quinquaginta ſolum naves haberet; per annos decem quaterna millia pondo argenti præſtaret,

& ut obſidem daret filium ſecundogenitum *Demetrium*. Præcipium pretium victoriæ, libertas Græciæ fuit: eam, cum *T. Quinctius*, in Iſthmico ſpectaculo, quo tota Græcia convenerat, publicasſet, ac per præconem hæc verba recitari juſſiſſet: *S. P. Q. R. & T. Quinctius Imperator, omnes Græciæ urbes, quæ ſub ditione Philippi Regis fuerunt, liberas atq; immunes eſſe jubet:* iis auditis, maximo & inopinato gaudio homines perculſi, primo veluti non audiſſe ſe, quæ audierant, credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronunciatione præconis, tanta cœlum clamoris alacritate compleverunt, ut certo conſtet, aves, quæ ſupervolabant, attonitas paventesque decidiſſe.

Paucis poſt Macedonicum bellum annis, cum *Antiocho M.* Rege Romanis ſimultas interceſſit, qui, recuperatâ Syria, & Ptolemæi Epiphanis Duce Scopa devicto, Romanis jam formidoloſus eſſe cœperat. Contra eos ipſum præcipue concitavit, qui ad illum confugerat, *Hannibal*; *Ætolorum* quoque, qui a Romanâ ſocietate alienati jam erant, Legati, haud parvum momentum ad eam rem contulerunt. His impulſus Antiochus, compoſita cum Ptolemæo pace, cui Cleopatram filiam in matrimonium dedit, Romanis bellum intulit, quod duravit triennium. Siquidem *L. Cornelius Scipio* Conſul, cum *P. Cornelio Africano* fratre Legato, profectus in Aſiam, ſuperavit Antiochum. Ad quinquaginta millia peditum cæſa uno prælio, equitum quatuor millia. Sic Antiochus pacem flagitare cœpit: cui ea conceſſa; ſed ut Aſia cis Taurum, & Europa illi adimerentur, & pro impenſis in bellum factis, XV. millia talentorum Euboicorum imponerentur. Poſtulatum quoque

que, ut Hannibal dederetur. L. Scipio *Aſiatici* cognomen retulit.

Romæ, ob acceſſionem Hiſpaniarum, *ſex* jam *Prætores* erant, e quibus duo quotannis ibant in Hiſpaniam. *Ampliatus & Senatui honor eſt*, autore Scipione Africano, iterum Conſule; imperatumque Ædilibus Curulibus, ut in Ludis, loca Senatoria ſecernerentur a populo: nam antea promiſcue ſpectabantur. Fremuit plebs, quod dives pauperem conſeſſorem faſtidiret, præter omnium cæterarum gentium conſuetudinem.

Contemporanea Alia.

Antiochus M. Syriæ Rex, cum victus, gravi tributo a Romanis oneratus eſſet, ſeu inopia compulſus, ſeu avaritia ſolicitatus, adhibito exercitu, templum *Didymæi Jovis* aggreditur, ſacras pecunias repturus. Qua re prodita, concurſu incolarum cum omni militia interficitur, anno regni 36.

Rex iſte, ne Hannibalem dederet Romanis, admonuerat eum periculi. *Hannibal* in fugam verſus, in Creta apud *Gortynios* aliquandiu egit. Ibi, cum propter avaritiam Cretenſium, quod magnam pecuniam ſecum portaret, ſe in extremo diſcrimine fore vidiſſet, capit tale conſilium. Amphoras complures complet plumbo, ſummas partes operit auro & argento. Iſtas Gortyniis præſentibus deponit in templo Dianæ, ſimulans, ſe ſuas fortunas illorum fidei credere. His, in errorem ductis, ſtatuas æneas, quas ſecum portabat, omnes ſua pecunia complet, easque iu propatulo domi abjicit. Gortynii templum magna cura cuſtodiunt, non tam a cæteris, quam ab Hannibale, ne quid ille inſcientibus tolleret

eret. Sic illuſis Cretenſibus, in Pontum, ad *Pruſiam* Bithyniæ Regem contendit, cui cum *Eumene*, Pergameno Rege diſſidium erat. A quo cum Pruſias terreſtri prælio victus eſſet, bellum is in mare tranſtulit, illumque Hannibal novo commento juvit, ut arma Pergamenorum ſuperaret. Quippe imperavit quamplurimas venenatas ſerpentes vivas colligi, easque in vaſa fictilia condi. Hæc medio prælio conjecta in naves hoſtium, riſum pugnantibus excitarunt, neque enim quare id fieret, poterat intelligi. Poſtquam autem naves completas conſpexerunt ſerpentibus, nova re perterriti, cum quid potiſſimum vitarent, non viderent, puppes averterunt, ſeque ad ſua caſtra nautica retulerunt. Quæ, ubi Romam nunciata ſunt, a Senatu *Flaminius* legatus miſſus eſt, qui utrumq; Regem in pacem cogeret, ac Hannibalem a Pruſia depoſceret. Pruſias id negare non audens, tantum rogavit, ne id a ſe fieri Flaminius poſtularet, quod adverſus jus hoſpitii eſſet; ipſe ſi poſſet, illum comprehenderet: locum ubi eſſet facile inventurus. Hannibal autem ſe tenebat in caſtello, quod ei a Rege datum erat muneri: idque ſic ædificarat, ut in omnibus partibus ædificii exitus haberet, ſemper verens, ne uſu eveniret, quod accidit. Huc cum Legatus Romanorum veniſſet, ac multitudine domum circumdediſſet, puer a janua proſpiciens, Hannibali dixit, plures præter conſuetudinem armatos apparere: qui imperavit ei, ut omnes fores ædificii circumiret, ac propere ſibi renunciaret, num eodem modo undique obſideretur. Puer, cum celeriter omnes exitus occupatos renunciaſſet, Hannibal ſentiens ſe peti, venenum quod ſemper ſecum habere conſueverat, ſumſit.

Phi-

Philippus Macedoniæ Rex, cum adhuc occulte adverſus Romanos bellum meditaretur, omnem multitudinem civium, ex maritimis civitatibus, in Emathiam traduxit, *Thracibusq;*, & aliis barbaris, urbes tradidit habitandas: fidiora hæc hominum genera ratus in Romano bello. Multos quoque præclaros viros e medio ſuſtulit; liberosque interfectorum, ne ultionem aliquando meditari poſſent, comprehenſos, in cuſtodia habebat, ut alium alio tempore tolleret. Sic *Herodicum* Principem Theſſalorum occiderat, generos quoque ejus poſteà interficiens. In viduitate relictæ ſunt filiæ, ſingulos filios parvos habentes: *Theoxena* & *Archo* nomina mulieribus erant. *Theoxena* multorum petentium aſpernata nuptias eſt: *Archo*, Poridi cuidam, præcipuæ nobilitatis nupſit, & apud eum plures enixa partus, omnibus parvis admodum relictis, deceſſit. *Theoxena*, ut in ſuis manibus liberi ſororis educarentur, Poridi nupſit, ſuum, ſororisque filios, in eadem habebat cura. Poſtquam Regis dictum de comprehendendis liberis eorum, qui interfecti eſſent, accepit, rata, ſuos, non Regis modo, ſed & cuſtodum injuriæ obnoxios futuros, ad rem atrocem animum adjiciens, auſa eſt dicere, ſe ſua manu potius omnes interfecturam, quam in poteſtatem Philippi venirent. Poris abominatus mentionem tam fœdi facinoris, navim cum Theoxena & liberis conſcendit, in Eubœam contendens. Ad eum perſequendum regii cuſtodes portus lembum cum armatis miſere, interminantes ne reverterentur ſine fugitivis. Hi ergo cum inſtarent, Theoxena ad multo ante præcogitatum revoluta facinus, venenum diluit, ferrumq; promit: & poſito in conſpectu poculo, ſtrictisque gladiis, *mors*, inquit,

una

una vindicta eſt. Viæ ad mortem hæ ſunt: qua quemque animus fert, effugite ſuperbiam regiam. Agite juvenes mei, primum, qui majores eſtis, capite ferrum; aut haurite poculum, ſi ſegnior mors juvat. Sic alii alio letho abſumti, ſemianimes e navi præcipitantur: ipſa deinde virum comitem mortis complexa, in mare ſeſe dejecit. Navi, vacua dominis, regii potiti ſunt.

M. Accius Plautus, ex *Sarſina*, Vmbriæ urbe, oriundus, a pedum planitie cognomentum tulit. De eo Hieronymus in Chronicis ſcribit, quod propter annonæ difficultatem, ad molas manuarias piſtorum agendas ſe locaverit, ibique quoties ab opere vacasſet, ſcribere fabulas ſolitus ſit, ac vendere. Hodie XX. tantum Comœdiæ ejus extant; cum olim CXXX. circumferrentur. Cicero, Plautum, *urbano, ingenioſo, & faceto genere jocandi refertum eſſe* ait; & Varro, ex Ælii Stilonis ſententia confirmat, *Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui voluiſſent.* Hinc Horatius:

At noſtri proavi, Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales.

PTOLEMÆVS PHILOMETOR.

Ptolemæus Philometor, Ptolemæi Epiphanis filius; hoc cognomen a contrario nactus eſt, quod matrem *Cleopatram*, quæ juniorem illi fratrem præferre contenderat, odiſſet. Cœpit puer admodum regnare, ejusque tutor *Antiochus Epiphanes*, Syriæ Rex, Antiochi M. filius, qui fratri *Seleuco Philopatori*, quem & *Soterem* vocant, ſucceſſerat, avunculi jure eſſe voluit, ſed revera, ut ſub ſpecie tutelæ, Ægyptum, cui inhiabat, eo commodius occupare poſſet. Erant

inimicitiæ inter Ptolemæum Philometorem, & fratrem Ptolemæum Phyſconem, quod, ceu dictum eſt, mater huic impenſius faveret, eidemque regnum vindicare niteretur. Antiochus igitur, per honeſtam ſpeciem juvandi Ptolemæum Philometorem, muniriores urbes in Ægypto præſidiis implet. At Philometor, doloſe illum hæc agere ſentiens, cum fratre Phyſcone in gratiam redit, pacemque facit. Quo facto adeo Antiochus offenſus eſt, ut grave bellum adverſus utrumque pararet, ac in Ægyptum jam contenderet. Confugerat interim ad Romanorum auxilium Philometor. Ab his miſſus eſt *Popilius Lænas*, qui, cum Antiocho haud procul Alexandria occurriſſet, tabellas quas a Senatu Romano perferebat, ei tradit, hasque illum legere jubet. Iis perlectis, cum ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, Antiochus dixiſſet: Popilius, pro aſperitate ſui animi, virga quam in manu gerebat, circumſcripſit Regem, ac, priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde reſponſum Senatui, quod renunciem. Obſtupefactus tam violento imperio Antiochus, poſtquam parumper hæſitaſſet, Faciam inquit, quod cenſet Senatus. Tum demum Popilius dextram ei tanquam amico & ſocio porrexit, Antiochus vero Ægypto excedere coactus fuit. Inter cæteras res geſtas Philometoris, memorabilis imprimis expeditio Syriaca, quam contra *Alexandrum Balam* generum, ſuſcepit; in qua quidem, fugato in Arabiam Alexandro, non tantum ſuperior fuit; ſed & Alexandri caput, ab Arabe quodam transmiſſum, accepit. Eo viſo, inſigniter quidem lætatus eſt, at non diu ſupervixit: ſed mox ex vulnere quod in pugna acceperat, obiit, cum regnaſſet annos 34.

RES

Res Judæorum.

Antiochus Epiphanes, ſpe Ægypto potiundi fruſtratus, ac in Syriam reverſus, ſe in omne ſcelus & impietatem effudit, ut jam non *Epiphanes*, ſive *Illuſtris*, ſed *Epimanes*, hoc eſt *Furioſus*, a cordatioribus diceretur. Præcipue rabiem ejus *Judæi* experti ſunt. Hieroſolymam enim mœnibus nudavit; Diis Græcorum Judæos ſacrificare coëgit; altare Dei omnipotentis dæmoni ſacravit Olympio; pueros Judæorum circumcidi vetuit; ſacros libros abolere juſſit. Inter alios complures, quos veſana tyranni impietas ad necem trahebat, *Eleazari* ſcribæ, annos nonaginta nati, & *ſeptem fratrum*, quos omnibus tormentis excarnificavit, ſumma conſtantia enituit. Nec deerant, qui motis in patria ſeditionibus, factiſque cædibus, ad ejusmodi audenda occaſionem tyranno darent. Eorum capita fuere *Jaſon* & *Menelaus*, ſacrorum caupones, mancipes ſcelerum: quorum ille, *Oniam* fratrem natu maximum, dignitate pontificali depulit, eamque in ſe tranſtulit; hic, etiam vita eum ſceleratiſſime privavit. Quin & Jaſon, conſtituto ſub ipſa arce Gymnaſio, optimos ephæborum in lupanaribus poſuit, & contemto veri Dei cultu, hominibus, ut ſacra & inſtituta gentilium amplecterentur, autor fuit, ceu in priori Maccabæorum libro ſub initium, & in poſterioris 4. capite traditur prolixius. Torniellus ad A. M. 3879. n. 6. ex S. Antonini Hiſtoriarum part. 1. tit. 4. c. 4. §. 13. quem S. Auguſtini autoritate niti aſſerit, refert, hoc tempore, ignem illum ſacrum, qui olim ex aqua craſſa, ſub Nehemia mirabiliter eductus, ac deinceps in altari holocautomatum, a Sacerdotibus jugi lignorum

appoſitione hactenus conſervatus fuerat, mirabiliter quoque, ob Jaſonis Simoniam, aliorumque ſcelerum deteſtationem, extinctum eſſe. De eo quoque conſtat, *Samaritas* tum, ſolita levitate, legem Moſis & religionem Judæorum, quibus ſecundis eorum rebus gloriabantur, averſatos, templum ſuum Græcorum Jovi dedicaſſe, & Antiocho, tanquam Deo illuſtri, miſiſſe literas.

At *Matathias*, e ſacerdotum gente, *Chaſſamonæi* pronepos, filiis & clientelis clariſſimus, cum ad ſacrificandum Græcorum numinibus vis ei fieret, tantum abfuit morem gereret, ut divino zelo percitus, Judæum quendam impiis ſe ſacris polluentem, ad ipſam aram mactaret. Vocatis deinde ad arma quibuscunque cordi erant leges & libertas avita, manum contraxit hominum non contemnendam. Cum his circumeundo montes, & loca tutiora, altaria profana diruit, infantes more patrio circumcidit, ſuperſtitionem popularium, quæ nonnullorum animos inſederat, ut ſabbathi quieti in perniciem ſuam indulgerent, eximit, teſtatus, etiam feriatis diebus, corpus & vitam cuique tueri fas eſſe. Vertente anno, confectus jam ſenio, Judam Maccabæum, filiorum fortiſſimum, ducem reliquis præficit, alterumque Simonem, ſapientia præſtantem, conſiliarium adjungit.

Neceſſe omnino eſt, ad intelligenda ea quæ porro dicentur, tabellam Matathiæ poſterorum, hoc loco prius ſpectandam exhibere.

Mata-

Johannes.	*Simon.*	*Judas.*	*Eleazer.*	*Jonathan.*
occiſus a filiis Amri. 1. Maccab. 9.	a Ptolomæo occiſus. 1. Macc. 16.	a Bacchide occiſus. 1. Macc. 9.	ab elephanto occiſus. 1. Macc. 6, 34.	a Tryphone occiſus. 1. Macc. 13.

Johannes Hircanus.

Ariſtobulus I.	*Antigonus I.*	*Alexander I. Jannæus.*
Primus ex Sacerdotibus Rex.		Poſt ejus obitum regnavit vidua Alexandra.

Hircanus,	*Ariſtobulus II.*
natura ſtupidior, Pontifex.	Mortua matre Hircano fratri regnum præripit: a Pompejanis veneno extinctus.

Alexander II.	*Antigonus II.*
Juſſu Scipionis capitis ſupplicium luit. Duxerat Alexandram Hircani Pontificis filiam.	Hircano aures amputat. Aſcitis in auxilium Parthis Hieroſolymas occupat. Juſſu Antonii ſecuri percutitur.

Mariamne.	*Ariſtobulus III.*
Herodis Conjux.	Pontifex. Juſſu Herodis in piſcina necatus.

Judas, paternæ æmulus virtutis, cum hoſtes juxta, & transfugas Judæorum, acerrime perſequeretur, *Antiochus Apollonium* adverſus eum miſit, exercitu inſtructum: verum is a Juda victus & occiſus eſt. Nec melior *Seronis*, Syriæ præſidis, fortuna fuit. His cladibus irritatus Antiochus, vires colligit, Syriæque *Lyſiam* præficit. A Lyſia, Duces tres, *Ptolemæus*, *Gorgias*, & *Nicanor*, cum 40. peditum, & 7. equitum millibus mittuntur, ut Judæos exſcindant, & e circumpoſitis populis novos agris colonos inducant. Judas, nihil territus tanto apparatu, cum trium millium manu, caſtra Gorgiæ aggreditur, eumque victum, tota exturbat Judæa. Lyſias, comperto infortunio, auget copias, ut 60. millium peditum, & 5. millium equitum numerum implerent. Sed Judas, tantæ multitudini cum 10. millibus ſe opponens, hoſtes in fugam vertit, 10. millia cædit, ac ingenti potitur præda.

Poſt hæc *Judas Templum Hieroſolymitanum*, quod toto triennio deſolatum jacuerat, repurgat, ſacra reſtaurat, *Encæniis* ſolemni ceremonia per octiduum celebratis. Ea res adeo accendit finitimarum nationum iras, ut quaſi fœdere contracto, ad delendum Hebræorum nomen pariter conſurgerent. *Idumæi* erant, *Sidonii*, *Ammonitæ*, *Arabes*, *Syri*. Sed tanto alacrior Judas, ſingulos, priusquam coire posſent, infeſtat. Idumæos acie fundit, caſtella & urbes expugnat. Inde partitus cum fratre copias, ipſe contra Ammonitas & Arabes, *Simon* adverſus Phœnices progrediuntur. Vbique res Hebræa ſuperior fuit, editæque ſtrages gentium. Interea loci *Antiochus* tyrannus, dignum ſcelerata vita exitium invenit. Cum enim in *Elimaide*, Perſarum urbe, Templum opulentiſſimum ſpoliare vellet, ab incolis cum igno-

ignominia repulſus eſt. Deinde in itinere verſus Babylonem, & irriti conatus pudore, & triſtibus de Judæorum victoriis nunciis afflictus, in ſumma animi & corporis ægritudine periit, vivus a vermibus eroſus; profeſſus inter dolores, mala illa ob ſævitiam in gentem innoxiam Judaicam, ſibi ex merito obvenire. Regnavit annos 12. ac filium impuberem reliquit, cui *Eupatoris* nomen a Lyſia Duce inditum.

Judæi, tyranni metu ſoluti, præſidium Græcorum in arce Sionia obſident. Ea res, *Eupatora* Regem, & *Lyſiam*, ad Judæam conjuncto exercitu centum millium peditum, ac 20. millium equitum, ad hæc elephantis 32. invadendam, permovit. Hærentibus in Hieroſolymæ obſidione, nuntiatur, *Philippum*, quem Epiphanes moriens filio tutorem deſignaverat, Antiochiam occupaſſe, & loco tutoris, pro Rege ſe gerere. Id majoris momenti, quam Hieroſolymæ expugnationem ratus Lyſias, Eupatori autor fuit, ut pacem Judæis concederet: cujus juſſu, etiam *Menelaus*, tanti concitor belli, in cineres conjectus, gravi ſupplicio periit. Ei in Sacerdotio ſucceſſit *Alcimus*, & ipſe ſceleſtus homo, ac bonis quibusque inimicus.

Eupator, nonniſi biennium rebus præfuit. Cum enim *Demetrius*, Seleuci Philopatoris, qui ante Epiphanem regnaverat, filius, obſes Romanis datus, regnum ſibi, quia majori eſſet Antiochi Magni filio genitus, debitum, comperiſſet a patruele interceptum, in Syriam clam venit, & Tripolin urbem maritimam arte occupavit. Mox deficientibus ad eum certatim Syris, Eupator & Lyſias a ſuis trucidantur; exercitus univerſus ad Demetrium ſigna transfert.

Apud hunc Demetrium, cum *Alcimus*, nomine potius, quam jure apud Hebræos Pontifex, Judam, &

ſocios ejus, tanquam rebelles, & publicæ calamitatis autores, vehementer criminatus eſſet, ad eos opprimendos, *Bacchides*, itemq; *Nicanor*, cum validis copiis mittuntur. Hi blanditiis primum, una cum Alcimo, non paucos ad ſe allectos, perfide obtruncant. Aperta vi agentibus, Judas ſe maſcule oppoſuit, cui egregia de Nicanore, & exercitu ejus, victoria, divinitus eſt conceſſa.. Nicanore cæſo, Judas, de *Romanorum* potentia & humanitate bene ſperans, Legatos ad eos miſit, illorum patrocinium ac opem ſolicitans, benignumque reſponſum, cum fœderis formula retulit. Nullus tamen ex hoc fœdere fructus ad Judæos tunc pervenit. Fortaſſe, quia Romani, Judæorum cauſa, quos ſciebant Syriæ Regibus longo jam tempore paruiſſe, bellum adverſus Demetrium ſuscipere injuſtum putabant.

Demetrius, cladem Nicanoris vindicaturus, iterum mittit cum Alcimo *Bacchidem*; exercitu 20000. peditum, & 2000. equitum inſtructum. His *Judas*, diffugientibus cæteris, cum 800. tantum obviam factus; poſtquam egregie pugnaverat, & dextrum cornu hoſtium in fugam conjecerat, tandem a ſiniſtro circumventus, occiditur. Cujus corpus a Jonatha atque Simone fratribus, juxta majorum ſepulchra in *Modin* conditum eſt. Lætus victoria *Alcimus*, haud multo poſt, cum porticum quandam templi, Haggæi Prophetæ ſuaſu a Zorobabele excitatam, diruere vellet, apoplexia extinctus eſt.

Circumſtantibus undique periculis, *Jonathan*, Judæ frater, a meliori parte Judæorum Dux conſtituitur, collectosque ſuos, ne in inſidias inciderent, *Thecoanum* in deſertum ſubducit. *Bacchides*, compertis latebris, bello eos ſtatuit perſequendos. Cum vero parum

pro-

proficeret, poſtquam oppida quædam munivit, & ex liberis primariorum Judæorum obſides accepit, ad *Demetrium* Regem revertitur. Sic pacata fuit regio, & Jonathan cum ſuis, conſcientiæ libertate contenti, integro biennio quieverunt. Occiſus inter hæc eſt *Johannes*, Jonathanis frater, a filiis Amri. Quam cædem paulo poſt Jonathan & Simon ulti fuerunt.

Poſt biennium, Apoſtatæ invidentes qualemcunque hanc quietem Jonathæ & ſociis, excitarunt iterum *Bacchidem*, facilem victoriam de incautis, & nihil mali metuentibus, pollicentes. Ergo cum exercitu Judæam Bacchides ingreſſus, obſidet oppidum *Beth-Beſen*, in quod Chaſſamonæi fratres ſe receperant. Horum autem virtute non exiguam cladem ille accepit, ita ut dedecore rei male geſtæ irritatus, ſuaſores expeditionis ſupplicio afficeret. Hinc pacem ei offert *Jonathas*, quam facile impetravit. Manſit vero Hieroſolyma, cum aliis urbibus ac munimentis in Regis poteſtate, & Jonathan in oppido *Michmas* domicilium conſtituit, ubi ſuis jura reddebat, eosque adverſus Apoſtatarum injurias tuebatur.

Hoc tempore *Onias*, Oniæ III. filius, cum nullam ſibi ſpem ad avitam dignitatem obtinendam reliquam putaret, in Ægyptum profugit, & a Ptolemæo Philometore honorifice ſusceptus, accepit eam urbem quæ *Heliopolis* vocabatur, &, concedente Rege, *Templum* exſtruxit Hieroſolymitano ſimile. Id permanſit usque ad imperium Veſpaſiani, annis 250. & ab autore *Onion* vocatum eſt, qui ſe Eſa. XIX. 19. vaticinium deſcriptum implere aſſerebat: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti.*

Res Romanorum.

Philippus, Macedoniæ Rex, a Romanis repreſſus magis quam victus, in apparatum novi belli incubuit. Qui cum filios haberet duos, *Perſeum* natu majorem, ac *Demetrium*; hunc quidem poſtremum, Romanis, apud quos obſes aliquot annos vixerat, longe gratiſſimum, orta inter ambos ſimultate, tam Romanorum amicitia, quam fratris calumniis ſuſpectum, morte affecit. Cum deinde fato functus eſſet, *Perſeus*, paterni in Romanos heres odii, bellum adverſus eos ſuſcepit, quod quarto anno, non tantum illius, ſed & totius Macedonici regni clade ac ſervitute finitum eſt. Romanorum Dux fuit Conſul *Æmilius Paulus*, a quo, poſtremo ad *Pydnam* Macedoniæ urbem prælio, Macedonum cæſa ſunt in acie ad 20. millia, capta undecim. Romanorum non plus centum cecidere. Multo prius gaudium victoriæ Populus Romanus, quam ex epiſtolis Victoris acceperat. Quippe, eodem die quo Perſeus victus eſt, Romæ *duo juvenes*, cum candidis equis, qui apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant, id nunciavere. Caſtorem & Pollucem fuiſſe creditum vulgo, quod gemini eſſent: interfuiſſe bello, quod ſanguine maderent: a Macedonia venire, quod adhuc anhelarent. Bello hoc feliciter confecto, triumphavit Romæ Æmilius, & Perſeum cum tribus filiis ante triumphum duxit. Quorum ſolemniorum lætitia, ne ſolida ei contingeret, duorum filiorum morte turbata eſt; quorum alterius funus præceſſit, alterius ſequebatur triumphum. Perſeus in carcere fœdiſſimo ſeptem dies habitus, Æmilio Senatus crudelitatem reprehendente, mitiorem nactus

eſt cuſtodiam, in qua, poſt biennii miſerias, a militibus cuſtodibus, quos irritaverat, ſomno prohibitus, vivere tandem deſiit. Hic finis fuit Macedonici regni, ac Macedonia in provinciam Populi Romani redacta eſt, quæ a *Carano* usque ad Perſeum XXX. Reges habuerat.

Belli Macedonici ac victoriæ Romanis acceſſio, fuit *Gentius* Illyriorum Rex, qui decem talentis a Perſeo emtus, partes ejus amplexus, Legatos Romanorum in vincula conjecit. Hunc Anicius Prætor, Scodra, metropoli capta, cum uxore, fratre, liberisque in triumpho duxit, bello intra 30. dies finito. Sic Illyricum quoq; provinciæ Romanæ formulam accepit.

Haud multo poſt, *Tertium Bellum Punicum* ortum eſt, cujus cauſa fuit, quod Carthaginienſes contra pactum claſſem haberent, extra fines exercitum duxerant, & Maſiniſſæ, ſocio atque amico Populi Romani, arma intuliſſent. Sed hæc in ſpeciem ita ſpargebantur, veram cauſam Vellejus revelat, *invidiam imperii.* *Porcius Cato*, & *Scipio Naſica*, diverſis in Senatu certabant ſententiis; ille, delendam, hic, ſervandam Carthaginem judicavit. Catoni iſti, a Cenſuræ dignitate, *Cenſorii* nomen inditum eſt. Ex Tuſculano municipio ortum traxit, indeq; perſuaſione atque amicitia *Val. Flacci* adductus, primus ex ea familia ſe Romam contulit, ubi propter ſingularem virtutem, honores omnes ſine repulſa adeptus eſt. Conſul cum Flacco creatus, citeriorem Hiſpaniam accepit, ubi rebus feliciter geſtis, urbium omnium muros, quæ intra Bætim erant, uno die ſolo æquare juſſit. *Quadragies accuſatus* cauſam dixit, & ſemper abſolutus fuit, ſcripſitque ſeptem libros,

quos

quos *Origines* dixit. Hujus ergo Catonis, circa Carthaginem durior in Senatu ſententia pervicit, ut Conſules quamprimum ad bellum proficiſcerentur. Priusquam autem exercitus Romani naves conſcenderunt, *Vticenſes*, miſſa legatione, ſe ſuaque omnia Romanis tradunt, quod pro bono omine a Romanis acceptum. Carthaginienſes vero territi, miſſa legatione, & ipſi ſe dediderunt, ſed non ita recepti ſunt. Ergo *L. Martius Cenſorinus*, & *M. Manilius* Conſules, in Africam proficiſcuntur. Ibi cum Carthaginienſes ſe dederent, trecentos obſides ipſis imperarunt, & ut arma atque naves omnes traderent. Quod cum feciſſent, arma & naves cremata ſunt, obſides Romam miſſi. Tum evocatis principibus mandatum, ut, ſi ſalvi eſſe vellent, migrare finibus, alioque loco, 10. millibus paſſuum a mari remoto, oppidum ſtruerent. Ea res ita movit animos patriæ amore accenſos, ut quanquam jam trecentos obſides & arma tradidiſſent, tamen ſi evertenda eſſet patria, eam hoſtium, quam ſuis manibus everſam mallent. Oppugnari igitur cœpta eſt Carrhago, a Martio & Manilio Coſſ. qui, in quartum usque annum ſic res geſſerunt, ut niſi induſtria Scipionis junioris periclitantibus ſuccurriſſet, operam luſiſſe viderentur. Fuit *Scipio*, Pauli Æmylii Macedonici filius, ab Africani filio valetudinario adoptatus, fautor Polybii & Terentii eximius. Qui, Conſul ante annos factus, urbem quam concuſſerat Avus, foſſa in circuitu facta, prorſus evertit. Quantus Carthaginienſium fuerit furor, vel hinc intelligi poteſt, quod in uſum novæ claſſis, tecta domosque reſciderunt; portum novum, quia vetus a Scipione obſtructus erat, fecerunt; ex auro & argento arma, deficiente

ciente ferro, fabricarunt; quodque matronæ crines ſuos in funes contulerunt. Per partes capta eſt urbs. *Mancinus* primum & ſequentem jam murum occuparat: *Byrſa* autem Arx, quaſi altera jam civitas reſiſtebat: & plus negotii cum ſemidiruta Carthagine, quam cum integra fuit. *Asdrubal* Dux, deploratis rebus, & caſtris captis, cum 40. millibus virorum ſe dederat, ſed uxor ejus, comprehenſis duobus liberis, à culmine domus ſe in incendium, quod domibus ac templis ſponte Carthaginienſes immiſerant, præcipitavit, Didonem imitata, quæ Carthaginem condidit. Vrbs continuos 17. dies arſit, cum poſt Didonem annis 737. floruiſſet.

Carthaginis ruinam ſtatim *Corinthus* excepit, Achajæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Jonium & Ægæum, quaſi ſpectaculo expoſitam. Hæc, ante oppreſſa eſt, quam in numerum certorum hoſtium referretur. Ob ſitus opportunitatem in tantam excreverat potentiam, ut ne Romæ quidem cederet. Cauſa belli, quod Corinthii Populi Rom. Legatos oratione violaverant, imo & ſordibus perfundere non dubitaverunt. Quare commoti Patres, cum etiam pridem, indies creſcentem urbis potentiam ſuſpectam haberent, bellum illi inferendum cenſuerunt. Miſſus itaque in Græciam *L. Mummius*, Corinthum obſidet, tandemque captam incendit, ſoloque æquat, adeo ut vix ullum tantæ urbis relinqueret veſtigium. Viri omnes trucidati, fœminæ & pueri venditi. Hoc incendio, confuſis metallis, inventa eſt mixtura æris pretioſiſſimi, quod ab hujus urbis nomine *Corinthium* fuit appellatum. Quippe incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere. Hic

finis

finis fuit libertatis Græciæ, cui tanquam provinciæ, deinceps *Prætor* Roma miſſus eſt, *Achajæ*, non Græciæ appellatus, quod inter Græcos Achæi principatum obtinerent. Mummius tam rudis fuit, ut cum præſtantiſſimorum artificum tabulas Romam portandas daret, vehentibus interminaretur, ſi eas perdidiſſent, novas illos reddituros. Deleta Corinthus eodem anno quo Carthago, poſt annos 952. quam ab *Halete Hippotis filio* fuerat condita.

Cum in *ludis Megalenſibus* principes urbis Romæ convivia agitare ſoliti eſſent, conceptis verbis apud Conſules *Valerium Meſſalam*, & *Fannium Strabonem* jurare coacti ſunt, non amplius in ſingulas cœnas ſumtus facturos eſſe, quam centenos vicenosq; æris, qui noſtræ monetæ circiter florenos duos conficiunt, præter olus & far; item, ne quid volucrum apponeretur, præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis. Agel. l. 2. c. 24.

Contemporanea Alia.

De *Antiocho Epiphane* ex Polybio adhuc amplius memorandum eſt, ipſum immenſos pecuniarum theſauros in comeſſationibus & ſympoſiis prodegiſſe. Solebat ludibundus, interdum & ebrius, grandiuſculos numorum ſaccos in viis publicis abjicere, ac dicere: Iſthæc accipiant ii, quos fortuna huic commodo jam pridem deſtinavit. Nonnunquam roſis coronatus, aureaque indutus chlamyde vagabatur, lapides ſinu geſtans, quibus obvios quosque impeteret. Lavari ſolebat in publicis balneis cum populo promiſcue, pretioſiſſimisque ungentis inungi: unde cum quidam e populo aliquando ei dixiſſet: Beatus es, o Rex, qui tam bene oles: Aſt ego, inquiebat, hac

in

in re continuo tibi ſatisfaciam: nec mora bicongium fragrantis unguenti, ſuper illius caput fundi juſſit, ex quo tam vehemens odor exortus eſt, ut plerosque a foro, & longinquis etiam urbis partibus excitatos, ad eum locum pelliceret; ibi vero unguenti craſſi lubricitate, plurimi in humum cadebant, ita ut ipſe Rex profuſiſſimo pæne enectus cachinno, corrueret. " Fertur in certaminibus quæ Antiochiæ celebravit, omnes qui aderant Græcos invitaſſe, atque odoratis unguentis ex aureis guttis delibutos convivio excepiſſe, in quo ipſe diſcumbentibus miniſtrabat, ac cum mimis & hiſtrioribus tam impudenter ſaltabat, ut omnes convivas, præ pudore, oculos a ſe avertere cogeret. Hunc Patres pro typo Antichriſti habuerunt.

Statius Cæcilius, Comicus Latinus vixit, cujus *Fragmenta* collegit Robertus Stephanus. Cicero ad Atticum vocat malum Latinitatis autorem. Horatius ipſum a gravitate commendat: *Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.*

Pacuvius, Ennii ſorore natus, avunculi veſtigiis inſiſtens; artem poëticam ſcenæ gloria fecit clariorem, ut Plinius ait l. 35. c. 4. Romæ *picturam* etiam exercuit, ac Tarentum transgreſſus, prope nonagenarius diem obiit ſupremum. Hujus quoque *Fragmenta Tragœdiarum*, Rob. Stephanus ſparſa in unum redegit.

Polybius, e Megalopoli, civitate Arcadiæ, oriundus, ac *Lycortæ* filius fuit. Scipionem Africanum, qui pleraque ejus conſilio agebat, in Africam ſecutus eſt. Scripſit *Hiſtoriam Romanam libris 38.* quibus *duos Iſagogicos* præmiſit. Ex his, quinque primi ſalvi & incolumes ad nos pervenerunt; ex cæteris

ſolum

ſolum Excerpta ſuperſunt, quæ jactura ſatis deplorari non poteſt.

Panætius, patria Rhodius, Philoſophus Stoicus, fuit Scipionis Africani præceptor, quem in Ægyptum comitatus eſt, *Lælii*, qui Sapientis cognomen meruit, Amicus. Magnum nomen retulit ſcriptis *de Officiis libris*, quos Cicero imitatus eſt, ſic enim ipſe l. 3. Offic. *Panætius igitur, qui ſine controverſia de officiis accuratiſſime diſputavit, quemq; nos, correctione quadam adhibita, potiſſimum ſecuti ſumus.*

Publius Terentius Afer, Carthagine natus, ſervivit Romæ *Terentio Lucano Senatori*, a quo, ob ingenium & formam, non inſtitutus modo liberaliter, ſed & mature manumiſſus eſt. Cum multis nobilibus familiariter vixit, & maxime cum Scipione Africano & C. Lælio. Superant ejus *Comœdiæ ſex*. De morte illius non convenit inter Scriptores. Q. Conſentius, redeuntem a Græcia in mari periiſſe dicit, cum 108. fabulis, converſis e Menandro. Cæteri mortuum eſſe in Arcadia tradunt, morbo implicitum acri, contracto ex dolore ac tædio amiſſarum fabularum, quas in navi præmiſerat.

Ariſtobulus, Judæus, in hæc tempora referendus, de quo ſic eſt apud Euſebium in Chronico: Ariſtobulus, natione Judæus, Peripateticus Philoſophus, cognoſcitur, qui ad Philometorem Ptolemæum *Commentarios Explanationum in Moſen* ſcripſit.

Ariſtarchus, Grammaticus Alexandrinus, e Samothracia oriundus, Ptolemæi Philometoris filium *Lathurum* erudiit. Suidas aſſeverat, ipſum *ultra octingentos libros Commentariorum* reliquiſſe. Apud Ælianum & alios legitur, eum tam caſtigato judicio fuiſſe, ut Homeri verſus non putaretur, quem ipſe

non

non probaret. Vnde invaluit, ut alienorum Scriptorum cenſores, *Ariſtarchi* vocentur. Deceſſit in Cypro, ſeipſum cibi abſtinentia necans, ob morbum hydropicum, ætatis anno 72. Filios genuit *Ariſtarchum* & *Ariſtagoram*, ambos ſtultos. Æmulum & adverſarium habuit *Cratetem Malloten*, Grammaticum Pergamenum.

MILLENARII IV.

SECVLVM IX.

PTOLEMÆVS EVERGETES II. qui & PHYSCON.

PTolemæus Evergetes II. Ptolemæi Epiphanis filius, & Philometoris frater fuit. Communiter & *Phyſcon* appellatur, quia tanta ſagina ventris laborabat, ut non homini, ſed belluæ ſimilis eſſet, nec ſine baculo incedere, nec quisquam eum amplecti ulnis poſſet: φύσκη enim Græcis majus inteſtinum eſt. Fœditatem corporis, nimia ſubtilitas pellucidæ veſtis augebat: prorſus quaſi data opera inſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo viro erant. Ipſe, *Evergetes* audire volebat, ſed quia vitiis & crudelitate erat contaminatiſſimus, ab Alexandrinis κακεργέτης appellabatur. Juvenis, cum Ariſtarchi diſcipulus eſſet, inter doctos numeratus, *Libros Commentariorum* ſcripſit, ab Athenæo non ſemel laudatos. Sub regiminis ingreſſum, ſtatim crudelitatis & libidinis ſpecimina edidit. Quippe fratris ſui defuncti, ex *Cleopatra* ſorore, filium, in ſinu ipſius matris, quam ſceleſto matrimonio ſibi jungebat, confodit, atque ita torum ſororis, cæde

filii ejus cruentus, aſcendit. Nec mitior in populares fuit, quos militum ſuorum ſævitiæ quotidie expoſuit, civitatesque exinanivit, quarum incolæ, aut occidebantur, aut metu mortis fugiebant. Sororem quæ ei nupſerat, repudiavit, & poſtea filiam ejus virginem, per vim ſtupratam, in matrimonium adſcivit. Ob tot & tanta flagitia, populo Ægyptio inviſus redditus, & incenſa regia ejus, in Cyprum fugatus eſt, Regnum vero Cleopatræ delatum fuit. Ipſe interim, arceſſitum maximum a Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra ſe Regem crearent, interficit; & ob poteſtatem ſorori conceſſam, quodque ſtatuæ & imagines ſuæ dejectæ erant, furens, novum crudelitatis facinus edit. Quippe filium quem ex ea ipſe genuerat, interfici, ac corpus in membra diviſum, & in ciſta compoſitum, matri, die natali ejus, inter epulas offerri curavit. Quæ res non Reginæ tantum, verum etiam univerſæ civitati, acerba & luctuoſa fuit: tantumque mœrorem feſtiviſſimo convivio intulit, ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Verſo igitur ſtudio Principum ab epulis in exſequias, membra lacera populo oſtendunt; &, quid ſperare de Rege ſuo debeant, filii cæde demonſtrant. Ille tamen reconciliatus poſtea Sorori, ex Cypro in Ægyptum reverſus, regnum usque ad mortem adminiſtravit. Moriens, Regnum Vxori & Filio, quem ipſa elegiſſet, (duos enim habuit,) reliquit, ut etiam poſt mortem, Alexandrinos, calamitatibus ex filiorum diſſidiis orituris, involveret. Regnavit annos 29.

Res Jvdæorvm.

Cum *Alexander Veles*, aut *Bala*, qui ſe Antiochi Epi-

Epiphanis filium ferebat, contra *Demetrium* Seleuci Philopatoris filium, cæſo *Antiocho Eupatore* in Aſia regnantem, arma cepiſſet, ejus belli metu, *Demetrius*, ut Judæorum gentem ſibi obnoxiam redderet, obſides Jonathæ reddere juſſit, & copias colligendi poteſtatem fecit. Ingreſſus itaque Hieroſolymam Jonathas Vrbem & Templum denuo communivit. Sed & Alexandro aures præbuit, qui eum a Demetrii ſocietate avocaturus, honorificas conditiones offerebat. Miſit enim ei purpuram & coronam, amicumque, & Summum Sacerdotem appellavit. Nec dimoveri ſe paſſus eſt Jonathas a fide & clientela iſtius Alexandri, magnis Demetrii pollicitis; utili, ceu eventus docuit, conſilio. Quippe Demetrius ille, qui vulgo a ſuis *Soter* vocabatur, haud multo poſt magno prælio ab Alexandro victus, occubuit.

Manſit deinde *Jonathæ* honor & gratia, apud *Alexandrum* Regem: atque in *nuptiis* quoque ejus, cum filia Ptolemæi Philometoris Ptolemaide celebratis, benigne ab utroque Rege habitus eſt. Deinde vero cum *Demetrius*, Demetrii filius, *Nicanor* dictus, exercitum Duce *Apollonio* in Syriam mitteret, & Jonathas eum ingenti clade affeciſſet, urbesque *Joppen*, *Azotum*, & *Aſcalonem* expugnaſſet, Alexander ei cingulum aureum miſit, & *Accarone* urbe inſuper illum donavit.

Poſt hæc *Alexander* ille, inſidiis potiſſimum ſoceri ſui, *Ptolemæi Philometoris*, ſubverſus eſt, qui, mutata voluntate, in *Demetrii* partes tranſiit, eique filiam, Alexandro ablatam, uxorem tradidit. Eo tamen ipſo tempore, ex vulneribus in pugna cum Alexandro acceptis, interiit, illumque Ptolemæus Phyſcon, ceu dictum eſt, excepit.

Inter has Regnorum mutationes, *Jonathas* propoſitum cepit, arcis Hieroſolymæ expugnandæ. Sed deſiſtendum ei fuit, & ad *Demetrium*, ea re maxime offenſum, eundum. Quem tamen muneribus placavit, & promiſſo 300. talentorum tributo, Pontificatus confirmationem, aliaque in Sacerdotum, & gentis Judaicæ gratiam impetravit.

Novæ dehinc turbæ excitatæ ſunt a *Diodoto*, ſive *Tryphone*; uno ex Alexandri Ducibus. Is enim tractis ad ſe, quos Demetrius dimiſerat, militibus mercenariis, Alexandri filium *Antiochum*, admodum puerum, in Syriæ regnum ſe reducturum eſſe jactabat. Adverſus illum, & Antiochiæ cives tumultuantes, Demetrio primum adfuit *Jonathas*, ſed cum ingratum erga ſe & Judæos Regis animum experiretur, ad Tryphonis partes ſe applicuit; priſtinæ dignitatis non tantum confirmationem, ſed & acceſſionem quandam haud difficulter adeptus.

Hactenus ergo bona fide *pupilli Antiochi* tutelam amplectebatur *Jonathas*, ſed aliud Tryphoni propoſitum erat, id nimirum, ut ipſum ſe Syriæ Regem conſtitueret. Ergo corruptis medicis, ut Antiochum calculi dolore conſumi ad populum mentirentur, dum ſecandum curat, perimit. Cum vero ſuis conatibus non alium magis quam Jonathanem, pro pietate & fide illius, adverſaturum metueret, blandis verbis ad ſe pellectum, primum in vincula conjecit; deinde ipſum, fruſtra intercedente *Simone* fratre, cui præterea perfidus ille 100. talenta, & filios duos, tanquam obſides parentis futuros, extorſit, una cum filiis tollit e medio.

Jonathæ, a Judæis in principatu & ſacerdotio ſucceſſor datus eſt *Simon*, ſolus e Matathiæ filiis ſuperſtes,

perſtes, & in omnibus fratrum expeditionibus ſpectatæ prudentiæ ac fortitudinis. Is, Tryphonis ſcelera averſatus, cum *Demetrio* reconciliationem quæſivit, neque eam tantum, ſed & Judæis libertatem conſequitur. Cogit igitur deinde *arcis Sioniæ* præſidiarios fame ad deditionem, *Gazam* expugnat, Johannem filium Ducem exercitus conſtituit, tantasq; Judæis colligit vires, ut poſt Demetrium, nullum deinceps Syriæ Regem tulerint, ac tributum annuum quod pendere iis Regibus ſolebant, ceſſaverit. Porro *collem Sionium*, aſſiduo populi labore in tantum humiliavit, ut ſolum Templum, omnibus in Vrbe locis longe præemineret. Ob tanta merita, Judæi *novam annorum Epocham*, ab inito Simonis magiſtratu, inchoarunt; ejusque legationes, non Spartani tantum, ſed & præcipue Romani, honorifice exceperunt, ac libertatem Judæorum ſibi curæ fore, teſtati ſunt tabulis publicis.

Interea temporis *Demetrius* ille *Nicanor* a Parthis capitur, & *Tryphon* Regem ſe appellari jubet. Ejus tyrannidem ut evitaret *Cleopatra*, Demetrii uxor, fratri hujus, *Antiocho Sedeti*, vel *Sideti*, a *Sida*, Pamphiliæ urbe, ſic dicto, qui hactenus incertis ſedibus vagatus erat, Regnum & matrimonium offert. Is, ut ſubſidia ſibi pararet, Judæorum amicitiam ambit, & promiſſis benignis, inter quæ & jus cudendæ monetæ memoratur, obtinet. Ab eo victus, & ſuperiori pulſus Syria Tryphon, caſtello *Dora* includitur: cumque inde *Apameam* profugiſſet, occiditur, triennium Syriæ dominatus.

Dehinc *Antiochus*, immemor ſocietatis cum Simone initæ, & auxiliorum, quibus in profligando æmulo adjutus erat, Judæam, per *Cendebeum* Ducem

ſubigere conatus eſt, ſed fruſtra. Simon enim miſſis cum *Johanne* filio 20. armatorum millibus, acie eum devicit, & retrocedere compulit. Cumque armis invictus eſſet Simon, denique dolo generi ſui *Ptolemæi*, Hierichuntinæ regionis præfecti, inter hoſpitales epulas, cum filiis duobus, *Matathia* & *Juda*, nefando parricidio trucidatus eſt. Evitavit has inſidias *Johannes*, ſuo & Reipublicæ bono tunc abſens. Hic autem parenti, in utraque dignitate, Principatus nempe & Sacerdotii, ſucceſſit: cujus, & poſterorum geſta, deficiente jam etiam Apocryphorum inter ſacros libros hiſtoria, deinceps ex Joſepho petenda.

Antiochus Sedetes, qui & a conſervata Syria *Soter* dictus, memor accepti a Simone ejusque filio incommodi, vaſtata regione Judæa, Hieroſolymam ipſam obſidione cingit; & vacantibus per ſeptimi anni religionem, agris, ad intolerandam famem urbem adigit. Incolæ, nec in afflictis rebus cultum Dei deſerunt, & quia feſtum Scenopegias ſive Tabernaculorum, inciderat, ad Antiochum mittunt, petitum ſeptem dierum inducias, ut ſacris patriis operari poſſent. Rex non petita modo indulſit, ſed ipſe ad Dei Judæorum cultum converſus, boves auratis cornibus, magnamque thuris & odorum vim deduci ad portas juſſit, ac ſacerdotibus tradita, immolari. *Johannes*, motus inopinata benignitate, pacem petit, prolatisque e *monumento Davidis* tribus talentorum millibus, quingentis Antiochum placat, reliquis externum conducit militem, & comes Regi in expeditionem Parthicam profectus, a victis Hircanis, *Hircani* nomen obtinuit.

Cæſo a Parthis, poſt aliquot annos, *Antiocho*, & dimiſſo ad regnum Syriæ turbandum, e captivi-

tate

tate *Demetrio*, Antiochi fratre, *Hircanus* renovato cum Romanis fœdere, antiquatisque Antiochi Sedetis actis, pleniſſimam populo reſtituit libertatem. *Idumæam* quoque ſubigit, & ad accipiendam circumciſionem, ni patria malint excedere, omnes Idumæos compellit. *Samaritanorum templum*, contra Judæorum legem, in monte Garizim ante annos 200. a Saneballato conditum deſtruit; *Samariam*, poſt diuturnam obſidionem, &, inducto in aream urbis deſtructæ torrente, funditus delet. Moritur deinde, cum Palæſtinæ annos 31. præfuiſſet.

Judæi forinſecus ſecuri, inteſtinis *Sectis* diſſidere cœperunt, ac Phariſæi, Saducæi, & Eſſeni prodierunt. *Phariſæi*, quaſi dicas *Separati*, ſic appellati ſunt, quia non modo victu vitæque inſtituto, a reliquo vulgo ſecreti erant, ſed etiam veſte, & corporis cultu. Jejunabant ſecundo & quinto die hebdomadis, eo quod Moſes die Jovis in montem aſcendens, die Lunæ inde redierat: a vini potione, & rei cujusq; vitam habentis eſu, etiam extra jejunium, plurimum abſtinebant. Et, quia plus laborabant boni videri, quam eſſe, multi illorum aſſeribus, quibus lapilli inſtrati, incubabant, renes funibus præcingebant, & ſe ipſos caſtrabant: filamentis quoq; legalibus productis, ſpinas innectebant. Credebant μετεμψύχωσιν, & Aſtrologiæ judiciariæ impenſe erant dediti. Contemnebant vulgus, ita ut una cum plebejis hominibus, ne quidem cibum caperent. Traditionum παραδόσεων acerrimi erant vindices. Illotis manibus edere, atrox crimen reputabant, & adeo quoties e foro redibant, totum corpus abluebant: decimis quoque ſolvendis rigidam adhibebant ſcrupuloſitatem. Tanta autem illorum erat autoritas, ut ultimis Judæorum Regibus

bus formidoloſi evaderent, qui ſæpe illorum miniſterio uti coacti ſunt.

Phariſæorum acerrimos hoſtes profitebantur *Saducæi.* Ii ab autore *Sadoco*, Antigoni Sochæi diſcipulo, ſic dicti ſunt: qui, non intellecta mente Magiſtri, pia ejus verba, non eſſe Deo ſerviendum præmii cauſa, pervertit, & inde exſculpſit, nullum homines poſt hanc vitam manere præmium aut pœnam. Cæterum Saducæi, rejectis Phariſæorum traditionibus, ſolam Scripturam admittebant, & ne hanc quidem totam, ſoli fere Pentateucho divinam autoritatem tribuentes. Actorum XXIII. 8. legitur, *Sadducæos dixiſſe non eſſe reſurrectionem, neq; angelum, neq; ſpiritum:* ubi, per *ſpiritum*, intelligendus fortaſſe divinus ille afflatus, quo, Prophetas a Deo impulſos recte credebant Phariſæi, ut ſic Saducæi nullam ἀποκάλυψιν divinam crediderint, niſi per vocem, quomodo Lex erat tradita. Quia vero mirari quis poſſet, quomodo Angelos eſſe inficiati fuerint, cum Moſis ſcripta, in quibus toties Angelorum fit mentio, receperint, ſciendum, ſenſiſſe illos, quod Judæorum nonnullos ſua quoque ætate opinatos eſſe Juſtinus Martyr affirmat, eſſe nimirum Angelos vim quandam eſſentiæ Divinæ, quam illa, quoties libitum eſt, emittat, ac deinde ad ſe rurſus revocet.

Eſſeni, ſive *Eſſæi*, qui & *Chaſidæi*, communia habebant bona: Sabbathum tam religioſe colebant, ut ne loco quidem ſe moverent, aut naturæ neceſſitatibus ſatisfacerent: cælibatum maximi faciebant; qui vero conjugium inibant, ſponſæ ſanitatem prius per triennium explorare ſolebant. Vtebantur veſtitu candido, a jurejurando abſtinebant, & peculiari cultu Angelos proſequebantur. Horum nulla in Novo Teſtamento

mento mentio ; tum quia pauci admodum erant ; tum quia tranquilli & quieti, non ita moleſti erant Chriſto & Apoſtolis, ut Phariſæi & Saducæi.

Res Romanorvm.

Viriatus, Luſitanus, de paſtore venator, de venatore latro, de latrone Dux juſti exercitus factus, primum vaſtando provincias, deinde exercitus Romanorum vincendo, maximo eis fuit terrori. Siquidem Iberum & Tagum, maxima, & diverſiſſimorum locorum flumina, late transgredienti & pervaganti, *C. Vetilius Prætor* occurrit, qui, cæſo ad internecionem exercitu ſuo, vix ipſe cum paucis elapſus, fuga evaſit. Eadem *Plautii*, *Claudiiq;* fortuna fuit. Viriatus trabeas, faſces, cæteraque inſignia Romana, in montibus, caſtris ſuis trophæa præfixit. Cum ſic per 14. annos, Romanos Duces atque exercitus profligaſſet, denique fraude magis, quam virtute; *Servilii Cæpionis* interiit. Cum hic enim aliter ipſum vincere non poſſet, duos ſatellites pecunia corrupit, qui Viriatum vino ſopitum peremerunt.

Sub hæc tempora, rigidæ ſeveritatis exemplum a *T. Manlio Torquato* editum. Cum enim Macedonum Legati conqueſtum veniſſent de *Julio Syllano Prætore*, quod acceptis pecuniis ſpoliaſſet provinciam, & Senatus de querelis illorum vellet cognoſcere, Manlius, Syllani pater, petiit, impetravitque, ut ſibi hæc mandaretur cognitio. Ergo domi cauſa diſcuſſa, filium condemnavit, ac ne funeri quidem ejus, cum ſuſpendio vitam finiiſſet, interfuit, ſedensq; domi, poteſtatem conſulentibus ex inſtituto fecit.

Numantia, Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Durium fluvium, in modice edito tumulo ſita civitas, debel-

lari immerito cœpta, quod conſanguineos & ſocios ſuos, Romanorum manibus elapſos, recepiſſet. Ea quatuor millibus Celtiberorum, 40. millium exercitum Romanorum, per annos 14. ſola ſuſtinuit; nec ſuſtinuit modo, ſed & perculit, cladibusque affecit. Sæpe æquas pacis conditiones ſibi poſtulabat, ſed Romanis decretum erat ut perderetur. Ob inclementiam hanc juſte luit *Mancinus*, quem Numantini aſſiduis damnis ita afflixerunt, ut caſtris exutus, cum ſpes nulla ſervandi exercitus eſſet, fœdum fœdus pangeret. Id ratum eſſe Senatus vetuit. Mancinus nudato corpore, manibus poſt tergum revinctis, ante portas Numantinorum eſt expoſitus. Ibi usque in noctem manens, a ſuis deſertus, ab hoſtibus autem non ſusceptus, lacrymabile utrisque ſpectaculum præbuit. Sic igitur opus fuit eo, qui Carthaginem everterat, *Scipione*. Hic exercitu ad ſeveriſſimam diſciplinam revocato, ejectis caſtris multis ſcortorum & calonum millibus, Numantinos acie ſuperavit. Nunquam alias magis cognitum fuit, tanti eſſe exercitum, quanti Imperatorem. Tum dedere ſe volebant Numantini, ſi toleranda viris imperarentur. Sed cum Scipio veram vellet, & ſine exceptione, victoriam, neceſſitate compulſi, cum ſe prius carnis ſemicrudæ, & celiæ, (ſic indigenam ex frumento potionem illi vocabant,) epulis, quaſi inferiis impleviſſent, deſtinata morte in prælium ruunt. Intellectum a Scipione conſilium: itaque non eſt permiſſa pugna morituris. Cum foſſa, atque lorica, quatuorque caſtris circumdatos, fames premeret, a Scipione orantes prælium, ut tanquam viros occideret, ubi non impetrabant, placuit eruptio, & conſerta manu plurimi occiſi, e quorum cadaveribus cæteri

cæteri aliquantisper vixere. Noviſſime conſilium fugæ ſedit: ſed hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores ademere. Itaque in ultimam rabiem converſi, poſtremo Duces ſuos, ſeque, patriamque, ferro & veneno, ſubjectoque undique igne peremerunt. Sic extincta civitas, nullum de ſe gaudium hoſti reliquit. Namq; ne unus quidem Numantinus ſuperfuit, qui in catenis duceretur. Præda, ut de pauperibus, nulla: arma, ipſi cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine.

In Sicilia *Bellum Servile* exortum. Ea provincia, quia frugum ferax, & latifundiis civium Romanorum tenebatur, hinc in ea frequentia erant ergaſtula, multique catenati cultores; atque iſti materiam bello præbuere. Syrus quidam, nomine *Eunus*, fanatico furore ſimulato, ad libertatem & arma ſervos, quaſi Numinum imperio concitavit; idq; ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure, & igne ſtipaverat, leniter inſpirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum, primum duo millia ex obviis contraxit; mox, refractis ergaſtulis, ſexaginta amplius millium fecit exercitum: atque ſic Eunus, regiis decoratus inſignibus, caſtella, oppida, vicos, miſerabili direptione vaſtabat. Sola *Meſſana*, ſervos liberaliter habitos in pace continere potuit. Profligatis Romanorum Prætoribus, tandem *Perperna* Imperatore ſupplicium de eis ſumtum eſt. Hic enim victos, & apud *Ennam* urbem, quæ in Inſulæ umbilico ſuper monte ſita eſt, obſeſſos, cum fame conſumpſiſſet, reliquias latronum compedibus & catenis religavit, crucibusque punivit; fuitque de ſervis *Ovatione* contentus, ne dignitatem triumphi, ſervili inſcriptione violaret. *Eunus*, e ſpeluncis pro-

tractus,

tractus, reſoluto in carcere in vermium exuberantiam corpore periit.

Vix dum reſpiraverat Inſula, & ſtatim Servile Bellum ab *Athenione* paſtore, inſtauratum eſt. Is, interſecto domino, familiam ergaſtulo liberatam ſub ſignis ordinat. Ipſe veſte purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem, quam ille fanaticus prior, conflat exercitum, acriusque multo, quaſi & illum vindicaret, vicos, caſtella, oppida diripiens, non tantum in dominos, ſed & in ſervos, quaſi transfugas, infeſtius ſæviebat. Ab hoc quoque Prætorii exercitus cæſi, capta *Servilii* caſtra, capta *Luculli*. Sed *Aquilius*, Perpernæ uſus exemplo, interclusum hoſtem commeatus penuria ad extrema compulit; dediſſentque ſe, niſi ſuppliciorum metu, voluntariam mortem prætuliſſent. Ac ne de Duce quidem ſupplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. Quippe dum circa deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata eſt.

Per ea tempora, florentiſſimus in Aſia Pergamenorum Rex, *Attalus Philometor*, ab *Eumene* patruo acceptum Regnum, cædibus amicorum, & cognatorum ſuppliciis fœdabat, nunc matrem anum, nunc *Beronicen* ſponſam, maleficiis eorum necatas confingens. Poſt hanc ſceleſtam violentiæ rabiem, ſqualidam veſtem ſumit, barbam capillumque in modum reorum ſummittit: non in publicum prodire, non populo ſe oſtendere, non domi lætiora convivia inire, aut aliquod ſignum ſani hominis habere, prorſus ut pœnas pendere Manibus interfectorum videretur. Omiſſa deinde regni adminiſtratione, hortos fodiebat, gramina ſeminabat, & noxia inno-

xiis

xiis permiſcebat, eaque omnia veneni ſucco infecta, velut peculiare munus amicis mittebat. Ab hoc ſtudio, ærariæ artis fabricæ ſe tradit, cerisque fingendis, & ære fundendo procudendoque oblectabatur. Matri deinde ſepulchrum facere inſtituit: cui operi intentus, morbum ex Solis fervore contraxit, & ſeptima die deceſſit, in teſtamento ſcriptum relinquens: *Populus Romanus bonorum meorum heres eſto.* Id, Populus Romanus, larga quadam & liberali interpretatione, ad ipſum Regnum extendens, illud, inuſitato hactenus, & incognito jure teſtamenti, ſibi vindicabat. Vix autem eſt, ut niſi Regnum plane ſit in dominio, talis alienatio ſine conſenſu populi fieri queat. Vnde cum Horatius l. 2. Od. 18. dixiſſet:

> --- *neq; Attali*
> *Ignotus heres regiam occupavi:*

notaſſe Poëtam, Romanos non jure factos heredes Attali, vetus Scholiaſtes obſervat.

Erat ex Eumene *Ariſtonicus*, non juſto matrimonio, ſed ex pellice Epheſia, citthariſtæ cujusdam filia, genitus, qui poſt mortem Attali, velut paternum regnum, Aſiam invaſit. Cum multa ſecunda prælia adverſus civitates, quæ, metu Romanorum, tradere ſe ei nolebant, feciſſet, juſtusque jam Rex videretur, Aſia *Licinio Craſſo Cos.* decernitur: qui, intentior Attalicæ prædæ, quam bello, cum extremo anni tempore, inordinata acie, prælium conſeruiſſet, victus, captusque, inconſultæ avaritiæ pœnas dedit. Memor tamen & familiæ, & Romani nominis, cuſtodem ſui barbarum, virgula excæcat, & in exitium ſui, quod volebat, ira concitat. In Craſſi locum miſſus

miſſus *Perpenna* Conſul, prima congreſſione Ariſtonicum ſuperatum in poteſtatem ſuam redegit, Attalicasque gazas, navibus impoſitas, Romam deportavit. Reliquias belli *Aquilius* confecit, mixtis veneno fontibus, ad deditionem quarundam urbium. Quæ res, quod Florius l. 2. c. 20. ait, ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe, cum contra fas Deûm, moresque majorum, in id tempus ſacroſancta Romana arma violaſſet. Sic Aſia Romanorum facta, cum opibus ſuis, vitia quoque Romam transmiſit.

Tiberius Gracchus, Tribunus plebis, iratus Nobilitati, quod inter autores Numantini fœderis notatus eſſet, agros a privatis hactenus poſſeſſos, populo dividendos, &, ſicubi agri non ſufficerent, addendam Regis Attali pecuniam ſtatuit. His de cauſis, Senatum ira, populum ſuperbia invaſit. *C. Antonius Conſul*, in Senatu, & pro roſtris, in Gracchum concionatus eſt. Gracchus, continuare cupiens Magiſtratum, autore *P. Scipione Naſica*, Æmiliani patruo, fragmine ſubſellii ictus, vitam morte finivit. Ducenti præterea in ea ſeditione interfecti, illorumq; corpora in Tiberim projecta. Ipſius Gracchi inhumatum cadaver extabuit. Poſt hoc tempus Romæ jus vi obrutum, quique potentior erat, prior habebatur. Diſcordiæ civium, antea conditionibus ſanari ſolitæ, ferro dijudicari cœptæ: bellaque non cauſis inita, ſed prout eorum merces fuit. *Naſica*, ut invidiæ ſubtraheretur, per ſpeciem legationis, in Aſiam dimiſſus eſt.

Paucis annis interjectis, *C. Gracchus*, Tiberii frater, invito Senatu Tribunus plebis creatus, ipſo fratre acriora & turbulentiora conſilia agitat. Quippe dividebat

videbat

videbat agros ex ſententia: vetabat quenquam civem plus quingentis jugeribus habere : nova conſtituebat portoria : colonis novis replebat provincias : judicia a Senatu transferebat ad Equites : frumentum quod magna copia ex Africa & Sicilia advehebatur, plebi ſemiſſe & triente dabat : alterum continuabat Tribunatum, ac Coloniam in ſolo dirutæ Carthaginis ipſe ducebat. Reverſus cum *Fulvio Flacco*, Capitolium, ubi *L. Opimius* Conſul concilium plebis habebat, aſcendit. Excitato tumultu, quidam præco a Gracchianis interfectus; velut ſignum belli fuit. *Opimius* extorto SCto, quo ei mandabatur, videret, ne quid Respub. detrimenti caperet, vocato ad arma populo, *Flaccum* in Aventino, armatos ad pugnam cientem, cum majore filio jugulavit. Gracchus profugiens, amicis pro eo pugnantibus, & pereuntibus, cervicem ſervo ſuo præbuit. Opimius capiti ejus pretium ſtatuit, quod & allatum eſt: corpus ad *Corneliam* matrem, Africani majoris filiam, devectum. Bonis Gracchi publicatis, amici ejus clientesque, quater mille amplius, ac plurimi ne dicta quidem cauſa, periere. *Opimius* poſt, cum ſe corrumpi pecunia a *Jugurtha* paſſus eſſet, in perpetua ignominia vixit.

L. Opimio Conſule, ex commoda cœli temperie, bonitas *vini* tanta fuit, ut id ad ducentos annos Romæ conſervatum ſit, *Opimianum* appellatum.

Bituitus, Allobrogum Rex, cum hominum centum & octoginta millium exercitum contraxiſſet, pugnaturus cum *Fabio Proconſule*, qui paucos milites habebat, dixit, exercitum Romanum vix ad eſcam canibus ſuis ſufficere. Sed conſerta pugna vincitur, & ad centum & quinquaginta millia hominum amittit.

tit. Qua clade accepta, Romam proficiſcitur, ad ſatisfaciendum Senatui, ſed in Galliam haud fuit remiſſus, decretumque, ut & filius ejus *Cangentianus* comprehenderetur, qui, cum patre, Albam in cuſtodiam datus eſt.

CONTEMPORANEA ALIA.

Ætna, mons in Sicilia, vaſto tremore concuſſus, igneos globos tanta vi ejecit, ut vicinum mare efferveſceret, aduſtas rupes molliret, tabulata navium liquefactis ceris diſſolveret, & exanimatos piſces ſupernatantes coqueret. Magna hominum multitudo ſuffocata eſt.

Locuſtarum immenſa multitudo in Africa exorta, quæ omnes fruges perdidit, ita ut & cortices arborum, & arida ligna eroderent. Eas repentinus ventus in unum tandem coëgit, & mari immerſit; ſed litoribus appulſæ, putredine aërem corruperunt, unde peſtilentia oborta, qua in ſola *Numidia*, octingenta millia hominum, & triginta millia Romanorum militum periiſſe dicuntur.

Accius (pro quo alii *Attius* ſcribunt,) Tragicus poëta, complures ſcripſit *Fabulas*, quarum nomina tantum, & fragmenta pauca ſuperant. Ciceroni ad Atticum, & Licinio, *ſcriptor ferreus* appellatur: quod vitium, Quintilianus in tempus quo vixit rejicit. Decius Junius Brutus tanti eum fecit, ut illius verſibus, & templa, & monumenta ornaret.

Lucilius, Eques Romanus, patria Auruncanus, in bello Numantino ſub Scipione miles meruit. Primus Latinorum *Satyras* ſcribere aggreſſus eſt. Horatius vocat lutulentum & incompoſitum. Quintilianus contra eum commendat, aitque illi ineſſe eruditio-

ditionem miram, libertatemque & acerbitatem, & abunde ſalis. *Fragmenta* ex 30. ejus Satyrarum libris collegit notisque illuſtravit Franciſcus Douſa, Jani filius.

PTOLEMÆVS LATHVRVS.

Ptolemæum Phyſconem moriturum, Regnum Ægypti Cleopatræ uxori, & alteri ex duobus filiis, quem illa legiſſet, reliquiſſe, jam ſupra indicatum eſt. Erat ipſa in minorem filium *Alexandrum* pronior, ſed a populo coacta fuit majorem eligere, cui, quod pulſus a matre, clanculum recepiſſet regnum, *Lathuri* cognomen datum fuit. Huic priusquam regnum daret Cleopatra, uxorem cariſſimam, eandemq; ſororem, & ipſam *Cleopatram* dictam, ademit, vimque fecit, ut minorem *Selenem* duceret: haud materno inter filias judicio, cum alteri eriperet maritum, alteri daret. Sed Cleopatra, non tam a viro repudiata, quam a matre per divortium ab illo ſeparata, *Antiocho Cyziceno* in Syria nubit; eique ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri ſolicitatum, velut dotalem, in manus tradit. Par igitur *Grypi* fratris viribus, cum quo bellum gerebat Cyzicenus, prælium committit, victusque fugit Antiochiam. Obſidebat urbem Grypus, eaque potitus, *Cleopatram*, quippe uxoris ſuæ *Tryphænæ* ſororem, omni induſtria & deprecatione apud Conjugem, conſervare ſtudet. Sed quanto benignior Grypus erat, tanto magis ſoror Tryphæna in ſororem exardeſcit, rata maritum non miſericordia, ſed amore correptum, illius patrocinium ſuſcipere. Itaque vocatis militibus mittit, qui Cleopatram, in templo quo ſe receperat, confoderent. Milites, ut in templum

intraverunt, cum evellere eam non poſſent, manus, Deæ ſimulacrum amplexantis, præciderunt. Tunc Cleopatra patricidas execrata, violatis Numinibus ultionem ſui mandans, decedit. Nec multo poſt repetita prælii congreſſione, victor Cyzicenus, uxorem Grypi Tryphænam, quæ paulo ante ſororem interfecerat, capit, ejusque ſupplicio, uxoris manibus parentat.

At in Ægypto *Cleopatra*, populum adverſus *Ptolemæum Lathurum* filium concitat, abductaque ei *Selene* uxore, e qua duos jam filios ſuſceperat, ipſum exulare cogit, arceſſito minore Ptolemæo Alexandro.

Sic igitur

PTOLEMÆVS ALEXANDER

Rex conſtitutus eſt. Interim *Cleopatra*, non contenta filium regno expuliſſe, ipſum Cypri exulantem bello perſequitur. Quem, cum inde pepuliſſet, proprii exercitus Ducem interficit, quod vivum é manibus dimiſerat: quanquam Ptolemæus verecundia materni belli, non viribus minor, ab Inſula receſſiſſet. Igitur Alexander, territus hac matris crudelitate, & ipſe eam reliquit, periculoſo regno, ſecuram ac tutam vitam anteponens. Cleopatra vero timens, ne major filius Lathurus, a Cyziceno ad recuperandam Ægyptum copiis juvaretur, ingentia *Grypo* auxilia, & *Selenem* uxorem, nupturam hoſti prioris mariti, mittit, *Alexandrumq;* filium, per legatos in regnum revocat. Cui, cum poſt adventum, occultis inſidiis exitium machinaretur, prior occupata, ab eodem interficitur, ſpiritumque non fato, ſed parricidio dedit. Digna, Juſtino (cujus verbis

in

in hac hiſtoria deſcribenda potiſſimum uſi ſumus,) judice, prorſus erat hac mortis infamia, quæ etiam matrem thoro expulit; & duas filias, alterno fratrum matrimonio viduas fecit; & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri, erepto regno, exitium per inſidias machinata eſt.

Enim vero, nec tamen Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam ubi primum compertum eſt, ſcelere filii matrem interfectam, concurſu populi in exilium agitur, revocatoque

PTOLEMÆO LATHVRO

regnum redditur, quod deinde pacatum & quietum poſſedit. Cumque 36. annos in eo exegiſſet, connumeratis videlicet etiam iis, quos in auxilio contriverat, diem obiit ſupremum.

Poſt illius obitum ALEXANDER, Ptolemæi Alexandri filius, regnum arripuit, quem, propter exercitæ poteſtatis brevitatem, (decimo nono enim die, ab Alexandrinis, cum inſolenter imperantem, diutius ferre non poſſent, interemtus eſt) vix quisquam Ægyptiorum Regum catalogo inſeruit.

Res Jvdæorvm.

Johannes Hircanus moriens, filios quinque reliquit. Ex iis natu maximus *Ariſtobulus* ſucceſſit. Qui, non contentus Pontificis ac Ethnarchæ elogiis, Regium nomen & diadema, primus poſt Zedekiam, ſumſit. Novum hoc Regnum, mox ſanguine dedicatum eſt. Matrem enim fame necavit Ariſtobulus, tres fratres in vinculis tenuit, *Antiogonum*, quem ætate proximum regni conſortem fecerat, per ſicarios ſuſtulit. Extinctus eſt Ariſtobulus, cum

non ultra annum regnaſſet, graviſſimo morbo, & ſanguinis continuo vomitu exhauſtus, ac conſcientiæ ſtimulis miſere lanciniatus. *Ituræos* tamen, Iſraelitici generis gentem, ad circumciſionem admittendam coëgiſſe dicitur.

Succeſſit frater *Alexander*, *Jannæus* alias dictus, regnumque annis pæne 27. tenuit. Fuit homo ſuſpicax, vaſer & imprimis crudelis: qui ipſe quoque fraterno ſanguine ſe cruentavit. Alterum enim fratrem, regno inhiantem peremit, alterum, privata fortuna contentum, in honore habuit. Idem aliquando inter pellices, in loco edito genio indulgens, octingentos e civibus, Phariſaicæ, quam ille averſabatur, factionis, crucibus affigi, uxoresque & liberos in morientium conſpectu trucidari juſſit: octo inſuper millia egit in exilium. Nihilo ſecius quædam in Palæſtinæ & Arabiæ finibus ſtrenue geſſit, & adverſarios ſuos interdum male mulctavit.

Mortuus eſt Alexander Jannæus, febri quartana, quam ex temulentia contraxerat, ultra triennium vexatus. In ſupremis tabulis, regni adminiſtrationem, *Alexandræ* uxori, magni & virilis animi fœminæ, reliquit, e qua duos filios, *Hircanum* & *Ariſtobulum* habuit ſuperſtites.

Cæterum *Alexandra*, quæ & *Salome*, ut pacatius regnum haberet, ex mariti poſtremis hortationibus, Phariſaicam factionem, quam ille acerrime perſecutus fuerat, amplexa eſt. Vnde iſti, non tantum placita ſua ſevere populo obtrudere, ſed & Reginæ gratia abuſi, in illos, qui regnante Alexandro, adverſum ſe acerbius ſævierant, pari crudelitate animadvertere cœperunt. Quieta tamen utcun-

cunque fuit Judæa, per annos 9. quibus Alexandra rebus præerat.

Res Romanorvm.

Apio, qui *Appion* aliis dicitur, Ptolemæorum Lathuri & Alexandri, e pellice ſuſceptus frater, cui pater Ptolemæus Phyſcon Cyrenarum regnum teſtamento reliquerat, fato fungens, *Populum Romanorum* inſtituit heredem. *Cyrenarum regnum*, ſive *Cyrenaica*, regio Africæ, in Libya propria, Mari mediterraneo expoſita, & ab eo terminata ad Septentrionem; ab Ortu, Marmarica; ab Occaſu, Tripolitana regione; & a Meridie, Garamantibus definiebatur. Sic itaque ea pars Libyæ, provincia Romana facta eſt, quo pacto, & Syriæ, & Ægypti regna, quæ incrementum de finitimis bellis quærere ſolebant, Romana vicinitate arctata, ademto vagandi arbitrio, vires ſuas in perniciem mutuam converterunt, adeo, ut aſſiduis præliis conſumti incolæ, in contemtum finitimorum venerint, prædæque *Arabum* genti, imbelli antea, fuerint. Quorum Rex *Erotimus*, ut eſt apud Juſtinum, fiducia ſeptingentorum filiorum, quos ex pellicibus ſuſceperat, diviſis Exercitibus, nunc Ægyptum, nunc Syriam infeſtabat: magnumq; nomen Arabum, viribus finitimorum exſanguibus fecerat.

Sequitur *Bellum*, *quod cum Jugurtha Numidiæ Rege* geſtum eſt. *Micipſa* Rex, duos reliquit filios, *Adherbalem* & *Hiempſalem* heredes: iis adſcripſit *Jugurtham*, fratris *Maſtanabalis* e pellice filium, Maſiniſſæ nepotem. Hic peremto per ſcelus altero coherede Hiempſale, cum omni regno occupato, alteri Adherbali etiam inſidias ſtrueret, ad Romanos, quorum in fide & clientela regnum erat, is confu-

git. Sed Jugurtha, qui ſæpius dixerat, Romam venalem eſſe, ſi emtorem inveniret, miſſa per legatos pecunia, traxit in ſententiam ſuam Senatum, effecitque, ut legati deſtinarentur, qui regnum inter illum & Adherbalem dividerent. At vero iſtos quoque aggreſſus auro, inchoatum ſcelus perficit, & Adherbalem quoque tollit e medio. Vbi de corrupta legationis perfidia Romæ conſtitit, placuit bello perſequi parricidam. Primus in Numidiam mittitur *Calpurnius Beſtia* Conſul; ſed Jugurtha pacem emit, & ſimulata eam deditione obſignat. Cum interveniente fide publica, a Senatu accerſeretur, pari audacia, & venit, & competitorem imperii *Maſſivam*, Maſiniſſæ nepotem, immiſſo percuſſore confecit. Hæc altera contra Jugurtham cauſa bellandi, ac ultio mandatur *Sp. Albino*. Sed hujus quoque exercitum corrupit Jugurtha, ut voluntaria Romanorum fuga vinceret, caſtrisque potiretur. Igitur in ultionem non tam Imperii Romani, quam pudoris, *Metellus* aſſurgit, qui, callidum hoſtem, & nunc precibus, nunc minis, nunc ſimulata, interdum & vera fuga fallentem, ſuis artibus vicit, & urbibus exutum, per Mauros atque Getuliam fugitivum inſectatus eſt. Belli reliquias *C. Marius*, Metelli, cui hactenus militaverat, æmulus, renunciatus a populo Conſul confecit, jamque fuſum & ſaucium Regem adortus, non facilius vicit, quam integrum & recentem. Denique viribus fractus Jugurtha, ad *Bocchum* Mauritaniæ Regem, Socerum ſuum confugit. A quo proditus, *Syllæq;* traditus, ad Marium perductus eſt. Ab hoc poſtquam Romæ catenis opertus, cum duobus filiis, in triumpho ductus fuit, deinde in carcere, animi mœrore periit.

Bellum

Bellum Cimbricum ſeu *Teutonicum* plurimum negotii Romanis exhibuit. Sunt autem *Cimbri*, qui hodie dicuntur Holſati & Slesvicenſes. Ii, cum Teutonibus conjuncti, Romanis tantum terrorem injecerunt, quantum Annibal vix unquam. Cum multa in Hiſpania & Gallia loca depopulati eſſent, tripartito agmine, (neque enim ob nimietatem, juncti expeditionem ſuſcipere poterant) per Alpes in Italiam irruere moliuntur, ſpei pleni, ſe Romam capturos. Adverſus eos miſſus eſt *C. Marius* Conſul, qui mira velocitate, prævenit hoſtem, Teutonumque agmen, ſub ipſis Alpium radicibus aſſequutus, apud Aquas Sextias oppreſſit. Rex *Teutobochus*, vir proceritatis eximiæ, captus eſt. Cæſa dicuntur hoſtium ducenta millia, capta nonaginta. At Cimbri, repulſo ab Alpibus fugatoque *Q. Catulo* Proconſule, qui fauces illorum montium obſederat, in Italiam deſcendunt. Si ſtatim infeſto agmine ad Vrbem contendiſſent, in grave diſcrimen illa incurriſſet. Sed in Veneto tractu, ubi Italia molliſſima eſt, ex ipſa ſoli cœlique clementia, robur illorum elanguit. Dulcedine vini mitigatos *Marius*, junctis cum *Catulo* viribus, in tempore aggreſſus eſt. Nebuloſo die incautis occurrit, & ventoſo quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur Cimbrorum; tum vero acies converſa in orientem, ut ex ſplendore galearum ac repercuſſu, quaſi ardere cœlum videretur. Eo prælio 140. millia, aut in pugna, aut in fuga cæſa ſunt; 60. millia capta. Hac clade *mulieres Cimbricæ* adeo perterritæ ſunt, ut ſeipſas, cum liberis, horrendum in modum trucidarint, ne hoſti præda fierent. *Marius* hujus victoriæ præmium, quintum Conſulatum tulit, isque primus in hoc bello *Aqui-*

lam inter Signa militaria adhibuit, dehinc pro Imperii Romani Inſigni habitam.

Inter hæc *P. Malleolus*, matricida, primus omnium inſutus culeo, in mare præcipitatus eſt.

Succedit *Bellum*, quod *Sociale*, itemque *Marſicum* appellatum eſt, quia à *Marſis* (Samnitibus & Picentibus vicini hi erant) primum concitatum fuit. Etenim Latini univerſi, ac plerique Italiæ populi, indigne ferentes, ſe laborum omnium ac periculorum apud Romanos participes, a communione vero imperii & honoris excludi: fruſtra per *Druſum* ſperata civitate, quod bona gratia non poterant, armis conſequi ſtuduerunt, ac primum in Latinis feriis, *Martium Philippum*, & *Julium Cæſarem*, ambos Conſules, intra ſacra & aras immolare decreverunt. Re detecta, palam defecere. *Q. Servilium* Proconſulem, *Fontejum* Legatum, ac Romanos omnes, Aſculi peremerunt. Poſt hæc, vario eventu cum illis dimicatum eſt. Præcipuum adverſus eos victoriæ decus, *Cn. Pompejus Strabo*, Magni pater, meruit: qui *Latinos* repulit, *Veſtinos* & *Pelignos* ad deditionem redegit, deque iis triumphavit. *Lucius Sulla*, Lucii Cæſaris Conſulis Legatus, multis præliis cum laude commiſſis, rebusque aliis proſpere geſtis, finem bello impoſuit.

Sub idem tempus, *Bellum* aliud, *contra Mithridatem*, in Aſia ſuſceptum eſt. Fuit *Mithridates* Ponti, (quæ Aſiæ minoris regio eſt, verſus Pontum Euxinum extenſa,) Rex, e regio Perſarum ſanguine originem ducens, tantaque animi ac corporis vi præditus erat, ut XXII. gentium ore, non minus ſcite, quam ſi gentilis eſſet, loqueretur, quemque militum ſuo nomine appellaret, & ſejuges equos regeret. Hic, Aſiæ totius,

tius; imo & Europæ imperium affectans, cum Romani Bello Sociali diſtinerentur, *Bithyniam*, pulſo *Nicomede*, deinde ejecto *Ariobarzane Cappadociam*, & adeo totam prope Aſiam rapit: *Oppium* Proconſulem, *Aquilium* Legatum in vincula conjicit: miſſisque ad civitates literis, & propoſitis præmiis, jubet omnes, quicunque cives Romani in Aſia erant, uno die ab hoſpite quemque ſuo interfici, ita ut a Plutarcho & Dione 150. millia cæſa fuiſſe proditum ſit. Ex Aſia Mithridates in Europam prorumpebat, & *Archelao* atque *Neoptolemo* Ducibus, excepta Rhodo, pleraſque Inſulas expugnat, ac Athenis belli ſede conſtitutis, omnes fere Græciæ gentes, a Romanis ad ſe pertrahit. Cum hæc procella tot gentes involveret, Romæ de Imperatore, cui bellum adverſus Mithridatem mandaretur, ingenti cum animorum contentione diſceptabatur. *Marius*, per Sulpitium Tribunum Plebis egit, ut ſibi hæc expeditio decerneretur: ſed *Sulla*, ſenium Marii, & ex ſenio languorem cauſatus, cum Conſul eſſet, obtinuit ut ipſe præferretur.

Hinc *Bellum Civile* natum. Quippe *Marius*, ambitione plenus, Sullæ decretam provinciam eripere conabatur. Proinde *Sulpitius* Tribunus plebis, homo audaciſſimus, 600. Equitibus, quos *Contraſenatum* appellabat, ſtipatus, tumultu facto, Sullam urbe ejicit, & Mario belli provinciam committit. Ibi Sulla, collecto exercitu, ad Vrbem progreſſus, Arcem Capitolii inſidet, &, adverſariis hoſtibus judicatis, Sulpitium, quin & jam ſexto Conſulatu defunctum Marium proſcribit. Sulpitius, indicio ſervi e villa ſua retractus, jugulatur, caputque pro roſtris oſtentatur: ſervus, ut præmium promiſſum indicii haberet, manumittitur quidem,

dem, at ob ſcelus domini proditi, de ſaxo dejicitur. Marius Minturnis, Latii urbe, in palude latuit; inventus, & in carcerem conjectus, immiſſum percuſſorem Gallum, vultus autoritate, & his verbis: *tune homo audes occidere C. Marium?* deterruit. Tum cives miſerti principis viri, inſtructum viatico, in navim impoſuerunt, qua in Africam ad Regem Hiempſalem vectus eſt, & inde Carthaginem contendit.

Sulla, æmulo liberatus, cum exercitu Græciam adit, &, Apollinis theſauris Delphicis, in uſum belli & luxus verſis, Athenas, quas ſedem belli Rex habebat, obſidione & fame expugnatas, in prædam militi concedit. Regis deinde copias, multo minoribus diſſipat; receptisque Inſulis, & 70. navibus, redditaq; Nicomedi Bithynia, & Ariobarzani Cappadocia, & fœdere cum hoſte icto, atque colloquio cum ipſo Rege habito, exercitum in Italiam reducit.

Abſente Sulla, & in bello adverſus Mithridatem occupato, lectis novis Conſulibus, cum de revocandis, quos Senatus hoſtes judicaverat, ad populum referretur, denuo inteſtino motu Roma concuſſa fuit. Alter enim Conſulum *Corn. Cinna*, homo flagitioſiſſimus, qui, pro Sulla ſe facturum jurejurando promiſerat, occulte dominatum machinatus, ab altero *Cn. Octavio*, quod exulibus faveret, Vrbe pulſus eſt. Is vero nihil cunctatus, poſtquam ſervos ad pileum vocaſſet, & ergaſtula armaſſet, quadruplici agmine, diviſis cum *Carbone*, *Sertorio*, & *Mario*, (jam ex Africa reduce,) copiis, Romam revertitur, adverſarios profligat, Octavii Conſulis caput pro roſtris exponit. Multi ex Patribus, tum domi ſuæ, tum in foro & Capitolio, in conſpectu

Marii, ſeptimum jam Conſulis trucidabantur. Servi etiam, quos ad pileum vocaverant, dominos mactabant, ac promiſcue cædibus graſſabantur, donec communi conſilio, Cinna & Sertorius, ut modum imponerent rabiei illorum, in caſtris ſopitos adorti, ad unum omnes confoderunt. Marius, crudelitati exercitæ non diu ſuperſtes fuit, ſed anno ſequente, ſeptuagenarius, & impos mentis, vita exceſſit. Cinna & Carbo, ſine Comitiis Conſularibus, ſe Conſules creant in biennium, cumque Cinna, metuens Sullæ reditum, adverſus eum ducturus eſſet exercitum, Anconæ a militibus lapidibus obrutus eſt.

Sulla, pace facta cum Mithridate, ubi de motibus Cinnæ & Marii audivit, magno cum exercitu in Italiam ingreſſus, *Norbano*, *Mario juniore*, & aliis devictis, crudeliter in cives Romanos ſævit: tabulam proſcriptionis civium, inaudito ante exemplo, proponit, Italiam cædibus replet. Amplius, *Cn. Pompejo*, Strabonis filio, qui Carbonem, Conſulem Marianum, in Sicilia oppreſſum necaverat, *Hiarbam* Mauritaniæ Regem, Marianarum partium, debellaverat, *Magni* cognomen dedit, permiſitque, ut de Africa, novo exemplo, Eques Romanus, & privatus triumpharet. Deinde L. Valerii Flacci opera, *Dictator* factus, (cujus honoris uſurpatio, amplius centum annos intermiſſa fuerat) 24. prælatis faſcibus in publicum procedit, & ita Remp. opprimit, ut teſte Cicerone in Verrem, nemo illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere potuerit. Tandem 90. Senatorum, 15. Conſularium, duorum millium & ſexcentorum Equeſtris ordinis, ac ultra centies mille hominum interfector, abiit Dictatura, tantumque ei animi fuit, ut in fori medio dicere

auſe-

auderet, ideo ſe Dictaturam deponere, ut eorum quæ feciſſet, rationem ſubire poſſet, ſi quis exigeret. Sperni cœptus, cum Cumis, ex morbo pediculari deceſſiſſet, honor ei a Senatu eſt habitus, ut in Vrbem lectica aurea regium in morem illatus, in campo Martio cremaretur. Ejus acta *M. Lepidus* Conſul reſcindere conatus, a *Q. Catulo* collega Italia pulſus, in Sardinia morbo & pœnitentia periit.

Capitolium Romæ conflagravit, quo incendio Libri Sibyllini perierunt.

Cicero naſcitur, nullo, quod a Plutarcho proditum eſt, puerperii dolore. Ejus nutrici ſpectrum prædixit, illam ingens Romanis bonum nutrire.

Hortenſius, Orator, vir mollis & nimium cultui corporis deditus, ob eloquentiam in foro, *Cauſarum Rex* dictus eſt, ſcripta tamen intra famam fuerunt. Quod nimium ſe declamando moveret, *Dionyſia ſaltatricula* appellabatur. Tanta illi memoriæ vis, ut quæ ſecum commentatus eſſet, ea, ſine ſcripto, verbis iisdem redderet, quibus cogitaſſet. Sedens aliquando totum diem in auctione, omnes res venales, ut & pretia ordine recenſuit, nulla in re errans. Conſul fuit cum Cæcilio Metello. Primus pavones augurali cœna dicitur poſuiſſe. Platanos ſuas vino irrigare ſolebat.

Archias, Antiochenus, Poëta, Romam venit, & Ciceroni, a prima pueritia, magiſter ad ſuſcipiendam & ingrediendam ſtudiorum rationem extitit. Adjutus a familia Lucullorum, Romanæ civitati adſcriptus eſt: cui, cum Græcus quidam litem moviſſet, Cicero ipſum luculenta oratione defendit. Fertur *Romanorum bella Cimbrica* Græco conſcripſiſſe carmine.

Dio-

Diodorus, Stoicus, quamvis cæcus, Geometriam docebat, diſcipulis ſermone præcipiens, unde, & quo, quamque lineam ducerent. Ciceronem in Dialecticis erudiit, qui, de illo in Bruto: *Eram cum Stoico Diodoro; qui, cum habitaviſſet apud me, mecum vixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus.*

L. Craſſus, Orator. Is in principiis dicendi ita expalluit, ut tota mente atque omnibus artubus contremiſceret.

PTOLEMÆVS AVLETES.

Ptolemæo Lathuro ſucceſſit *Ptolemæus*, cui *Auletes* cognomentum impoſitum, quia choraulam agere, & de artis palma cum aliis contendere, non ſibi ducebat turpitudini. Neque id valde mirum. Quippe, flagitiis & luxui deditus, vix quicquam regium præter nomen habuit. Num ex Regia proſapia fuerit, inter Scriptores non convenit. Cicero quidem Regia ſtirpe eum prognatum fuiſſe negare videtur: alii tamen, Lagidarum ſtirpem, in Cleopatra, hujus Auletis filia, demum deſiiſſe memorant; itaque pars Ptolemæi Alexandri, pars, Ptolemæi Lathuri filium, & quidem nothum, faciunt. Hic Romanorum amicitiam affectavit, & tandem quoque impetravit, quæ res maximis impenſis ei conſtitit. Cæſari enim ſex millia talentorum, ſive quinquagies quater centena millia aureorum ut offerret, neceſſe habuit. Ob has largitiones, ingens æs alienum contraxit; cumque ad id diſſolvendum, ab Ægyptiis graviſſima tributa vi exigeret, tantopere populi offenſionem & odium incurrit, ut Ægypto excedere, & Romam petere coactus fuerit. Ejecto Ptolemæo, Alexandrini SELEVCVM quendam Syrum, data ei in matrimonium *Berenice*, Auletis maxima

natu

natu filia, Regem conſtituerunt, qui ob ſordes, cognomen *Cybioſactes* tulit, quaſi qui ex omni re lucrum captaret: παρὰ τὸ σάττειν τὰ κύβια. *Cybium* enim, quod Plinius docet, genus fuit *ſalſamenti*; σάττειν autem, proprie ſignificat, *onus jumento imponere*; ut faciunt mercium vectores, & camelarii. Ipſe ſe Seleucidarum ſtirpis ferebat, atque paulo poſt, juſſu Reginæ uxoris ſuæ, ſtrangulatus eſt. Illi, quidam ARCHELAVS nomine, qui Mithridatis filium ſe ferebat, Comanorum in Ponto Sacerdos, ab Alexandrinis, pactis Berenices nuptiis, ſubſtitutus fuit. Interea temporis AVLETES, Romæ ſui reſtitutionem prece & pretio ſolicitando, diu fruſtra fuit, donec *Gabinius*, Syriæ Præfectus, juſſu Pompeji, ipſum, victo & occiſo prius Archelao, in Ægyptum reduxit, priſtinisque honoribus reſtituit. Regnavit autem annos 30. tandemque 14. poſt reductionem ſuam anno, relictis duobus filiis, totidemque filiabus, rebus humanis valedixit.

Res Judæorum.

Poſt obitum Alexandræ matris, inter *Arcanum* & *Ariſtobulum* fratres, ex ingeniorum diverſitate, exortæ ſunt inimicitiæ. Ariſtobulus enim regnandi avidus, & ſpiritus altos gerens, Hircanum, mitis animi hominem, nec admodum ingenio valentem, cum exercitu invadens, rem eo deducit, ut ipſe, quanquam ætate grandior, Pontificatu contentus, regni adminiſtratione cederet. Id cum inter alios ægre ferret *Antipater*, Idumæus, vir pecunioſus, & natura ſua factioſus ac induſtrius, ſæpe Hircano autor fuit, ut ſe in dignitatem, jure debitam, aſſereret, eoque tandem, poſt multam cunctationem, permovit, ut ad

Are-

Aretam, Arabiæ Dynaſtam confugeret. Hujus auxilio cum Hieroſolymam obſediſſet, Ariſtobulus *Æmilium Scaurum*, Pompeji, qui tum Orientis rebus præpoſitus erat, Legatum, pecunia expugnat, ut ſpretis Hircani promiſſis, Arabes ab obſidione, Romani belli metu abigeret. Nec minus collecto exercitu Hircanum adortus, ingenti cæde affecit, occiſis e copiis ejus 7000. inter quos frater erat Antipatri. Cum dein *Pompejus* ipſe in Syriam veniſſet, pro arbitro ſe gerens, fratrum controverſiam in cognitionem vocavit; & licet potiorem deprehenderet Hircani cauſam, diſtulit tamen ſententiam, donec Ariſtobulo, quem ſpe lactaverat, caſtella quædam quæ tenebat, & pecuniam extorſit: cunctantem vero, & promiſſa non præſtantem, in vincula conjecit. Hieroſolymam deinde profectus, in urbem quidem facile ab Hircani factione admiſſus eſt, cujus muros diruit, templum vero Ariſtobuli aſſeclæ ſtrenue defendebant. Captum tamen fuit poſt trium menſium obſidionem, magna cum Judæorum ſtrage, quippe Joſephus occiſorum 12000. numerat. Laudanda interim Pompeji moderatio, qui templum ingreſſus, & ſacra ſpeculatus, illæſum id reliquit, nec theſauros expilavit. Dehinc ſupplicio affectis qui factionis principes erant, Judæos Populi Romani ſtipendiarios facit; Pontificatum Hircano reddit; urbes in Cœleſyria, & maritimas præſertim, Judæis ademtas, provinciæ Syriæ, jam Romanis ſubjectæ, aggregat; Ariſtobulum vero, cum filiis duobus, ac filiabus totidem, vinctos Romam mittit, qui deinde, in triumpho ejus Aſiatico, currum victoris, cum liberis Mithridatis, aliisque Aſiæ Regibus & Dynaſtis, comitati ſunt. Prælatum tum etiam eſt donum Ariſtobuli, Pompejo miſſum,

Vitis

Vitis aurea 500. talentorum: cui inſcriptum erat: *Alexander Rex Judæorum.* Eam ſe Romæ vidiſſe teſtatur Strabo, dedicatam Jovi Capitolino. De reliquo, Judææ Procuratorem Pompejus *Antipatrum* conſtituit.

Interim *Alexander*, Ariſtobuli captivi filius, haud ſpernenda manu collecta, in[illegible]ſionibus Judæam vexat. Cæterum victus, & ad caſtella ſua tradenda coactus eſt a Proconſule *Gabinio*, qui Hircano Pontificatum confirmavit. Ariſtobulus deinde ipſe, corruptis cuſtodibus, Roma profugus in patriam redit, concurſuque ad ſe facto, res novare inſtituit. Sed iterum a Romanis in caſtello quodam obſeſſus, & ad deditionem compulſus, altera vice Romam miſſus eſt. Tum, de quo paulo ante diximus, *Alexander*, magnam Judæorum partem ad defectionem compellit, & Romanorum præſidiis oppreſſis, auſus eſt cum Gabinio prælio decernere. At victus, & 10000. ſuorum amiſſis, fuga ſibi conſuluit. Gabinio ſucceſſit *M. Craſſus*. Is vero, theſauros Templi Hieroſolymitani, quos Pompejus intactos reliquerat, loci religione, & jurejurando, quod dederat, ſpretis, abſtulit, quorum pretium 10000. talenta auri, ſive, ut quidam computant, milliones 125. ſuperabat. Craſſo a Parthis interfecto, *C. Caſſius Longinus*, cum reliquiis exercitus Syriam defendit, & partes Ariſtobuli afflixit, ita ut Hircani factio, quam Antipater ſtrenue tuebatur, ſatis conſiſteret. Enim vero, *Julius Cæſar*, occupata Roma, ut Pompejo ægre faceret, Ariſtobulum, Regem captivum, ſolutum vinculis, cum duabus legionibus in Judæam dimittit: ſed is, in itinere, veneno a Pompejanarum partium hominibus propinato, periit, filiumque ejus Alexandrum, quod arma

arma contra Romanos non ſemel cepiſſet, *P. Scipio*, juſſu Pompeji, Antiochiæ ſecuri percuſſit. *Antigonus*, alter Ariſtobuli filius, patrocinio *Ptolemæi Mennæi*, Chalcidis in Libano Dynaſtæ, ſervatus eſt.

Res Romanorvm.

Civilis belli ſcintilla, non parvum in Hiſpania excitavit incendium. *Q. Sertorius*, Nurſia oriundus, partium Marianarum fuit una cum *Cinna*, iisque junctus, Romam cepit, moderatius tamen ſe, quam alii gerens. Redeunte a bello Mithridatico *Sulla*, urbeque potito, ipſe in Hiſpaniam aufugit, ubi brevi tempore, ſibi gratiam earum gentium conciliavit. Traditur, per eum Hiſpanos diſciplinam militarem Romanam didiciſſe, ac fortiores deinde fuiſſe. Præter rei militaris ſcientiam, erat quoque abſtinentiſſimus voluptatum, quin & commercium cum Superis habere creditus eſt, quod *Cerva* quædam in expeditionibus illum ſequeretur, quam ille Dianæ Numen eſſe dicebat, a qua reſponſa, & rerum gerendarum auſpicia acciperet. Quamobrem Dux Luſitanorum delectus, parvis copiis, non tantum multas urbes ſubegit, ſed & quatuor Romanorum Duces contra ſe miſſos, variis cladibus afflixit. Primum enim *M. Aurelium Cottam*, navali prælio ſuperavit; deinde *Phidiam* Hiſpaniæ Prætorem, cum duobus millibus Civium Romanorum interfecit; *Domitium* Proconſulem contrivit; poſtremo *Trajanum*, a Metello miſſum, cum toto exercitu delevit. Denique *Pompejo* fortiter reſiſtens, fraude ſocii *Perpennæ*, qui ſolus Hiſpania potiri volebat, in convivio occubuit Oſcæ in Aragonia. Sed Pompejus Perpennam acie victum peremit, ac Hiſpanias recepit.

Lentulus, Capuæ *gladiatores* incluſerat, crudelem Romanis voluptatem exhibiturus. Eorum quatuor & ſeptuaginta, effracto ludo gladiatorio, effugiunt, congregataque ſervorum multitudine, Ducibus *Spartaco*, *Chryſo*, & *Oenomao*, montem Veſuvium occupant. Ibi cum obſiderentur à *Clodio Glabro*, per fauces cavi montis vimineis delapſi vinculis, ad imas ejus deſcenderunt radices, & nihil tale opinantis Ducis caſtra, ſubito impetu rapuere. Nec aliter caſtra *P. Voreni* Prætoris tractarunt. Deinde totam pervagantur Campaniam, nec villarum aut vicorum vaſtatione contenti, *Nolam*, atque *Nuceriam*, *Thurios*, & *Metapontum*, terribili ſtrage populantur. Affluentibus indies magis magisq; odio Romanorum, copiis, cum eſſet juſtus exercitus, e viminibus pecudumque tegumentis, rudes ſibi clypeos, e ferro ergaſtulorum recocto, gladios ac tela fecerunt. Ac, ne quod decus deeſſet, domitis obviis gregibus paratur equitatus: captaque de Prætoribus inſignia & faſces, ad Ducem detulere. Dehinc *Lentuli* exercitum in Apennino, & *C. Caſſii* apud Mutinam caſtra diſſipat Spartacus. Quibus elatus victoriis, de invadenda urbe deliberavit. Pudorem Romanorum *M. Licinius Craſſus* aſſeruit, cæſis 35. millibus. Reliqui in extrema Italiæ ſe abdentes, cum fugam in Siciliam pararent, neque navigia ſuppeterent, ratesque ex cratibus, & dolia contexta virgultis, in rapidiſſimo freto fruſtra experirentur, Spartacus cum ſuis fortiſſime dimicans occiſus eſt.

P. Servilius, miſſus adverſus *Cilices* piratas, qui proximum mare, Cretam inter atque Cyrenas, Epirum & Achajam, ſinumque Maleum latrocinabantur, non incruenta victoria illos ſuperavit. Nec

mari ſubmoviſſe contentus, validiſſimas urbes eorum, & diutina præda abundantes, *Phaſelin* & *Olympon*, *Iſaurumq;* ipſam, arcem Ciliciæ, evertit: unde majorum ſuorum titulis, *Iſaurici* cognomen adjecit.

Cum rurſus *Piratæ* toto mari impune prædarentur, *Pompejus*, undique diſperſam peſtem, ſemel & in perpetuum extinguere volens, variis claſſibus, quas diverſis Legatis atque Præfectis commiſit, per omnes æquoris portus, ſinus, latebras, receſſus, promontoria, peninſulas, quicquid piratarum fuit, occluſit & oppreſſit. Poſt hæc, maritimum genus, a conſpectu longe removit maris, & mediterraneis agris quaſi obligavit: eodemque tempore, & uſum maris navibus recuperavit, & terræ, homines ſuos reddidit. Iſta, cum prolixius ſic narraſſet Florus, exclamat denique: *Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod quadrageſimo die parta eſt? an felicitatem, quod ne una quidem navis amiſſa eſt? an vero perpetuitatem, amplius piratæ non fuerunt?*

Mithridaticum Bellum parum fideliter extinctum, majore flamma exardeſcit. Cum enim *Nicomedes* Bithyniæ Rex, moriens Populum Romanum heredem ſcripſiſſet, Bithyniam armis occupavit Mithridates, & fretus inteſtinis Romanorum bellis, majori conatu provincias eorum infeſtavit, exercituq; 136. millium educto, Cyzicum, Myſiæ in Aſia minore, urbem, invaſit. Adverſus eum *L. Lucullus* miſſus eſt, qui in Aſiam profectus, ſecundiſſimis prœliis terra marique factis, Mithridatem in Pontum primo, indeque mox in Armeniam ad *Tigranem* Regem, generum ſuum, qui *Regem Regum* ſe appellare,

& quatuor Reges ſatellitum loco habere conſueverat, fugere compulit. Ita Ponto ſubacto, ambos Reges, cum ducentis peditum millibus, equitum ſexaginta, congreſſos, acie devicit. Sub hæc capta *Triganocerta*, Armeniæ caput, itemque *Niſibis*, urbes maximæ. Sed ne tot victoriarum laborumque debitum fructum *Lucullus*, vir rei militaris peritiſſimus, &, qui primus e Ducibus Romanis Taurum montem tranſiit, conſequeretur, milites impediverunt; qui, ob prædam divitem elangueſcentes, emeritis jam ſtipendiis Imperatorem ſequi nolebant. Nimirum, finiti belli gloriam, fata Pompejo reſervaverant. Is ergo ex *lege Manilia*, ſive plebiſcito C. Manilii Tribuni plebis (pro hoc Ciceronis ſuaſoris, adverſus Q. Catulum & Hortenſium, viros Conſulares, diſſuaſores, diſertiſſima extat oratio,) cum utroque Rege bellum ſuſcepit, ac *Tigranem* ad deditionem adactum, ſola contentum Armenia eſſe juſſit. *Iberos* & *Albanos* dum Mithridatem perſequitur, Romano adjecit imperio. *Mithridates* poſtremo, undiq; pulſus, deſperatis domi rebus, fugam in Gallias meditans, *Pharnacis* filii, & exercitus defectione perterrefactus, ſibi ipſi vitam eripuit. De mortis genere varia tradunt autores. Quidam confirmant victum a Pompejo, cum ſibi mortem inferre decreviſſet, violentiſſima venena ſumpſiſſe, denique ſe gladio transfixiſſe. Autor de Viris Illuſtribus dicit, illum venenum aſſumpſiſſe, quo, tarde agente, ipſum immiſſum percuſſorem Gallum, atroci vultu territum, ac retro cedentem, revocaſſe, &, in cædem ſuam, manum trepidantis adjuviſſe. Alii vero acutiſſimo veneno extinctum fuiſſe aſſerunt. Hic Mithridates maximæ crudelitatis arguitur. Nam *Laodicen* conjugem & ſororem, fra-

tremque, ac tres filios impuberes, totidemque filias interfecit. Cæterum literatus, & literatorem fautor, ipſemet librum, *de Arcanis morborum*, ſcripſit, quem, inter præcipua triumphi ornamenta, Pompejus Romam detulit, a *Lenæo* liberto ejus dein Latine redditum. Ab hoc Mithridate quoque, *Mithridaticum antidotum* appellatum volunt: quod Quintus Sammonicus ſic deſcribit:

Bis denum rutæ folium, ſalis & breve granum,
Juglandesq; duas, terno cum corpore ficus:
Hæc oriente die, modico conſperſa Lyæo,
Sumebat, metuens quæ pocula dederat mater.

Dum Imperium Romanum tota Aſia propagatur, Roma ipſa inteſtino bello pæne deleta eſt. *L. Sergius Catilina*, Senator, repulſam Conſulatus paſſus, exercitu in Hetruria comparato, cum *P. Lentulo* & *C. Cethego* Prætoribus, aliisque conjuratis, Senatum confodere, Conſules trucidare, diſtringere incendiis Vrbem, diripere ærarium, totam denique Rempublicam funditus tollere aggreſſus eſt. Additum pignus conjurationis, ſanguis humanus, quem circumlatum pateris biberant. Id nefas, *Fulviæ*, ſcorti inditio proditum, ſingulari virtute conſtantiaque *Cicero* diſcuſſit, cujus in Catilinam extant 4. invectivæ. Catilina urbe ejectus, Lentulus, & alii clari nominis viri, autore in Senatu *Catone*, in carcere necati ſunt. Catilina, quamvis ſociis oppreſſis, tamen ab incepto non deſtitit, ſed, infeſtis ab Hetruria ſignis, patriam petiit. Ei obviam ivit *Antonius* cum exercitu, commiſſumque eſt prælium atrox, vel hoc argumento, quod nemo hoſtium bello ſuperfuit, &, quem quis in pugnando ceperat locum,

cum amiſſa anima corpore obtexit. Catilina longe a ſuis, inter cadavera adverſus ſe dimicantium, repertus eſt. Tum *Cicero*, a Catone Tribuno Plebis *Pater Patriæ* appellatus; cui tamen præclariſſimum ac ſalutare factum fraudi fuit, cumque, triennio poſt, *P. Clodius*, Tribunus plebis, ob ſupplicium conjuratorum, in exilium ejecit. Id, cum 16. menſes toleraſſet, Pompeji, & Lentuli Conſulis opera, revocatus, ac magna cum gloria exceptus eſt.

M. Catoni Vticenſi, Porcii pronepoti, Præturam Senatus citra Comitia decernit, quo is honore uti noluit, magis illum legitimis populi ſuffragiis impetrare cupiens. Sed illum ſpes fefellit. Nam Pompeji & Craſſi factione, eo, quem petebat, magiſtratu, excidit, eique *Vatinius* antelatus eſt.

Liberata, M. Tullii conſilio, Vrbe, nova ſemina jacta ſunt opprimendæ Reipublicæ. *C. Julius Cæſar* Conſul, cum Senatu ac *M. Bibulo* Collega invitis, leges Agrarias pertuliſſet, quibus, quicquid in Italia erat agri publici, inter cives dividi jubebatur, *Cnejum Pompejum*, *Julia* filia in matrimonium ei data, ſibi devinxit, ipſe *Calpurniam* duxit, Piſone genitam. Porro *M. Craſſum*, Cæſar, & Pompejo, & ſibi conciliavit. Sic trium Principum civitatis conſpiratio facta, ut omnia illorum arbitratu gererentur. Ergo Cæſari Gallia in quinquennium, Pompejo Hiſpania itidem in quinquennium decernitur; Craſſo, Syria, & bellum Parthicum mandatur.

Cæſari in provinciam *Galliam* profecto, primam belli occaſionem dederunt *Helvetii*, qui Rhodanum inter & Rhenum ſiti, non ſufficientibus juventuti terris, venere ſedes petitum, incenſis mœnibus ſuis. Hoc ſacramentum erat, ne redirent. Cæſar, Rhodani

dani ponte reſciſſo, fugam Helvetiis præcludit, ac bellicoſiſſimam gentem prælio difficili ita vincit, ut 47. millibus interfectis, reliquam multitudinem in ſuas ſedes remitteret.

Poſtea *Cæſar*, *Arioviſtum* Regem Germanorum, qui Heduos, Sequanos, aliosque Galliarum populos, aliquot ante annos ſubegerat, jubet ad ſe venire. Negat ille ſibi opus eſſe Cæſare, ſi Cæſar ſui egeat, fas eſſe illum ad ſe, qui Rex ſit, venire. Cæſar accenſus ira, imperat Arioviſto per Legatos, ut Gallia excedat. Ille, ſuperbe, quis autem eſt Cæſar, inquit, &, quid ad illum quæ agit noſtra Germania? num ego me interpono Romanorum rebus? collectoque exercitu, omnem aciem ſuam rhedis & carris circumdedit, ne qua ſpes relinqueretur in fuga; mulieres impoſuerat curribus, quæ, in prælium proficiſcentes milites, elatis manibus flentes implorabant, ne ſe in ſervitutem Romanam traderent. Germani tam celeriter procurrerunt, ut Romanis ſpatium pila conjiciendi non daretur: cominus gladiis pugnatum eſt. Eos ut evitarent Germani, elatis ſuper capita ſcutis, factaque phalange, impetum exceperunt. At Romanorum tantus erat vigor, ut aliqui in phalanges inſilirent, & ſcuta manibus revellerent, ac deſuper vulnerarent. Igitur territi novo mortis genere Germani, diſſolvunt phalangem, & in fuga cæduntur. Arioviſtus, Rhenum transvectus, effugit: Filiarum una capta eſt.

Cæſari deinde, in alterum quinquennium prorogata fuit provincia: quo, Galliam pacavit, Britanniam domuit, Germaniamq; magnis cladibus attrivit. Antequam e provincia decederet, *Juliæ*, ejus filiæ, mors, affinitatem, quæ illi cum Pompejo interceſſerat, amicitiamque ſimul una diſſolvit.

Inter hæc *Craſſus*; cui Parthicum bellum mandatum fuiſſe diximus; cum Judæam, inque ea Hieroſolymas expilaſſet, in Parthiam profectus, ibi cum filio *Publio*, a *Surena*, Regis Præfecto, captus atq; interfectus eſt. Et, quoniam auri cupiditate expeditionem ſuſcepiſſe credebatur, Barbari liquefactum aurum in os ejus infuderunt, jubentes, ut ſaltem mortuus auro ſe ſatiaret, cujus famem vivus nunquam ſedare potuiſſet.

Contemporanea Alia.

T. Pomponius Atticus, Eques Romanus, floruit, ad quem XVI. Epiſtolarum libros Cicero ſcripſit. Ipſe de *Conſulatu Ciceronis* Hiſtoriam Græce condidit, ut & Poëmata, mira brevitate. Vitam illius Cornelius Nepos recenſuit.

Varro Atacinus, ab Atace, Galliæ Narbonenſis vico, ſic dictus, ſcripſit de *Bello Sequanico*, & IV. *libros Argonauticorum*, in quibus Apollonii Argonautica ita expreſſit, ut alieni operis non aſpernandus interpres Quintiliano viſus ſit.

M. Terentius Varro, Philoſophus inſignis, &, qui Senecæ, Romanorum doctiſſimus audit, ingenii & memoriæ prodigium fuit. Scripſit 500. Volumina, & in his XXIV. *de Lingua Latina*, quos Ciceroni dedicavit. Scripſit & *Satyras Menippeas*: *Antiquitates rerum divinarum humanarumq;*: *Libros de vita Populi Romani*: *opus Hebdomadum*, quod continebat imagines & elogia doctorum virorum; item *librum de Architectura*. Obiit prope nonagenarius.

C. Valerius Catullus, Veronenſis, Poëta fuit doctus, ſed ſupra modum mordax & laſcivus, ejusque Epigrammata CXVII. ſuperſunt. Vixit in Sirmio, peninſula parva in parte meridionali lacus Benaci.

C. Sal-

C. Salluſtius Criſpus, Orator inſignis, & Hiſtoricus, Romæ, muneribus ampliſſimis defunctus eſt. Ob luxum Cenſores illum Senatu moverunt, & a Milone in adulterio deprehenſus, gravem pœnam ſubiit. Poſtmodum a Cæſare reſtitutus, Senator denuo & Prætor factus eſt: miſſus vero in Numidiam, cui præeſſet, magnis exactionibus populis gravis fuit; indeque redux, tantas ſecum opes duxit, ut ſplendidiſſimas ædes, in monte Quirinali, cum hortis, hodieque Salluſtianis dictis, ſibi compararet. Duxit *Terentiam*, a Cicerone repudiatam, ſcripſitque *Hiſtoriam ab Vrbe condita*, cujus Fragmenta tantum ſuperſunt. *Bellum Jugurthinum*, & *Catilinarium*, una cum 2. *Orationibus ad Cæſarem, de Repub. ordinanda*, integra ad nos pervenerunt. Martiali Salluſtius dicitur *Romana primus in hiſtoria.*

T. Lucretius Carus, Poëta, ſcripſit *libros VI. de Rerum natura*, in quibus Epicurum & Empedoclem ſequitur. Id opus plerique a Cicerone emendatum volunt, cum Autor idipſum imperfectum & inemendatum reliquiſſet. De eo ita Hieronymus: *Lucretius Amatorio poculo in furorem verſus, cum aliquot libros per inſaniæ intervalla ſcripſiſſet, quos poſtea Cicero emendavit, propria ſeſe manu interfecit.* Merito Ovidius:

Carmina divini tunc ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

MILLENARII IV.

SECVLVM X.

PTOLEMÆVS DIONYSIVS.

PTolemæo Aulete mortuo, Alexandrini Ptolemæum ſeniorem, cognomine Dionyſium, & CLEOPATRAM, liberos ejus, ſecundum teſtamentum ipſius, quo præcipiebatur, ut more majorum apud Ægyptios recepto, inter ſe matrimonio jungerentur, unaque imperarent; regno præfecerunt. Verum non diu fratri cum ſorore convenit. Ortæ enim inter eos lites, & ex litibus bella; quæ dum *Julius Cæſar* componere ſtudebat, *Bellum Alexandrinum*, cujus hiſtoriam Hirtius eleganti libello complexus eſt, excitavit, in quo, irritatos Alexandrinos, cum militem idoneum non haberet, oratione primum placavit. Obſeſſus deinde in regia, ædificiorum proximorum atque navalium, inſtructiſſimæ etiam illius Bibliothecæ Alexandrinæ incendio, tela ſubmovit infeſtorum hoſtium; moxque in peninſulam Pharon evaſit. Inde depulſus, mira felicitate ad proximam enatavit claſſem. Sic receptus a claſſiariis, & undique ſimul hoſtes adortus, illos devicit. Ptolemæus, dum vitæ ſuæ fuga conſulere conatur, demerſo navigio periit, Pompejique a ſe perfide interfecti, Romanis meritas pœnas perſolvit.

Ægypto & Alexandria potitus Cæſar, Ægyptiis Reges conſtituit PTOLEMÆVM JVNIOREM, Cleopatræ fratrem, ipſamq; CLEOPATRAM, fœminam, pulchritudine, plurium linguarum peritia, magnificentia & luxu ſupra omnes ſui ævi, cui imprimis favebat, & ex qua, filium *Cæſarionem* nomine, ſuſceperat.

perat. Verum Cleopatra, fratrem Ptolemæum veneno ſuſtulit, regnumque ſola adminiſtravit. Cum hac poſtea familiaritatem conſuetudinemque *M. Antonius Triumvir* contraxit, præmium libidinum, Romanum imperium ei pollicens. Nec mente tantum & animo in Reginam, ſed & cultu deſcivit. Aureus illi in manu baculus; ad latus acinaces; purpurea veſtis, ingentibus obſtricta gemmis, corpus, caput diadema tegebat, ut Regina, Rex ipſe frueretur. Suſtulit ſic ex Cleopatra geminos uno partu liberos, *Alexandrum*, cognomine *Solem*, & *Cleopatram*, cognomine *Lunam*. At, hæc familiaritas, utrique perniciem, Ægypto vero ſervitutem attulit. *Octavius* enim *Auguſtus*, Antonio, ob ſpretam ſororem *Octaviam*, quam ille in matrimonio habuerat, & quod Ægyptum, ſibi ſorte datam, non obtineret, iratus, eundem una cum Cleopatra graviſſimo bello petiit, Brunduſioque trajiciens, montem Leucaten, & Ambracii ſinus cornua, (ubi tum Antonius & Cleopatra cum claſſe hærebant) petit. Erant ei quadringentæ amplius naves; hoſtibus haud plures ducentis, ſed in quibus, quod numero deerat, magnitudo penſabat. Quippe a ſenis, in novenos remorum ordines ſe efferebant; ad hoc turribus, atque tabulatis allevatæ, caſtellorum & urbium ſpecie, non ſine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur. Sed hæc ipſa moles exitio fuit. Octavii enim naves, a trinis in ſenos, non amplius, ordines creverant. Itaque habiles in omnia quæ uſus poſcebat, & ad impetus, & recurſus, flexusque capiendos promtæ, illas graves, & ad omnia præpeditas, ſingulas plures adortæ, miſſilibus ſimul, quin & ignibus jactis, ad arbitrium diſſipavere. Commiſſa pugna eſt ad

Actium

Actium promontorium. Prima, dux fugæ, Regina, cum aurea puppe veloque purpureo, ſe in altum dedit. Mox ſequutus in Ægyptum Antonius. Inſtabat eorum veſtigiis Octavius, cumq; Antonius prope manu teneretur, & omnem reconciliationis ſpem ademtam animadverteret, ſuis manibus ferro in viſcera adacto ſe confecit. Regina, ad pedes Auguſti provoluta, fruſtra tentavit ejus oculos; nam pulchritudo intra pudicitiam Principis fuit. Ergo de regno retinendo deſperans, cum ſervari ſe triumpho videret, incautiorem nacta cuſtodiam, in Mauſoleum (ſepulcra Regum ſic vocant) ſe recipit. Ibi maximos induta cultus, in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium: admotisque ad venas ſerpentibus, & ipſa voluntaria morte extremum vitæ diem clauſit, cum regnaſſet annos 24. gemente eapropter Octavio, qui eam in triumpho ducere omnino conſtituerat.

Juvat, de Cleopatræ luxu, memorabilem hiſtoriam ex Plinii, Naturalium rerum Scriptoris, potiſſimum ore recitare, etſi notam in vulgus. Duo fuere maximi *uniones* per omne ævum: utrumque poſſedit Cleopatra, per manus Orientis Regum ſibi traditos. Hæc, cum exquiſitis Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu, ut regina meretrix, lautitiam ejus omnem, apparatumq; obtrectans, quærente eo, quid aſtrui magnificentiæ poſſet? reſpondit, una ſe cœna centies Seſtertium abſumturam, quæ ſumma, ſecundum Lipſii computationem, conficit Philippicos 250000. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri non poſſe arbitrabatur. Ergo ſponſionibus factis, poſtero die, quo judicium agebatur, quotidianam cœnam Antonio Cleopatra apponit, irridenti, computa-

putationemq; expoſtulanti. At illa, inferri menſam ſecundam juſſit. Ibi, ex præcepto, miniſtri unum tantum vas ante eam poſuere aceti, cujus aſperitas visque in tabem margaritas reſolvit. Gerebat auribus maxime ſingulare illud & vere unicum naturæ opus, alterumque unionem detractum, merſit, ac liquefactum abſorbuit. Cumque alteri quoque manum injicere vellet, id *L. Plancus*, judex ſponſionis, prohibuit, victumque Antonium pronunciavit. Qui ſupererat unio, victa Regina, poſtea diſſectus, fuit in utrisque Veneris auribus Romæ in Pantheo. Poſt Cleopatræ mortem, Alexandria, & cum ea tota Ægyptus, Romanorum imperio ſubjecta eſt; Lagidarum vero regnum, quod trecentos minus ſex annos duraverat, periodum ſuam abſolvit.

Res Jvdæorvm.

Antipater, quia *Cæſarem*, in bello adverſus Pompejum, multum conſiliis & opera juverat, *Judææ Procurator* conſtituitur, ejusque commendatione, *Hircano* Pontificia dignitas confirmatur. Hac ratione, Antipater magnam ſibi ſuisque potentiam paravit, ſub Hircani nomine Judææ imperans. Etſi vero moderatus is erat, & multa in Judæorum gratiam faciebat, tamen hi impatientes peregrini dominii, ſubinde ſeditiones concitabant. Poſtea quidam *Malichus*, corrupto pincerna Hircani, apud quem Antipater epulabatur, veneno Antipatrum tollit. Scilicet Hircani vicem miſeratus, non niſi extincto Antipatro, & liberis ejus, gentis Chaſamonææ dignitatem ſervari poſſe judicaverat. Cæde patrata, Malichus, *Caſſio*, qui tunc in Syria Præſidem agebat, ſe adjungit, ſed fruſtra. Etenim *Herodes*, Antipatri filius, Hieroſolymam, inſtante feſto, & jejunante

populo,

populo, cum copiis ingreſſus, arte tandem perfecit, ut a militibus Caſſii Malichus interficeretur.

Antigonus, filius Ariſtobuli, audita Antipatri morte, ex Chalcide in Judæam reverſus, turbas movet Judæis & Herodi, aſcitis in Judæam *Parthis*, quorum Rex erat *Pacorus*, qui compoſitionem ſimulabat, ſed Hircano Pontifice, & *Phaſelo* Herodis fratre captis, regnum Judææ tradit Antigono. Herodes cum ſuis, deprehenſa fraude Barbarorum, vix evadit, Hieroſolyma crudeliter diripitur, atque ſic Antigonus Regnum & Sacerdotium occupat. Hujus juſſu, Hircano, ut ad Pontificatum imposterum inutilis eſſet, aures amputatæ ſunt. Phaſelus, ut ſuppliciorum cruciatum evaderet, cum manus ſibi propter vincula inferre non poſſet, illiſo ad parietem capite, vitam abrupit.

Herodes, cum Sponſam *Mariamnem*, Alexandri, Ariſtobulo nati, filiam, Hircani vero ex filia neptem, quin & Socrum, & neceſſarios reliquos, in munito caſtello *Maſſada*, cum idoneo præſidio, ſub cura *Joſephi* fratris ſui, depoſuiſſet, ipſe Romam properat. Ibi, cum M. Antonio, quæ in Judæa a Parthis & Antigono geſta erant, narraſſet, miſeratione mutatæ fortunæ, ſuaque induſtria, & pecuniæ pollicitatione, ita permovit non Antonium tantum, dudum ſibi faventem, ſed & *Octavium*, & reliquos, qui tunc Remp. tenebant, ut Rex Judæorum a Senatu declararetur.

Toto deinde triennio Herodi cum Antigono negotium fuit, variæque pugnæ interceſſerunt, quibus etiam Joſephus, Herodis frater, abſumtus eſt. Tandem, poſt multas clades adverſæ factioni illatas, urbem ipſam Hieroſolymam, undecim Romanis Legionibus

bus adjutus, Herodes vi expugnat. Antigonus Rex captus, &, inſtante Herode, juſſu Antonii, Antiochiæ ſecuri percuſſus eſt.

Herodes, *Hircanum* proſocerum, apud Parthos clementer habitum, ut ſecurior ab eo eſſet, Hieroſolymam pellicit. Dein precibus uxoris Mariamnes, & Alexandræ ſocrus, quin & Cleopatræ, & Antonii interceſſionibus commotus, *Ariſtobulum*, ultimum, præter ſenem Hircanum, ex Chaſamonæis, uxoris fratrem, Pontificem creat, remoto *Ananelo*, quem Babylone accitum, illi muneri præfecerat. Eundem tamen mox, ſpecie luſus aquatici, ſuſtulit, quod & populum ei favere, & ſocrum, ipſo vivente, regni in familiam ſuam reducendi, fiduciam, non dimiſſuram putaret. Sequenti deinde tempore, etiam Hircanum, ſenem octogenarium, qui ſpe regni recuperandi fugam ad Arabes meditabatur, occidit, quin & *Mariamnem* uxorem, fœminam pulcherrimam caſtiſſimamque, falſis ſororis *Salomes* criminationibus permotus, cum *Alexandra* ſocru, ſuſtulit e medio, atque ſic omnem Chaſamonæorum ſtirpem delevit funditus.

Dehinc, continendis in metu indigenis, *Samariam* a Johanne Hircano deſtructam, inſtaurat Herodes, & *Sebaſten*, ſive Auguſtam nominat. Condidit & alias urbes ac munimenta, in iisque præſidiarios diſpoſuit, ut mobili vulgo omnem tumultuandi facultatem præriperet. Idem, *Ezechiam*, inſignem prædonem, cum multis latrocinii ſociis comprehendit, ac ſupplicio affecit. Ingruente fame atroci, coëmtum in Ægypto frumentum, largiſſime Judæis diſtribuit indigentibus, probe gnarus, ſuppliciorum ſeveritatem, & ubertatem beneficiorum, duo eſſe ad com-

compeſcendos homines vincula efficaciſſima. Inde pro Mariamne occiſa, *Simonis Boëthi* filiam, formâ præſtantem, uxorem ducit, novoque ſocero donat Sacerdotium, *Jeſu*, Phabetis filio, ereptum.

Vt vero expiaret ſcelera, ob quæ haud immeritò bonis ſe inviſum perſpiciebat, *Templum* Dei Optimi Maximi, quod Hieroſolymis erat, ſumtu plus quam regio, inſtaurare aggreditur, cingitque ampliſſimis porticibus, & columnis prorſus admirandis. Impenſis faciendis quo ſufficeret, *Davidis ſepulchrum* aperuiſſe, magnamque inde vim ornamentorum ingentis pretii, ſuſtuliſſe dicitur: flammis tamen erumpentibus territus, quo minus plura ſcrutaretur, aut auferret.

Cæterum *Alexandrum* & *Ariſtobulum*, duos e Mariamne ſuſceptos filios, fortunæ regiæ, in quam alebantur, capaces, cum calumniis Salomes ſororis, & maximi natu *Antipatri*, aures præbuiſſet, Herodes occidit, quibus tamen poſtea, deſignatum jam ſucceſſorem Antipatrum, comperta ejus inſigni malitia ſuperaddidit. Atque hoc pacto ſocerum Hircanum, Alexandram ſocrum, Mariamnem conjugem, & adeo tres præcipuos filiorum jugulavit: unde Auguſtus per jocum dixiſſe fertur: præſtare Herodis porcum eſſe quam filium.

Exigit dictorum hactenus, & eorum, quæ dicenda ſuperſunt, ratio, ut Herodis progeniei ſeriem, hoc loco oculis ſpectandam exhibeamus.

Aſca-

Aſcalonita necat pueros, *Antipa* Johannem:
Jacobum *Agrippa*; & tenet hic in carcere Petrum.

Herodes M. infanticida, Antipatri Aſcalonitæ, & Cypridis Arabicæ fil.
Ejus Conjux Mariamne, Alexandri Chaſſamonæi filia, Ariſtobuli neptis.

- *Antipater.* Patris juſſu ſtrangulatus.
- *Archelaus* Tetrarcha, quo imperante Chriſtus rediit ex Ægypto. Matth. 2.
- *Philippus.* Maritus Herodiadis, Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis. Matth. 14, 3.
- *Herodes Antipas*, Tetrarcha Galilææ, raptor Herodiadis, interfector Johannis Baptiſtæ, Matth. 14. Vulpes, Luc. 13. ſpretor Chriſti. Luc. 23. Ejus Procurator Chuza Luc. 8, 3. Cum illo educatus eſt Manahen, Act. 13, 1. Conſpirat cum Pilato adverſus Diſcipulos Chriſti, Act. 4, 27.
- *Ariſtobulus.* Juſſu patris ſtrangulatus.
  - *Herodes*, Rex Chalcidis, regnum a Claudio Imp. obtinuit, interceſſione fratris Agrippæ.
  - *Agrippa Major.* Vniverſum Regnum Avi obtinuit. Interficit Jacobum; in vincula conjicit Petrum: ab Angelo percutitur. Act. 12. In hujus Prætorio Cæſareæ cuſtoditur Paulus, Act. 23, 35.
    - *Bernice.* Nupſit primum Herodi, Chalcidis Regi, patruo: deinde Polemoni Ciliciæ Regi: ab eo diſcedens, Agrippam ſectata eſt, non ſine inceſti ſuſpicione. Actor. 25, 23.
    - *Agrippa Minor.* Coram hoc, & Bernice, cauſam dixit Paulus. Act. 26.
    - *Druſilla.* Primum Emeſenorum Regi, circumciſionem admittenti, deinde, abjecta patria religione, Felici Procuratori nupſit, Act. 24, 24.
  - *Herodias.* Primum Philippi, deinde Antipæ conjux.
- *Alexander.* Et ipſe cum fratre, juſſu patris ſtrangulatus fuit.

Res Romanorvm.

Peremto Craſſo, cum neque parem *Pompejus*, neque ſuperiorem ferre *Cæſar* amplius poſſet, *Civile Bellum* eſt exortum. Pompejanis id agentibus, ut expleto tempore, Galliâ provinciâ *Cæſar*, exercituque cederet; Cæſarianis porro viciſſim, idem ut Pompejus in Hiſpania faceret annitentibus. Prævaluit Pompeji factio, ac *C. Claudio Marcello*, & *Cornelio Lentulo Coſſ.* Senatus decrevit, ut ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret. Tribuni Plebis *Antonius*, & *Caſſius*, nequicquam intercedentes, fugere coguntur ad Cæſarem. Is, cum copiis ad Vrbem properans, ita Pompejum aliosque perterruit, ut ſine mora, Vrbe, ac deinde tota Italia relicta, in Græciam navigarint. Cæſar in Hiſpaniam profectus, *Afranium*, *Petrejumq;*, Pompeji Legatos, ſuperat, & eorum exercitus in deditionem accipit. In reditu, *Maſſiliam* expugnat, ac *Dictator* abſens à *M. Lepido* Prætore factus, Romam reverſus, Dictaturam init.

Pompejum deinde bello perſequens, tranſmittit in Græciam. Sed ad *Dyrrachium*, Macedoniæ urbem, Pompejum obſidens, non levem accepit cladem, debellatusque (ſic ipſe faſſus eſt) fuiſſet, ſi Pompejus ſciſſet victoria uti. Bello hinc in Theſſaliam delato, Pompejus interclusum commeatu hoſtem, fame potius quam ferro vincere ſtatuerat: ſed Nobilitatis hortatu coactus, cum hoſte, in campis ad *Pharſalum urbem*, funeſto prælio conflixit, & ſuperatus, exercitum amiſit. Ita victus, præpoſtero conſilio, non ad copias ſuas, quæ paſſim ei ſupererant, ſed oneraria navi ad mare forte oblata, accepta in eam

ex Mitylene, uxore *Cornelia*, paulo ante ducta, & ſalutato ibi *Cratippo* Philoſopho, in Ægyptum abit, ad fidem Ptolemæi Regis, pæne adhuc pueri, cujus patrem in regnum reduxerat, implorandam. *Ptolemæus*, a ſuis, & imprimis *Theodoto* Rhetore perſuaſus, Pompejum 60. Senatoribus ſtipatum, e navi in terram egreſſurum, per *Achillam* præfectum, interfici curat. Ejus caput, cum ad Cæſarem, qui fugientem in Ægyptum usque perſequebatur, perlatum eſſet, indignam tanto viro mortem, lacrymis proſecutus eſt, ac cum porro *Alexandriam* ſe contuliſſet, ea ſucceſſerunt, quæ paulo ante, res Ptolemæi Regis recenſendo, enarravimus.

Sub hoc tempus, *Pharnaces*, Mithridatis, Ponti Regis filius, magis diſcordiæ civilis inter Pompejum & Cæſarem fiducia, quam virtutis ſuæ, infeſto in Cappadociam agmine irruit. Hunc Cæſar, uno, & non toto prælio, obtrivit, fulminis more, unde & poſtea in Pontico triumpho, inter pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum: *Veni*, *Vidi*, *Vici*; non acta belli ſignificantem, ſicut cæteri, ſed celeriter confecti notam.

Inde *in Italiam trajiciens Cæſar*, cum denuo eſſet *Dictator* abſens dictus, rebus Romæ compoſitis, confeſtim in *Africam* ſe contulit. Ibi *Scipio*, ſocer Pompeji, *Varus*, *Labienus*, *Metellus*, *Afranius*, *Petrejus*, *Cato*, auxiliis *Jubæ* Regis Numidiæ, copias auxerant, & ad Hiſpanias occupandas, jam Pompeji M. alterum filium Cnejum præmiſerant. Prælio, contra Catonis monitum, commiſſo, *Petrejus* & *Juba*, cum magna exercitus parte ſuccubuere, &, ne in manus victoris pervenirent, mutuis ſe vulneribus confecerunt. Ferunt cæſa eſſe 50. millia, cum

Cæſar

Cæſar vix 50. e ſuis deſideraret. *Cato* aliquandiu Vticæ ſubſtitit, collecturus exercitum. Sed, cum jam Cæſar ſuperveniret, neutiquam fuga ſibi conſuluit, ac e ſuis alios dimiſit, alios veniam a Cæſare petere juſſit. Ipſe, relecto prius de nocte ad lucernam, Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, mortem ſibi ipſe conſcivit, ex quo *Vticenſis* eſt appellatus. Sic Africa in provinciam redacta.

Cæterum *Sextus*, alter Pompeji filius, *Varus*, & *Labienus*, cum claſſe, & reliquiis exercitus, in Hiſpaniam, ad *Cn. Pompejum*, tanta jam multitudine militum cinctum, ut plus ipſo Cæſare poſſe videretur, trajecerunt. *Cæſar* Romam redit, atque quatuor diebus, *quatuor triumphos*, ex Gallia, Ægypto, Ponto, & Africa devictis, agit: militem ingentibus præmiis; populum epulis & ſpectaculis ſibi conciliat. Sed, cum *Cenſus* haberetur, non amplius cenſa ſunt civium quam 150. millia, cum proxima luſtratione ultra quadringenta millia fuiſſent. Tantam, bellum civile, inflixerat Reipub. cladem.

Modico interjecto tempore, *Cæſar* in Hiſpanias adverſus *Pompeji filios* profectus eſt. Poſt alias minores pugnas, omnium difficillima ad *Mundam*, Bæticæ urbem, commiſſa fuit. In ea adeo Cæſaris acies proſtrata eſt, ut ſibi ipſi manus inferre cogitaret, ne poſt tantam rei militaris gloriam, in poteſtatem adoleſcentium, natus ſex annos & quinquaginta veniret. At, procurrens denique in primam aciem, vicit. Pompeji *major filius*, Munda, congeſto e cadaveribus aggere, oppugnata, effugit quidem, verum a *Ceronio* occiſus eſt: *Sextum*, fortuna aliis bellis reſervavit. *T. Labienus*, in acie cecidit. Rediens ex Hiſpania Cæſar, *quinto triumpho*, non de

alienigenis, ſed viri Romani calamitate habito, & ob id civibus admodum acerbo, Vrbem ingreſſus eſt.

Sic Civile Bellum finem habuit, atque Cæſari, multi, & maximi honores, a Senatu decreti ſunt. In his, ut *Pater Patriæ* appellaretur, *Dictator in perpetuum* eſſet, omnibus provinciis, præterquam Italiæ, præeſſet; ut *Quintilis* menſis, nomine ejus *Julius* appellaretur; ut templum, flaminem, tanquam Deus haberet. Ipſe interim varias ſalutares *Leges* tulit; Curiam obſcuris & barbaris Senatoribus inquinavit: *Faſtos*, per intercalandi licentiam turbatos, autore *Soſigene* Mathematico, correxit, annumque ad curſum Solis accommodavit, ut 365. dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno insereretur. Ad hæc, Pomœrium Vrbis protulit, *Carthaginem*, & *Corinthum*, quondam deletas, inſtauravit, in easque duxit colonias.

Enim vero, quod Senatui non aſſurgebat, & Tribunis plebis, qui invidiam ei, tanquam regnum affectanti, moverant, poteſtatem abrogabat, omnibusque ad arbitrium ſuum vocatis, Senatus & Legum autoritatem in ſe unum trahebat, ita ut nihil amplius eſſet Reſpublica, niſi appellatio ſine corpore, & ſpecie; quodque corona aurea, & veſte triumphali ubique utebatur, & ſtatuam juxta VII. Reges ſibi poni curaverat, a duobus Prætoribus Vrbanis deſignatis, *M. Bruto*, Catonis genero, animoſæ *Porciæ* marito, quem Appianus dixit Cæſaris filium ex adulterio cum ejus matre *Servilia* eſſe habitum, & *C. Caſſio*, Bruti ſororio, ac 60. aliis conjuratis, quinto poſt menſe quam Romam venerat, Idibus Martiis, 23. vulneribus in Curia confoſſus, inopinam mortem, quam commodiſſimam ſæpe dixerat, obiit,

tum

tum quidem, cum ad ulciſcendum exercitum per cladem Craſſi amiſſum, parabat Parthos bello petere; his ſubjugatis, Scythiam invadere; per Germaniam in Italiam regredi, & undequaque novam gloriæ adoream conquirere. Cum ſibi moriendum videret, ne quid e corpore renudaretur inhoneſte, togam deduxit ad crura ſiniſtra manu, uno modo, ad primum ictum, gemitu, ſine voce, edito; etſi tradiderunt quidam, M. Bruto irruenti illum dixiſſe: καὶ σὺ τέκνον; *Et tu fili?* Illud quoque perhibent, ipſum, ſive fortuito, ſive compulſum eo a percuſſoribus, ſe demiſiſſe ad baſin ſtatuæ Pompejanæ, & hanc cruore compleviſſe. Talem vitæ finem habuit monſtrum viri, quem ſcribere, & legere ſimul, dictare, & audire ſolitum, Plinius memorat. Quinquagies collatis ſignis dimicaverat; præter civiles victorias, undecies centum & nonaginta duo millia hominum præliis ab eo feruntur occiſa. Anteceſſere mortem *prodigia* varia. Equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone fluvio conſecrarat, ac vagos & ſine cuſtode Cæſar dimiſerat, comperit pertinaciſſime pabulo abſtinere, ubertimque flere. Ea nocte cui illuxit dies cædis, ipſe ſibi viſus eſt per quietem interdum ſupra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere. Et *Calpurnia* uxor imaginata eſt, collabi faſtigium domus, maritumque in gremio ſuo confodi: ac ſubito cubiculi fores ſponte patuerunt. *Spurinna* haruſpex, quod bis defuiſſet cor in extis, prædixit, malum non ultra Idus Martias abfuturum. Quem, cum illa ipſa die obviam Cæſar habuiſſet, irriſit illum, & ut falſum arguit, quod ſine ulla noxa Idus Martiæ adeſſent; hauruſpex vero, veniſſe quidem eas dixit, non præteriiſſe. Memoria dignum,

quod percuſſorum Cæſaris, nemo fere triennio amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Pars naufragio, pars prælio periere: nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt.

Cum Julius Cæſar Romæ interficeretur, *Octavius* erat Apolloniæ. Vbi certior factus de Cæſaris nece, Romam contendit, ibique hereditatem adiit. Nam Cæſar ipſum in teſtamento heredem ſcripſerat, & adoptaverat inſuper; erat enim avunculus ejus magnus, quippe Octavii mater *Actia*; (Adolphus Occo in libro Numiſmatum p. 40. *Atia* ſcribendum eſſe contendit,) M. Actio (ſive *Atius* is vocabatur,) Balbo, & Julia, ſorore Cæſaris, genita eſt. Inde *C. Cæſar Octavianus* dictus fuit. Geſſit poſt hæc Bella Civilia quinque: Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum, Siculum, & Actiacum. *Mutinenſe* ei cum Antonio interceſſit, qui impotentius dominabatur: in quo Antonius profligatus, in Galliam ulteriorem profugit, ad M. Lepidum. Cum vero Octavianus ſentiret Senatum ſibi contrarium, per commercia literarum reconciliationem iniit cum Antonio. Convenit igitur inter Octavianum, Antonium, & Lepidum, ut univerſum Imperium tanquam hereditatem paternam dividerent, & ſuos ſinguli inimicos necarent, amicos conſervarent: unde propoſitis proſcriptionum edictis, alius in alium ſæviit. Atque hic eſt famoſus ille TRIVMVIRATVS, *Cæſaris Octaviani, M. Antonii, & M. Æmilii Lepidi*, ſanguinis & crudelitatis pleniſſimus, ubi ſinguli ſuos ulti ſunt hoſtes, atque ſic Antonius quoque *Ciceronem*, cujus Philippicis offenſus, diu occaſionem vindictæ quæſiverat. Miſſus eſt ad eum

fugi-

fugientem occidendum, *Popilius*, quem olim Cicero contra hoſtes, a quibus parricidii fuerat accuſatus, tuitus erat. Is caput amputatum pro roſtris expoſuit: linguam exciſam, *Fulvia*, Antonii uxor, aciculis pupugit, quod dixiſſet, nullum præ fœmina iracundius animal reperiri.

Philippenſe Bellum, adverſus *Caſſium* & *Brutum*, percuſſores Cæſaris geſtum eſt, in eo Caſſius & Brutus ſeipſos peremerunt.

Peruſini Belli, L. Antonius, Antonii Triumviri frater, cauſa fuit. Is, fratre in Aſia abſente, querebatur, ſe parte agrorum ad ſe pertinentium, ſpoliari; Octavianus contra, ab illo injurias ſibi illatas contendebat. Acceſſit *Fulvia*, M. Antonii uxor, quæ odia magis incendebat, ut tandem in bellum erumperent. *Octavianus*, L. Antonium in Galliam contendentem, in itinere intercepit; ac Peruſiæ in Hetruria concluſit, fameque ad deditionem coëgit. Fulvia, ad maritum Antonium, cum liberis, & Julia matre confugit. Fulviæ inſtinctu Antonius amicitiam renunciat Octaviano, & ex Aſia in Italiam reverſus, Brunduſium invadit, atque ſic Octavianum bello laceſſit. Interea loci Fulvia Sicyone moritur, qua e medio ſublata, pax componitur, & Octavianus ſororem ſuam Octaviam, Antonio in matrimonium locat.

His ita peractis, Octavianus & Antonius Imperium inter ſe partiuntur, convenitque ut Octavianus Occidentem, Antonius Orientem occuparet.

Siculi Belli, Sextus Pompejus, Pompeji M. filius, autor fuit, qui fugitivis & proſcriptis undique collectis, totam Siciliam occupavit, & latrociniis omnia complevit. Ei Octavianus & Antonius reſtiterunt,

atque

atque inita pace, cum Pompejus Duumviros illos in nave ſua convivio excepiſſet, acceſſit quidam Amicorum, ipſum ſubmonens, ut utroque, quod facile poterat, ſublato, ſe Dominum Orbis faceret. Sed noluit ille, fidei illis datæ, memorabili in omne ævum exemplo, tenax. Renovato dein bello, mari victus Pompejus, ad Antonium ſe recepit. Inde in Aſiam tranſiit, ubi *Titius* eum captum, Miletum deduxit, & dein Antonii juſſu occidit.

Bellum Actiacum, mutuæ inter Octavianum & Antonium ſimultates progenerarunt. Antonius crimini dabat Octaviano, quod M. Lepidum Triumviratu privaſſet, quodque Sexti Pompeji copias omnes, ſibi ſoli vindicaverit. Contra Octavianus Antonio objectabat, quod Ægyptum ſine ſorte teneret; Sextum Pompejum interemiſſet; *Artuasdam*, Armeniorum Regem, dolo captum, in vincula, cum Romani nominis ignominia, conjeciſſet. Denique, quod doloſe Imperium Romanum in Ægyptum transferre ſtuderet, ac in ſororis ſuæ Octaviæ contemtum, Cleopatram pro uxore haberet. Octaviano in Epirum trajicienti, occurrit Antonius cum Cleopatra, ad Actium Epiri promontorium, ubi acerrima pugna commiſſa, Antonius victus eſt. Clade hac accepta, cum Cleopatra Alexandriam in Ægyptum profugiens, cum ea, ad fatum ſuum, de quo jam ſupra dictum eſt, properavit.

Digitized by Google